FLORUS ILLUSTRATUS.

BIBLIOTHEEK GYMNASIUM
GRONINGEN
STAPCARD

K-199/13

En
Rerum Romanarum
culmen & columen!
in qvo
Lupa Martia,
ſylveſtris Romani nominis altrix;
qvæ *Romulum* ac *Remum*
Uberibus gravidis, vitali rore rigavit;
cujus *lacte ſangvis* Romanus crevit.
En &
Sceptrigerum Jovis *alitem,*
qvi Tyrrhena non horrens *cornua*,
neq; triumphat, neq; *coronat* ſuos,
ante victoriam!
Sed
VIRTUTIS ROMANÆ,
(qvæ laureata caſside contecta,
bellis ſedatis *ſedet*)
dextram fidemqve *civicam*
ſanctè obſervat;
ut dignis detur, qvod datur.
Stant
Aquilæ, poſt terga *defixæ*;
nec inter exuvias *jacent*;
ut *neceſſitate acta Virtus*,
cohortium ſigna refigendo,
cauſa ſit novæ *victoriæ*.
Ad *terram* verò jacent
arma & vexilla, *cælum* olim tangentia;
galeæ non erigunt *criſtas*;
caſſis ſine capite, *thorax* ſine pectore,
enſis ſine cuſpide, *ſcutum* ſine fulmine,
& ſine pondere *tela*;
qvorum *pharetra humus* eſt!

St-36


C. A.
Ruperti
OBSERVA
TIONES.
ad
L. ANNÆI
FLORI
rerum
Rom. li
bros
IV.

CHRISTOPHORI ADAMI RUPERTI
In incluta Altdorph. quondam
Hist. Prof. celeberrmi.

OBSERVATIONES POLITICÆ, MORALES, HISTORICÆ, PHILOLOGICÆ, CRITICÆ, AD L. ANNÆI FLORI RERUM ROMANARUM LIBROS IV.

juxta
editionem Freinshemianam
sedulò distinctæ.

Accedunt
Viri CL. Observationes
tantùm politicæ.



NORIBERGÆ,
SUMPTIBUS JOHANNIS TAUBERI.

Literis Wolfgangi Eberhardi Felseckeri,
ANNO clo Ia C LIX.

VIRO MAGNIFICO,

NOBILISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DN. DANIELI NICOLAI,

JURISCONSULTO EXIMIO;
SAC. REG. MAJEST. REGNIQVE SVECIÆ, IN DUCATIBUS

BREMENSI

ET

VERDENSI

CANCELLARIO SPLENDIDISSIMO;

DOMINO ET PATRONO SUO MAGNO.

FLORUM mitto Tibi, MAGNIFICE DOMINE, ceu debitum illi tam singulari benevolentiæ; qva me pro admiranda humanitate Tua usqve es prosecutus, & adhuc prosequeris. Intellexi ex aliis, probari Tibi operas nostras; &, qvod ait ille, nostras Te esse aliqvid putare nugas. Agnosco, VIR NOBILISSIME, arbitrium amicitiæ Tuæ; cujus fores jam dudum benignè aperuisti mihi: mihi, inqvam, cui beneficia sæpè dedisti: Nam non solùm beneficium accepisse, sed & beneficium dedisse, caussa est amicitiæ. Hinc Tullius in Miloniana: *Duos se habere semper amicissimos speravisse, te tuo beneficio, me suo.* Adhæc lætatus sum

sum certè, qvod mei memoriam & amorem tam constanter servares; atqve in votis illud unum habui, ut, qva observantia Te absentem prosequerer, ipse non nescires. Nunc igitur hoc munere *Historico politico* Te mactatum ivi. Accipe, qvæso, fidum planeqve certum observantiæ pignus ab eo, qvi in omni officii genere candorem simplicitatemqve suam, cultum & constantiam Tibi cupit esse probatam. Id verò libenter accipies, qvod si in tantis Tuis occupationibus qvicqvam temporis lectioni eorum impendas, qvæ *politica* ad hunc Scriptorem *observata* Auctori prudentissimo: Sublimium namqve & Heroicarum mentium propria ac peculiaris ea laus est, non minus rerum gerendarum

darum peritia, qvàm Sapientiæ & Hiſtoriæ ſtudiis effloreſcere. At ſilentio meliùs venerabor, qvæ verbis exprimere non qveo.

Qvid multis? cùm divinum ingenium Tuum rerum qvoqve hiſtoricarum cupidum eſſe ſcirem, non ſum veritus, has ipſas Obſervationes, *infinitis in locis è MSto Auctoris auctas*, ad Te mittere; & oculis Tuis hoc, qvicqvid eſt operæ Illius, humiliter ſubjicere. Præſidium omne & ſplendorem FLORUS hic ab Excellentiſsimo nomine Tuo ſumit, qvò calumniatoribus ſuis oculi dolere poſsint; auctoritatemqve à Te ſolo reqvirit, ut omnem vellicantis Judicii aleam facilè prævertat. Interea hoc munus in HUMANITATIS Tuæ TEMPLO religiosè conſe-

ſecratum habe, & ſerva mihi illum animum, qvem hactenùs magnopere mihi faventem ſenſi. Ad ultimum benè vale, VIR EXCELLENTISSIME, ac vive fœlix Regno Sveciæ, Tibi, mihi. Noribergæ A. S. cIↃ. IↃ. C. LIX. Calendis Juniis.

MAGNIF. NOBILISS. Q. EXCELLENTIÆ TUÆ

DEVOTUS

Joh. Tauber.

In

Viri Clarissimi

CHRISTOPHORI ADAMI RUPERTI,

Professoris qvondam in Universitate Altdorfina celebratissimi,

b. m.

FLORUM.

IN FLORO floret tumulati fama RUPERTI,
nec flos marcescet nocte dieve Viri.
Qvin tumulo ex ipso, fortunataq; favilla,
nascentur laudis lilia perpetuæ.

JOHANNES MICHAEL DILHERRUS,
Norinbergæ P. & P. P.

CHRI-

CHRISTOPHORI ADAMI RUPERTI

OBSERVATIONES IN FLORUM POLITICÆ, MORALES, HISTORICÆ, CRITICÆ.

§. 1.

Lvcii Annæi Flori] Vixit sub Trajano & Hadriano: *Salmasius* ad Spartiani Hadrianum eundem esse putat, cum *Floro Poëta*; cui Hadrianus Imperator ad se scribenti

Ego nolo esse Cæsar,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

rescripserit: *Ego nolo* Florus *esse*,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Ab hac sententia, non video causam, cur recedamus. Num ætas, stylus, qvo in hac etiam epitoma

A planè

planè ad Poëtas accedit, satis firmant? *Brunnerus l. II. virtut. & fort. Bojorum p.* 760. ut oratorium notat, qvòd exemplum ingens, si ad Romanos spectaret, haberemus passim in Historicis illos petitos tumores ab Oratoribus. O horribilem in tot adversis fiduciam! O singularem animum ac spiritum Populi Romani! qvæ sunt ipsa *Flori* verba *lib. II. c.* 6. §. 31. Id verò judicium nihil nos offendit: Tàm enim Poëtæ, qvàm Oratores eâ magniloqventiâ efferri solent. En tumoris poëtici exempla *lib. II. c.* 6. §. 14. *Commissam aciem*, inqvit, *secutus ingens terræ tremor, nisi illum horrorem soli equitum virorumq; discursus fecerunt, & mota vehementiùs arma.* Qvæ grandiloqventia! Terræ motum, qvi teste *Livio l. XXII. Plut. in Vita Fabii. Cic. lib. I. de Divin. Oroſio l. IV. c.* 15. *Plin. l. II. c.* 84. urbes diruit, montes transtulit, flumina in contrarias partes egit, amnibus mare intulit, terrasqve labe multis locis factâ diripuit, ac devoravit; eqvitum virorumq; discursu & motis vehementibus armis excitatum dicere. *Lib. cod. c.* 8. §. 13. *Ne sibi placeant Athenæ, in Antiocho vicimus Xerxem, in Æmilio Themistoclem aquavimus.* Planè poëticum! Antiochũ neq; opibus ac potentiâ, nec magnitudine copiarũ parẽ cum Xerxe comparare pugnam Æmilii Regilli cum navali ad Salaminam. Qvod *lib. III. c.* 5. §. 19. ait: *Lucullum quasi quodam cum fluctibus procellisq; commercio debellandũ tradidisse Regem ventis*, videri id planè qvoq; poëticum; ut taceam alia, qvæ de verbo *noster exscripsit ex Poëtis*, inprimis è Silio Italico. Sed & idem *Salmasius* eò videtur inclinare, tanqvam hujus sint fragmenta, qvæ *Pithœus* edidit, *de qualitate vitæ*, ut & *Pervigilium Veneris*, qvod aliqvot locis ibidem supplet ac emendat; deniq; *Carmen istud* amœnissimum, qvod ex vetustissimo Codice ipse primus vulgavit:

Venerunt aliquando Rosa. Proh Veris amœni
Ingenium! Una dies ostendit spicula Florum.
Altera pyramidas nodo majore tumentes,
Tertia jam Calathos. Totum lux quarta peregit
Floris opus. Pereunt hodiè, nisi manè legantur.

Ergo *diversus* hic Florus ab illo, in qvem Pollianus hoc epigrammate scripsit:

Εἰ μὴ χαίρω φλῶρε, γινοίμην δάκτυλος ἢ πὰς
Εἰς τῶν σῶν τέκτων τῶν κατατεθνομένων,
Χαίρω νὴ τὸν κλῆρον, ὃν ἐυκλήρησας ἐν ἄθλοις,
Ὡς περὶ χαρείας ϗ στεφάνε μελίδος.

Ineptulus Poëta, Florus, in agone Musico, non suo merito, sed inopiâ, vel imperitiâ antagonistæ; vel etiam perverso eorum judicio, qvorum ea fuerat cognitio, coronam adeptus, honore illo superbus, familiari suo Polliano succensebat, qvòd sibi non gratularetur: Eamq; cessationem invidiæ adscribebat, qvasi esset sua corona ἀλγεδὼν ὀφθαλμῶν Polliano; qvi respondens illi hoc tetrasticho: *Ego verò*, ait, *ô Flore, nisi gaudeo, fiam eorum pedum unus, quos tu in tuis chartis torques misere*, h. e. malè per-

 eam.

eam. *Gaudeo, inquam: Idq; ita esse, juro tibi per fortunam & sortem, quâ favente tibi, coronam poëticam ita nactus es; ut in divisione hæreditatis, quæ parentum morte obtigisset, partem opimam.* Hoc vult Pollianus: *Gaudere* se, & Floro gratulari, non qvidem ut præmium ingenii ac doctrinæ adepto; sed ut Fortunæ munus consecuto non pœnitendum. Ita explicat *Casaub. ad Persii Prolog. p. 15.*

Puteanus Comment. in lib. I. histor. Insubr. p. 4. etiam in genus hujus Flori inqvisivit: Ait enim, *filium* esse *Lucii Iulii Flori secundi*, qvi flos elegqventiæ Gallicæ à *Quintil. lib. X.* appellaretur. Qvo de nihil ego temerè pronunciaverim. Nomen *Annæus* (qvod melioris commatis manuscripti habent) Hispanæ Originis Virum indicant; Qvod etiam observavit *I. Lipsius 2. Elector. 5.* At *Iulius* Gallicum est: Nam in multis familiis *Gallicis* veterum hoc observavi, Julii nomen studio qvodam singulari affectâsse, qvod virtuti & existimationi *Iulii Cæsaris Dictatoris*, qvi magnas in Gallia res gesit, tributum reor. *Pighio* enim in *Hercule Prodicio* assentiri non possum, qvòd existimat, à Julio Cæsare descendisse, cùm plurimas illustres fœminas in Gallia corrupisset. Eodem modo multos *Iunios* reperio in *Hispania*, qvos nunqvam credederim à Juniis Romanis descendisse; sed hoc nomen affectâsse, qvòd virtutis *D. Iunii Callaici* recordabantur, & ejusdem domum fortasse patronam habebant: Nam id sæpè factum, ut provinciales eorum patrocinio sese permitterent, à qvibus

bus devicti & imperio P. R. subjecti erant. Flori *Encomia* magna sunt. *I. Lipsius* dicto loco: *Scripsit Compendium rerum Romanarum, si quid mei judicii est, compositè, disertè, eleganter. Subtilitas quidem & brevitas in eo sæpè mira; & sententiarum quædam gemmulæ cum judicio insertæ & veritate.* Salmasius vocat *elegantissimum Historiæ Romanæ breviarium.* Erycius Puteanus *pulchrum & floridum*; qvi & Oratione singulari eum deprædicavit, & sic amavit, ut illius potissimum ingenium & *vernantem dictionem* stylo suo exprimere conaretur. His accedo planè, nec qvicqvam in dictione desidero, tanqvam venusta & elegans non sit; sed in qvavis Historia locum habere, id verò *negabo infrà ad hujus libri c. 10. §. 8.* Præterea *in Historia* cautè legendus est, qvòd *multos* committat nunc *metachronismos*, nunc *prochronismos.* Id non animadversum, Viros Doctissimos in errores multos conjecit, ut à me passim observabitur. Sed qvorsum de Floro hæc tàm multa? Fit, ut ait ille, *nescio quomodo, ut, quorum gloriæ favemus, eos propiùs nôsse cupiamus.*

§. 2. *Epitome rerum Rom.*] Epitomatores, sunt, qvi commendent, sunt, qvi vituperent. Ex illis Puteanus: *Prudens scriptorum facundia ingeniosè magnarum rerum invenit breviaria & Historiæ litavit. Florus quidem Populi Rom. tanquam generis humani facta à Romulo ad Cæsarem Augustum pulcherrimo & simul absolutissimo Enchiridio absolvit; cum aliquo fortasse molis damno, nullo veritatis. Iustinus,*

ſtinus, quicquid Herculeâ audaciâ ſcribere Trogus Pompejus potuit. proſecutus eſt; aut quicquid ubiq; gentium Reges, populi, Vrbes geſsêre, &c. Alii contra compendia diſpendia, & peſtes librorum vocant: Quos inter *Andreas Schottus* inſcriptione tali contra Epitomatores munit *Photium* ſuum:

BONUM FACTUM
ROGAT PHOTIUS, QVI JAM PRODIT INTEGER, NE QVIS SE POSTHAC LANCINET AMPLIUS, LACERET AUT VELLICET IN PARTES. AUT EPITOMEN CONCINNET HINC OMNIUM INGRATIIS. QVI FRAUDI DAMNOQVE FORET, SIBI, LECTORI, POSTERIS. COMPENDIA NAMQVE DICENDA SUNT VERIUS LIBRORUM PESTIS, LABES, PERNICIES, ET TETRA AUCTORUM VULNERA. SIC BONIS BONA EVENIANT. QVI SECUS FAXIT, EXLEX VIVITO.

Eos, qvi in compendium redegêre philoſophiam, *Piccartus* perſtringit: *Huc videlicet deduxit* brevitas *illa* delicatiſsima, *novæ philoſophiæ filiola, napello faſtuoſæ ambitionis paſta; quæ mellitos verborum globulos, & omnia dicta, papavere & ſeſamo ſparſa pueris inſtillat; iisq; adhuc naſcentibus philoſophiam induere paucis etiam menſibus pollicetur. Idq; tantò magis dolendus eſt, quòd ſtultorum parentum, qui filios ſeverâ lege profiſ.ere volunt, accedit conſenſus,*

ſus, & conſenſu ſtultior applauſus etiam. In Philoſ. Altdorph. *Diſp. XXIII. theſ. ult.*

Salmaſius præfatione in *Lucium Ampelium* Epitomatores excuſat ab *ignaviâ ſeculi* barbarici; qvem firmare videtur *Conſtantinus Porphyrogeneta in Excerptis Peireſcianis*, ex verſione Henr. Valeſii: *Quoniam per tot annorum curricula & res immenſæ quotidiè exoriebantur, & ſcripta contexebantur; Hiſtoriæ conſcriptio ſemper latiùs ſeſe propagans, infinita jam res erat, & quæ humani ingenii vim excederet. Enim verò aliter evenire non poterat, quin hominum ſtudia & voluntates poſterioribus temporibus ad deteriora ſeſe inclinarent,* (καὶ ῥᾳθυμότερον διακεῖσθαι πρὸς τὴν τῶν φθασάντων γένεσθαι κατάληψιν, καὶ τοῖς γινομένης τῆς ἀληθοῦς ἐπιτεύξεως) *& ad cognoſcendas priorum ſeculorum res evaderent negligentiores, inveſtigatione veriſimul neglectâ: Ita ut Hiſtoriæ cognitio tenebris obvoluta redderetur incerta, tum propter librorum utilium inopiam, tum quia ad illa tot & tanta volumina vulgò homines expaveſcebant. Idcircò Conſtantinus Porphyrogeneta Imp. ----- illud primò fore optimum eſt ratus, & vulgò omnibus utile; ut libros undiq; ex omnibus orbis partibus doctrinâ variâ refertos conquireret:* Deinde (τὸ τῆς πολυπειρίας μέγεθος καὶ ἀκρατὲς ἀποκναῖον, ἄλλο τε καὶ ἐχληρὸν καὶ φορτικὸν φαινόμενον τοῖς πολλοῖς, δεῖν ᾠήθη καταμερίσαι τοῦτο εἰς λεπτομέρειαν) *vaſtam illam librorum molem, quæ lectores enecabat (cùm præſertim moleſta pleriq; omnibus, & tædii plena ea res videretur) in partes minutas putavit diſtribuendam; & luculentam utilitatem, quæ poterat inde*

principi, oculis hominum exponendam: Ὡς ἐν μιᾷ τῆς ἀπλογῆς περιοχῇ πεποιημένον καὶ συνδεδεγμένον κατὰ τύχην χάριεν τὰς τερψίμους τῶν λόγων, καὶ μνημονικωτέρους συντρέφεσθαι τὰς τῶν λόγων ὑφηδείας. Id est: *Adeò ut hoc delectu habito, majori attentione & assiduitate lectioni incumbere studiosi queant; & sermonis facundiam altiùs ac penitiùs animo imprimere.* Pag. 3. & 4. Sic Philippus Macedonum Rex, cui cum Romanis bellum erat, sublatis in *Theopompo* digressionibus, & Philippi rebus gestis (quas Theopompus scribendas potissimùm susceperat) collectis, in *sedecim* eas *libros* redegit. *Photius in Biblioth. pag.* 154. Ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν, ἐν βιβλίοις β, scripsit *Theopompus Chius*, teste *Suidâ*. Epitomas commendat *Jac. Gothofredus* Proleg. in *Philostorgium* his verbis: *Statim quorundam fastidio occurri oportet, qui* propositâ videlicet Epitomæ *appellatione eam despicatui illicò fore habituri erunt; eò quòd non nisi segmenta quædam* ἀποσπασμάτια, ἀπινθίσματα, *neq; adeò multa ex tam diffusâ Historiâ hic proponantur. Nempe enim delicatus his ita occurrimus, non ideò veterum scripta insuper haberi oportere, quòd ea haud solida semper integraq; proponuntur; verùm exiguæ sæpè tantùm ex his, velut è naufragio tabulæ, sive vetustatis injuriâ licentiâq; reliquæ. Nam ut maximè optandum foret, integros intemeratosq; veteris ævi Scriptores ad nos perveniſſe; attamen, quando votis frustrà res hîc geritur, hoc Catone contentos nos esse oportet: deq; servatis saltem reliquiis nonnullis, ut res est, gratulandum nobis est. Et verò quis tam studiorum hodiè*

rudis est, uti nesciat, redivivis hujusmodi parietinis seu Eclogis *&* Excerptis *Scriptorum, qui jam olim intercidêre, ingens hoc seculo ad meliores quasq; literas incrementum accessisse? utpote quibus non justorum tantùm passim operum instar aliquod breveq; simulacrum exhibetur; verùm quorum ope densissimis veteris memoria tenebris, modico sæpè fragmento, lux fulgentissima infertur, immanesq; hiatus implentur. Ac maximè, ubi hujusmodi* Epitomæ uberiores *existunt, & in* doctos judiciososq; Epitomatores *vel* Eclogarios *incurrêre. Quod utrumq; hîc evenit; uberiores ha, inquam, è Philostorgio Photii eclogæ sunt: Quod titulus quoq; earum ostendit, qui sic habet,* Ἐκ τῶν Ἐκκλησιαστικῶν ἱστοριῶν Φιλοστοργίου ἐπιτομή. *Nempe enim* Epitoma *majus aliquid & amplius quiddam significat: Largiora, inquam, & uberiora Excerpta, quàm cujusmodi exhibent ea, quæ* ἐκλογαὶ *tantùm dicuntur; quarum multæ sæpè non nisi unicum aliquod caput, seu locum selectum continent: Cujusmodi sunt Polybii* ἐκλογαί, *Legationum* ἐκλογαὶ *similesq;, etiam Ethica, quæ nuperrimè à doctissimo Valesio edita sunt. Pag.* 48. & 49. Haud etiam abs re Casaubonus præf. in Polybium: *Secunda & tertia partis* Excerpta *ossa & nervi sunt, carne & cute nudati. Decus forma abest, & illa vivi corporis venustas; unde tamen fructus feramus uberrimos, abundè adest. Mihi quidem videtur M. Brutus, sive est alius,* magno judicio *usus,* in *iis* seligendis, *quæ Politico informando erant accommodatissima.* Et post paullò: *Legationum* Ex-

cerpta *quam potissimum utilitatem spondeant, ipso titulo profitentur; in eum namq; finem fuêre confecta, ut viri Politici (quorum industria in simili ministerio summi Principes utuntur) documenta inde sumerent, sibi usui futura.* Super hæc *Suidas* memoriæ dedit, qvòd *Pamphila*, genere Ægyptia, vel Epidauria, filia Soteridis, conjux Socratidis (qvæ vixit temporibus Neronis) *epitomen Ctesiæ lib. III.* & epitomas aliorum Historicorum, aliorumq; Scriptorum plurimas confecit. *Zenobiam*, Odenati uxorem, Ægypti & Orientis Historiam in epitomen redegisse, auctor *Treb. Poll.* in *XXX.* Tyrannis. *Dionysius Halicarnasseus* librorum suorum *XX.* compendium fecit ipse, ut scripsit *Photius*; addit autem, in eo solùm necessaria exposuisse, eoqve *util. m* magis fuisse *operam*, qvàm svavem. *Vossius lib. II de Hist. Gr. c. 3.* Orator Athenienſis, *Heron*, Cotyos filius, epitomen Historiarum *Heraclidis* scripsit, rursus referente Suidâ. *Philonis Byblii* opus περὶ πόλεων epitomavit *Ælius Severus Athenæus*, eodem auctore. Meminit ejusdem epitomes *Etymologici magni scriptor in* Ἀρτιώη & Βακίρας. *Stephani* Ἐθνικὰ in compendium redegit *Hermolaus Constantinopolitanus*, Grammaticus, sub Justiniano, ut vult *Vossius lib. II. Hist. Gr. c. 22.* Talis abbreviator olim *Agathargidas* apud *Photium*, *fol.* 209. adde *Casaubon. lib. I. Animadv. in Athen. c. 1.* Librorum plurimorum epitomas *Sopater Apamensis* fecit; qvi vixit temporibus Constantini Magni, apud *Suid. & Photium tmem.* 161. Historiarum epitomen *Lepidus* scripsit, de qvo *Stephanus* in Τεγέα. *Labeonis* JCti libros epitomavit *Iavolenus*, L. 60. C. locati conducti, & aliæ. *Alpheni Vari Iulius Paulus*, L. 6. D. de supell. leg. Deniq; sententia mea eadem cum *Reinesiana*; qvam è literis ad me datis tibi communico integram. *Epitomas parare operum sparsiorum antiquissimum institutum est tàm Græcis quàm Latinis celebratum.* Magonis Carthaginensis *libros XXIIX. lingvâ Punicâ de Agricultura scriptos Græcè vertit*, & redegit in libros XX. Cassius Dionysius Uticensis. *Hos ad libros VI. utiliter reformavit* Diophanes Pithynus. *Varro lib. I. de re Rust. c. 1.* Heraclides Ἐπιτομὴν τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν. *Idem* Σαρπήδονος. Junius Maximus *Papinio æqualis, Præses Dalmatiæ, Imperantibus Vespasiano & Domitiano* Sallustium & Livium *contraxit.* *Laudat enim in eo Papinius artes,*

Omnes qveîs mundi senium remensus
Ossa Sallustî, brevis & Timavi,
Reddit alumnum

lib. IV. sylvarum. *Et exemplo talium* Justinus Pompejum Trogum, Plinium Solinus. *In alio argumenti genere non improbem excerpta, si cum judicio fiant; qualia habemus accurata à* Photio *nonnulla. In Historico opere auctoris alicujus gravioris, quisquis augustâ brevitate prodesse & delectare se putat TIRONI QVIDEM, ID FECERIT; aliis minùs. Et ita de* Justini qvoqve *Historiarum* compendio *sentio, cujus maligno studio factum est, ut absolutissimo opere Philippicarum* Trogi *careamus, &*

lacunas Iustini novi operis aliunde explere cogamur, inqvam, *plurimis*; *& frustrà laboremus. Et quamvis alio fortasse fine quisq; talium Epitomatorem scripserit*; *nonnullis, & solis sibi*; *de quo excusationem aliquam mereri possent: Nos tamen, quia occasione istâ, & sinisteritate subsequentium seculorum tot utilissimi scriptores in quovis ferè genere neglecti primùm, & è manibus hominum excussi, tandem planè obliterati sunt, dolore justo tacti detestamur meritò ejusmodi veteres, præsertim Auctores excerpendi & compendefaciendi morem.* Tribonianus, *qui veteres ICtos excarnificavit, & magnâ licentiâ jurisprudentiam lacerâsse priùs, tùm malè iterum consarcinâsse convictus est à viris magnis*; *quiq; multa perperam accepit*; *paragraphos è diversis locis sæpè, nec unius Iurisprudentis in unum traduxit, & non cohærentes connexuit*; *multa, quæ non intelligeret, expunxit, multa etiam Edicta veterum ad morem & jus seculi sui reformavit*; *omnes alios audaciâ superavit*: *Et, cùm (ne multitudine librorum obrueretur posteritas) illum excerpsisset, Edicta & Responsa veterum infinitis commentariis, qui compilationem ejus interpretarentur, jurgiis incessabilibus orbem replevit.* Hæc Vir ille maximæ doctrinæ, & qvod nuper deprehensum in magna felicitatis parte pono, adfinitate mecum conjunctus *Thomas Reinesius.*

AD PROLOGI

§. *1. Septingentos per annos*] Qvod *Plato* scriptum reliqvit, *pleraq; circa septimum seculum conversiones fieri*, pænè affirmare qveat hic locus. Nam

Nam *post* annum *septingentesimum*, qvàm Urbs à Romulo condita fuit, hæc omnium maxima contigit, *ut Augustus omnia nomine Principis sub Imperium acciperet, & Monarchia diceretur, quæ Respublica fuit.* Notata verò sunt de hoc numero alia non contemnenda, tum à veteribus iisqve optimis & probatissimis; qvi multum studii & ingentem laborem hisce deliciis dederunt; tum etiam à recentioribus, iisq; viris literaturæ politioris famâ maximè etiam conspicuis. Vide præter alios *Auctorem Chron. Alex. p.* 513. *Brodæum in Anthol. p.* 519. *Agellium libro III. Noct. Att. c.* 10. *& ibidem Philippum Carolum. Marius Maximus* Historias suas distribuit *in septenarios*; primum septenarium citat *Spartianus in Geta p.* 90. Similiter *Pighius in Præfatione* ad Philippum III. Hispaniarum Regem præmissa *lib. I. Annal.* sive, *Septizonio* sic ait: *A septenarii numeri mysteriis non infaustum nec ineptum libro nomen imponere placuit, qui tàm DEO quàm Regi convenit*; *& utriusq; quædam est nota, seu hieroglyphicum quoddam apud Platonem & Pythagoricos, propter causas non futiles, sed graves. Vide sis eundem in Hercule Prodicio p.* 287. 288. qvi hoc cumprimis æstimat, *quòd contineat perfectionis perfectissimæ plenitudinem, quâ mundus conditus & formatus est.* Rursus *quòd universitatem notet, omneq; tempus in se complectatur, septem dierum continuo circuitu menses annos ac secula generans*; *eâdemq; operâ corporum animatorum naturas immutans.* Sed & illud observandum docet, *Divini spiritus*

ritus vim & efficaciam ſeptenario comprehendi; cujus præcipuè χαρίσματα ſive dona numero ſeptenario ab Eſaia *vate &* D. Paulo *nominentur. Petrus Halloix* notis ſuis eruditiſsimis *in Vita S. Martyris pagina* 271. Hippocratis & aliorum Medicorum aſſertionem notat, qvi hominis vitam in ſeptenario iſto numero comprehendi notant; & ut paſſim ibi legere eſt, in 7. ætates diſtinguant; easqve annorum hebdomatibus definiant. Hanc adjicit ibidem multisqve etiam diſtinctè probat ille omninm & jam judicio ævi ſui ſapientiſsimus *Philo*; & alter ab illo *Plato in libro de Mundi opificio*; & eſt hæc: *In hominis natura ſeptem ſunt tempora, quæ aliàs ætates vocant: Infans, Puer, Adoleſcens, Iuvenis, Vir, Maturus vel Gravis*; *Senex atq; inde Decrepitus.* Atq; hæc ſunt illa ſeptem tempora ab ipſis allata. *Infans* eſt usq; ad *ſeptennium*, intra qvod dentes naſcuntur: *Puer* usq; ad *ſecundum ſeptennium*, qvo pubertas erumpit: *Adoleſcens* usq; ad *tertium ſeptennium*, qvo genę veſtiuntur: *Iuvenis* usq; ad *quartum ſeptennium* & accretionem corporis: *Vir* usq; ad annum undeqvinqvageſimum & *ſeptimum ſeptennium*: *Maturus*, vel *Gravis* usqve ad qvinqvageſimum ſextum & *octavum ſeptennium*: *Senex* & *Decrepitus* toto (qvod reliqvum eſt) tempore. *Hugo Grotius notis ad lib. III. de I. B. & P. cap.* 20. §. 25. citat hæc verba Scriptoris reſponſorum ad Orthodoxos, ad qvæſtionem LXIX. *Vt ergo memoria mundi conditi inter*

ter homines ſervaretur, ideò voluit DEus ſeptenarium *numerum in S. literis eminere cæteris honoratiorem.* His adde *Scalig. lib. Canon. Iſagog. pag.* 198. ubi inter alia: *Divinitùs inſtitutus eſt numerus dierum* ſeptenarius; *qui ad omnem civilis anni ſolaris rationem commodiſſimus eſt*; & (*ut dixi*) *neſcio quid θεῖον habet.* Unde colligas, non futilibus auctoribus aſſertam numeri hujus prærogativam; neqve ab Anili Pythagoræ ſuperſtitione manâſſe; qvod exiſtimare qvispiam poſsit, qvicqvid in cæterorum gentilium ſcriptis de hoc ipſo legitur. Imò *Pythagoras* (cui ſeptenarius numerus tantoperè commendatus eſt) ut alia, ſic hanc ſententiam *Sacerdotibus Ægyptiorum* debere videtur: Nam *Ægyptiis ſacer* erat, tum in aliis, tum in feſtis diebus, *Api Tauro*, ut credebant, *Cœleſti* (qvem in comitatu *Iſidis* recenſent *Ovidius & Apulejus*; & ex vacca fulgure afflata conceptum fabulantur, ut auguſtiores ipſius natales faciant) *feſtum ſeptem dierum* inſtitutum eſt; qvo manente, *Crocodili* ingenitam feritatem exuebant; ut obſervat *Laurentius Pignorius in menſæ Iſiacæ expoſitione p.* 18. Ægyptii, ut *Aſtronomiam, Circumciſionem* & alia, habuerunt ab Hebræis, qvorum poſteri etiam illud inter alia traditum conſervant; ante Moſis tempeſtatem (cùm jura ſcripta nondum agnoſceret orbis) à DEO *ſeptem præcepta* data fuiſſe *Noachi filiis*, qvæ juſtitiæ regulas qvasdam continebant; qvibus carere hominum vita non potuerit: Vim eorum tàm latè ad omnes pertinuiſſe, ut, qvi neſcirent ea, hos inter-

terficere in bello, atqve ex hominum communione tollere jussi Israëlitæ sint. Vide *Cunæum lib. I. de Rep. Hebr. cap.* 1. Apud eosdem Hebræos erat edicto legis cautum, *ne septimo anno terra coleretur*; neve qvasi fruges tum colligeret, qvæ cùm omnis pecuniæ fundamentum, *septimus annus* Judæos in angustias sæpè detrudebat. Igitur cùm *Alexander Macedo* Judæos *beneficium* ingens *petere jussisset*; responderunt, nihil sibi posse majus dari, qvàm uti *ne Rex septimi anni tributa exigeret*; sicut idem *Cunæus d. l. c.* 4. docet. Ut taceam alia qvam plurima jam totidem Philologis observata. Qvantum verò per Gentes hæc sententia diffusa fuerit, vel ex infinitis constare potest. *Septem convivium* faciebant, ut docet *Scaliger* ad illum versum Propertii, lib. II. pag. 238.

Romano accumbes prima puella loco.

Septimum qvenqve annum *ætati signum imprimere*, scripsit *Seneca lib. VII. de Beneficiis, cap.* 1. Septies *aquæ* fluviali, qvasi purgatoriæ, *immergebant capita*; ut videre potes apud *Beroaldum in Apulejum lib. XI. pag.* 625. Septenarius erat *numerus testium*, ut apud *eundem lib. II. Metamorph.* septem *suavia suavia*, hoc est, septem oscula verè mellita & dulcia, apud *Eund. lib. VI.* sunt sexcenta talia. *Modestus*, Archiepiscopus Hierosolymitanus, apud *Photium* pag. 524: *Septimum numerum & de virtute & de peccato in Scriptura acceptum invenimus. Meritò igitur elegit Mariam Magdalenam Salvator; è qua septem dæmonia ejecit,*

cit, ut principem peccati per illam ab hominibus expelleret.

Sed redeo ad Romanos, in qvorum historia etiam illud memorabile visum *Goltzio in tomo de Augusto*, Varianam cladem, qvæ post Cannensem omnium gravissima fuit, *quarto & vicesimo anno ultra ducentesimum* post istam contigisse; *decretoriis conversionum cladium q. in septenarium numeris.* Est & illud notatu dignum, eundem *numerum fatalem* fuisse *Carthagini*, Romani Imperii æmulæ. Nam ut præter alios scribit *Orosius lib. VII. cap.* 2. illius Imperium, qvod loco Persici inter Monarchias, à Nabuchodonosare in somnio prævisas, numerat, *annis septingentis stetit.* Has igitur observationes ut nec eximii Sophi, nec eruditissimi Philologi, nec pientissimi viri contempsêre; ita nemo ægrè ferat, nonnullas hîc à me propositas.

Tamen nec illud negandum, conversiones non paucas in numerum non septimum incidisse; qvod DEUS O. M. periodorum constitutor & arbiter nunc *annos adjicit ad resipiscendum*; nunc *adimit propter peccata nefanda.* Vide de *periodis quingentesimis Bernegg. Quæst. CLIII. in Taciti Germaniam.* Sed nec istud dissimulo, multos observationibus non vanis vana & ridicula & falsa miscuisse; qvalia reperies apud *Gvilielmum Zenocarum à Schavvenburgo in vita Caroli V. lib. IV.* inter observationes aliàs minimè vulgares. Unde fortasse

Germanis nostris natum proverbium: **Wer von sieben sagt/ der leugt gerne.** De numeris *usq; ad denarium* nugas nugaciſsimas legi apud *Nicomachum Geraſenum*, qvem excerpſit *Photius p.* 177. Apud eundem *p.* 188. ridiculam adfert cauſam *Ptolemæus Hephæſtion*, curſeptenarius numerus fuerit ſacer: *Theodorus Samothrax*, inqvit, *narrat, Iovem natum ſeptem continuos dies riſiſſe; indeq; ſeptenarium numerum pro perfecto æſtimatum.*

§. 1. *Tantum operum pace belloq; geſſit*] Ita Florus & multi Scriptores alii. *Salluſtius in Catilinario* cap. 9: *Duabus his artibus, audaciâ in bello, ubi pax evenerat, æquitate ſeq;, remq; publicam curabant.* Sulpitia Poëtria:

------ *duo ſunt, quibus extulit ingens*
Roma caput, virtus belli, & ſapientia pacis.

Horatius de Auguſto:

Res Italas armis tuearis, legibus ornes.

Iornandes de Temporum ſucceſsione: *Romani, ut ait Iamblichus, armis & legibus ſe exercentes orbem terræ ſuum fecerunt.* Similiter *Iuſtinianus* Imperator *novellâ* 24. ſcribit: *Nunquam Romanam rempubl. ex tàm parvis principiis ad tantum aſcendere faſtigium potuiſſe, ut totum pænè terrarum orbem ſibi ſubjiceret; niſi Magiſtratibus, quos* Prætores *vocabant, hinc inde in provincias ſubactas miſſis, armorum juxta ac legum poteſtatem feciſſent ad utraq; tempora tàm belli quàm pacis gubernanda.* Qvem locum debemus *Conrado Rittershuſio lib. VIII. Sacr. Lect. c. 11. Strabo lib. XVII. pag.* 839. ſcribit,

bit, Romanos Italiam, & qvæ Italiæ proxima ſunt, in ſuam poteſtatem redegiſſe, ἀλλὰ τὸ πολεμεῖν καὶ πολιτικῶς ἔχειν, *belli & pacis artibus.* Cum his tàm manifeſtis qvomodo conciliemus, qvod ſcribit Vir rerum politicarum ſcientiſsimus. *Chriſtophorus Forſtnerus notis Politicis in Corn. Tac. pag.* 454: *Romanos bellorum quidem veteres virosq; fortes, ſed ad pacis tempora neq; legibus neq; aſſvetudine inſtitutos fuiſſe. Vt nemini mirum videri debeat, rempubl. illam bellis tantum quæſiviſſe imperium, tantamq; gloriam: Contrà cùm pace gaudere deberet, velut ferrum rubigine obſitum omnem amiſiſſe ſplendorem: Adeò ut, ubi ceſſent minæ hoſtiles, cædes & bella inter ipſos cives exiſterent.* Qvam ſententiam accepiſſe mihi videtur à *Contareno, qui lib. I. de Repubi. Veneta* tum *Laconicam* tum *Romanam* rempubl. ob hoc ipſum carpit, qvòd duntaxat ad belli munera inſtitutæ fuerint, nullâ interim habitâ ratione officiorum pacis atqve otii: Indeq; effectum eſſe, ut qvam primum in otio eſſe cœperint, in deterius lapſæ ſint. Ego planè ſteterim à *Flori* & aliorum ſententia, fuiſſe etiam legibus inſtitutos ad pacis tempora; & confirmat hiſtoria diligenter lecta ab anno Urbis 416. usq; ad tempus belli *Punici III.* Inde *Pighius lib. V. Annalium* (qvi ab eo anno incipit) ÆQVICOLAM inſcripſit; qvòd, qvâ ratione Populus Rom. reconciliatis ordinibus domi jus æqvum variis legibus coluerit, reipubl. potentiam virtutum exemplis præclaris firmârit, luculenter oſtendat. Idem, *Hermeraclem* (*Hercule &*

Mercurio, qvòd *Hercules* belli præses, *Mercurius* pacis) appellat *lib. XII.* qvi refert acta, leges resq; bello gestas ab A. V. DXC. usq; ad annum DC. XC. *quo tempore*, inqvit, *maximos ejus ævi Reges ac Civitates jura Regesq; à S. P. Q. R. accipere, controversiarum publicarum huic judicia committere, sese, libros suaq; omnia horum tutelæ subjicere non puduit. Crevit itaq; justitia, fortitudinisq; vera cultu adeoq; Majestas atq; potentia Romana, ut orbis universi Reges ac populi (ad quos fama nobilis tantarum Virtutum pervenisset) ad ejus nutum haud illibenter respicerent; seseq; componerent.* Etiam *Polybius lib. VI.* causas exponens (cur Pap. Rom. par orbi terrarum esse potuerit) primam hanc reddit optimam reipubl. Romanæ formam; qvam cum *Cretensium, Lacedæmoniorum, Carthaginensium* aliorumq; rebuspubl. comparans & contendens, longè omnibus antecelluisse ostendit; etiam pacis artibus.

Huc accedunt exempla singulorum: *Claudium Cæcum*, magnum in republ. Rom. virum & potentem, *Livius lib. X.* describit, *eloquentiâ civilibusq; artibus haud dubiè præstantem: Mox callidum solertem Iureconsultum, Urbi ac foro utilem, bellicis rebus non perinde idoneum.* Qvis *Fabius M. Cunctator*? Audite *Silium lib. VI*:

Bellandi vetus ac laudum cladumq; quietâ
Mente capax, par ingenium castrisq; togaq;.

Qvi *Cato Major*? Qvi *Scipiones Nasica*? Qvi *Sempronii Sophi*? Qvi *Attilii*? dixi *lib. III. Animadvers.*

vers. Pomponianarum. Qvi *Drusus*? *cujus ingenium* (ut inqvit Vellejus lib. II. c. 97.) *utrùm bellicis magis operibus aut civilibus suffecerit, in incerto esto.* Qvid de *M. Furio Camillo* refert *Dionys. Halic. in Exc. Peir. pag. 529.* Ἀνὴρ ἦν τὰ τε πολέμια λαμπρότατος, καὶ τὰ πολιτικὰ πράττειν φρονιμώτατος, *vir fuit pacis belliq; artibus eminentissimus*? Qvid de *T. Manlio Torquato Dict.* A. V. 433. *Dio* in iisdem Exc. pag. 583: Καὶ εὐβουλος καὶ εὐπόλεμος ὡμολόγητο εἶναι. Id est: *In pace, consilio, fortitudine valebat.* Qvid de *Ti. Gracchо*, P. Scipionis Africani majoris genero, *Diod. Sic. in Exc. Peiresc. pag. 373*: Καὶ πολέμους ἐπιφανεῖς, καὶ μεγάλας μάχας εἰκὸς ἔπ τε καλῶς πολιτευμένος; erat vir in armis & toga præstantissimus.

Non possum igitur admittere, qvi Romanos negant ad tempora pacis institutos. Sed qvæ causa labentis reipubl.? divitiæ, luxus, ambitio & orta inde mala; qvæ legum, justitiæ, patriæq; virtutis oblivionem induxerant; ut tum *Sallustius*, tum noster indicabit infrà: Qvæq; non unam Urbem & provinciam (qvantumvis togatis artibus instructissimam) pessundederunt. Ita namq; res habet: Sæpè funestissimis cladibus sese objiciunt homines togati, & hoc ipso bellorum cupidi, qvòd bellorum imperiti sunt: γλυκὺ πόλεμος ἀπείροισιν, ait Pindarus, ἐμπείρων δέ νιν πολλὰ δείδοικε θυμῷ. *Suave bellum inexpertis; at qui gustavit, contremi scit animo, quoties adventans illud videt.* Germaniam nostram intuere armis & togatis artibus nuper florentissimam; qvæ pacis & aurei secu-

li tandem velut pertæsa, motus novos rerumqve conversionem exoptare cœpit. *Sicut enim dulcissimam quarunq; rerum satietas est, mel nimiam bilem generat; longa serenitas procellarum & imbrium desiderium facit.* Ita multis Germanis post inæstimabile pacis bonum *bellum non tàm inamœnum* visum est, *quàm ab aniculis vulgò describitur.* Igitur tandem his evenit, qvod *Satyro*; qvi cùm ignem, recens à Prometheo Diis subtractum, in terris primùm aspexisset; splendore elementi, & pulchritudine captus, *osculari flammam* voluit; nisi *à Prometheo prohibitus* fuisset: Cavere namq; jussus, *ne barbam succenderet*, abstinuit. Sic illis festinandum erat in belli civilis flammam; sed tantò deterioribus Satyro, qvòd malo suo rerumq;, tum publ. tum privatarum incendio admoneri maluerunt; qvàm sapientibus aliorum monitis. Sicut justè conqveritur Vir qvidam magnus in *Epistola*, qvam *manuscriptam* servo.

§. 1. *Pace belloq;*] Utroq; claruisse *Chilpericum Regem Francorum* testatur *Fortunatus:*

Inter utrumq; sagax, armis & jure probatus,
Belliger hinc radias, legibus inde micas.
Legibus arma regis, & leges dirigis armis.
Sic veterum Regum par simul atq; prior.

Utrum majus & præstantius? *Sallustium* audi *Orat. I. de* Republ. ordinanda: *Firmanda est Respubl. non armis modò, sed quod multò majus multoq; asperius est, bonis pacis artibus.* Idem sensisse *Tiberium*, Au-

ctor *Tacitus lib. II. Annal. c. 64*: *Lætior, quia pacem sapientia firmaverat, quàm si bellum per acies confecisset.* Utroq; claruit *Pertinax. Dio in Exc. Peir. pag. 735. Lætus ibid. pag. 736.* Breviter: *Bellum aliquando, Pax semper prodest.* Adde *Piccard. Dec. II. cap. 10. Bernegg. in Tuba Pacis pag. 71. & 76.*

§. 1. *Ejus ætatem ultrà putet*] Juventutem & senectutem civitatibus tribuere, familiare Scriptoribus. Vide *Petrum Fabrum lib. I. semestrium c. 9.* Audax illud Mamertini: *Vrbium mœnia renovata induisse juventutem.*

§. 2. *Sed generis humani facta discant*] Romani Scriptores totum *orbem Romanum* vocant; sed & *Romanum genus* & *Humanum genus* indifferenter usurpant. *Symmachus lib. I. Epistolarum* senatum vocat *humani generis partem meliorem.* Videndus *Salmasius in Trebell. p. 306*: *Alexander Severus*, cùm adhuc parvulus vatem consuluisset de futuris, inter alia responsum tulit:

Te manet imperium, quod tenet imperium.

Ex qvo intellectum est, Romani illum imperii Principem futurum. *Nam ubi est imperium, nisi apud Romanos, quod tenet imperium?* Hæc *Spartianus in Alex. Sev. p. 118.* Ubi *Casaubonus pag. 160*: Sic versum est duriusculè, qvod feliciùs Græcè dictum fuerat, ut opinor: Κράτος ὑπὲρ πᾶν κράτος. *Ammianus* reprehendit *Constantium*, qvòd se *totius orbis*

bis Dominum appellare ſustinuerit. *Lib. XV. p.* 33. Eodem modo de Romanis alii loqvuntur, tanqvam *totius orbis Dominis.* Latinus Pacatus: *Cui* (ſcil. Imperatori) *toto orbe terrarum privata vel publica vota redduntur.* Rutilius:

Nam Solis radiis æqualia munera tendis,
Quâ circumfuſus fluctuat Oceanus.
Volvitur ipſe tibi, qui continet omnia, Phœbus
Eque tuis ortos in tua condit equos.

Statius: ---- *Stabit dum terra, polusq́;*
Dum Romana dies ---- ---

Idem vult, qvod Rutilius: Nihil Solem illuſtrare, niſi Romanæ ſubditum poteſtati. *Tertullianus de Pallio* orbem terrarum *rus Romani Imperii* vocat. Hæc & alia plura in ſolentiùs dicta ſunt qvàm veriùs; ſicut illud, qvod *Argelaus* inſcripſit æneæ *ſtatuæ Alexandri M:*

Ἀνδάσονη δ' ἔοικεν ὁ χάλκιος, ἐς Δία λεύσων,
ΓΑΝ ὙΠ' ἘΜΟΙ ΤΙΘΕΜΑΙ, Ζεῦ, σὺ δ' Ὄλυμπον ἔχε.

Hic vel in ære Iovem affatur ſermone ſuperbo,
Subdita terra mihi eſt: Iupiter aſtra tene.

Poëtæ inexcuſabiles, qvi (ut videmus) longiùs, & extra limites eunt, ſed Hiſtoricos & Oratores videtur tueri *Philo de Legatione*, cùm ait: *De plurimis utiliſſimiſq́; orbis partibus loquor, & eminenter* (κυρίως) *aliquis orbem appellet; definitur amnibus duobus: Euphrate & Rheno.* Vide *Hugonem Grotium*

tium de I. B. & P. lib. XI. c. 22. §. 13. & in Notis ad illum locum.

§. 2. *Vt ad conſtituendum ipſius Imperium contendiſſe Virtus & Fortuna videantur.*] Nihil contra veritatem hîc noſter; Virtutis qvidem *exempla* ſtupenda prorſus, & *ignaviſſimum hoc ſeculum in ruborem datura; niſi pudorem omnem tam occidimus*, collegit *I. Lipſius lib. IV. de Magnitud. Romana:* Et occurrunt apud noſtrum paſſim. Romanos plus Virtuti, qvàm Fortunæ debuiſſe, docet *Polyb.* Vide *Caſaub. Præf. Polyb. pag.* 31. Hinc illa elogia, ut Romam dicerent *Imperii Virtutumque Larem; Virtutum omnium Matrem, Virtutum omnium latiſſimum templum; templum totius orbis, totius Mundi.* Collegit *Frid. Lindenbrogius ad Ammianii lib. XVI.* Inprimis aureum hoc Virtutum ſeculum illuxit temporibus bellorum, cum *Porſenna, Pyrrho & Hannibale* geſtorum. FORTUNÆ ROMANÆ tum alia, tum illud in *bello Gallico*, planè illuſtre teſtimonium habemus, cùm captâ Urbe & Capitolio, negligentiâ præſidiariorum in extremum periculum adducto, *anſer ſervavit ſcopulum illum, qui ſolus Romanis de tot terris ſupererat.* Agnovit id *Vegetius*, ideoq́; in ſtuporem datus ſic exclamavit: *MIRA FORTVNA! VIROS, qui univerſum orbem erant miſſuri ſub jugum, una avis ſervavit.* Vide præter alios *Plutarchum* in peculiari *libro de Fortuna Romanorum.* Adde de hac fortuna Popul. Roman. inſignem locum *Tac.*

lib. III. Hist. c. 46. & lib. eod. c. 59. De Fortuna imperii idem *Tac. lib. IV. Hist. c. 57.* Idem *lib. V. Hist. c. 21.* de Ceriali: *Subitus consiliis, sed eventu clarus: Aderat Fortuna, & ubi artes defuissent, &c. Fortuna reip.* vocat *Tac. lib. XIV. An. c. 38 §. 5. Cic. Catilin. I. c. 6.* adde *Gronov. ad Liv. lib. VI. c. 30.* Habeo & illud Fortunæ Romanæ documentum, qvòd sæpè Romani Duces açie imperitissimè instructâ vicerint tamen: Consulendus de Cajo Flaminio *Polybius lib. II. cap. 33.* E qvo *Erycius Puteanus comment. in libr. I. Historiæ Insubricæ* Ducem illum FELICIOREM vocat, qvàm FORTIOREM. Cùm igitur Romanis de fortunæ beneficio tàm manifestè constaret, templis & aris eam venerati sunt, nunc FORTUNÆ PUBLICÆ, nunc FORTUNÆ REIPUBLICÆ, nunc FORTUNAE POPULI ROMANI, nunc FORTUNAE ROMANAE nominibus cohonestârunt. Meminit præter alios *Ovid. libr. V. Fast.*

Nec tepratereo populi Fortuna potentis
Publica, cui templum luce sequente datur, &c.

Eandem in nummis reperit *Hub. Golzius*, qvi videndus *in Thesauro Antiquitatis.* Cæsares callido postea consilio ut omnia Reipubl. Romanæ, sic hancipsam suam fecêrc; ut nihil in nummis aliisqve veterum monumentis freqventiùs occurrat qvàm: FORTUNA AUGUSTA, & ANGUSTI. FORTUNA AUREA. FORTUNA REGIA. FORTUNA PRINCIPIS. FELICITAS AUGUSTI. Colebatur au-

autem in cubiculo Principum, & unà cùm Imperio tradebatur successori: Qvod ex *Capitolini Antonio Pio & M. Antonino Philosopho*; item *Spartiani Severo* constat. De hac capiendus *Ammianus Marcellinus lib. XXX.* non procul ab initio, ubi recenset omnia, qvæ *Valentiniani* obitum præcesserunt: *Nocte per quietem videbat conjugem suam absentem sedere passis capillis amictu squalenti contectam; quam æstimari dabatur,* Fortunam ejus *esse, cum tetro habitu jam discessuram.* Simulachrum ejus è nummis & marmoribus *præfat. in l. I. Annal.* exhibet Pighius *mulieris adultæ figuram in habitu Romano matronali, comptam, & sedentem in cathedra; uti firmam, stabilem & sedatam tranquillamq; esse repræsentaretur. Frons illi diademate latiori decora videbatur; quo Reginam humanæ conditionis agnoscerес: Dextrâ manu tenebat navis temonem, subjacenti globo impositam, quo rerum in orbe volubilium & fortuitarum omnium regimen penes illam esse significabatur. Sinistro in brachio AMALTHEÆ CORNV fructuum (quibus vita sustentatur) omni genere plenum sustinet: Demonstrans, divitiarum ac felicitatis sortes per ipsam dispensari.* De hoc fortunæ habitu *Vales. ad Ammian. pag. 224.* Videbis etiam hujus imaginem apud *Octavium de Strada num. CLXXXV.*

CLXXXV. p. 176. Nec diversa censenda est ab ea, qvam *Scaliger ad Tibullum* in Numismatis vidisse scribit, *gubernaculum tenentem, & uno pede insistentem globo vel pilæ.* Sed qvod Vir incomparabilis de hac Versus illos *Pacuvii* (qvi reperiuntur apud *Auct. Rhet. ad Herenn. lib. II. cap.* 23.) accipit:

Fortunam insanam esse & cæcam & brutam;
perhibent Philosophi;
--Saxoq; instare globoso, prædicant volubili,
Id quod saxum impulerit Fors, eò cadere,
Fortunam autumant.

id non est communi Romanorum mente: Qvorum nonnulli FORTUNAM istam REGIAM, per ingressum matronalem, gravitatis & constantiæ argumentum; perq; cognomen AUREÆ (qvod solidæ virtutis, judicii, sapientiæ ac dignitatis symbolum est) distingvebant ab illa LEVI, CELERI & INSTABILI; ut *d. l.* præclarè ostendit *Pighius.* Formam verò hujus simulachri vel *ab Ægyptiis* acceperunt Romani, qvorum etiam Hieroglyphica æmulabantur in nummis: *Ægyptii* namq; *Cereri*, sive *Isidi* (qvam eandem cum *Fortuna*, *Hyginus* & *Avienus* crediderunt) cornucopias affinxerunt; & hoc ipsum, cùm in *duodecim signorum* asterismis varias figuras exprimerent, pro *virgine* delineârunt: Sed temporum injuriâ tàm corruptum, ut qvæ VIRGO, qvod illius signum sit, hodiè nemo verè sciat. Primus autem illi formam suam dedit, qvi

qvi toti antiqvitati decus suum, *Claudius Salmasius ad Solinum p.* 1235. & 1236. Ubi ex veterum Mathematicorum libris, in qvibus *nota xirginis* effigiatur



super-ductâ lineâ cornu-copiæ effigiem efficiendam docet hoc modo: Cùm hodiè pro virgine in Calendariis nescio qvam figuram detinent. Vel etiam Romani habuerunt à Græcis vicinis, imò conditoribus & doctoribus suis. Nam, ut scribit *Pausanias* in Messeniacis: *Fortunæ signum omnium primus Bupalus finxit, capiti polum imposuit, alterâ verò manu Amalthea, quod Græci appellant, cornu tenentem fecit.* Eodem qvoq; modo *cum cornu copiæ* (observante Salmasio) *justitia vel æquitas pingi solebat*; *ut* in annulo apud Gorlæum, qvam rursus *eandem cum Astrica illa virgine habuerunt.* Qvæ observatio lucem & interpretationem accipit ex illis versibus *Hesiodi lib. I. Operum & Dierum*; qvos ita vertit *Livinejus ad Paneg. II. cap.* 11:

Justitia non ægra fames cultoribus instat,
Non nexa, læta usq; epulis, quin munera cordi,
Vber & annona tellus, montesq; per almos
Luxuriant summâ glandes, media ilice mellæ
Balantûm & molli densatur vellere secla,
Et similes patrum dat casta puerpera natos,
Perpetibusq; bonis florent, nec cura per altum
Puppe vehi, latumq; tumet seges omnibus arvis.

Et

Et ex istis *Vlyssis ad Penelopen ap. Homerũ* Odyss. 19:

---- Nam cœlo tua gloria vivida surgit,
Qualis honorati Regis, cui numinis instar
Armiferos latâ populos ditiore tenenti
Iustitiæ pia cura. Olli stant hordea totis
Triticeusq́ labor campis, devexaq́ pomis
Arbor, oves & fœtu & lætum piscibus æquor,
Et fortunatæ placido sub Principe gentes.

Ut ad *Fortunam Romanam*, sive *Publicam* revertar, ultimum ejus Fortunæ cultum reperio in *Excerptis Photii ex vita Athanasii*, p. 499: *At Iulianus* (Imperator) *qui idolis delectabatur, Sacrificia Constantinopoli FORTVNÆ offerebat publicè.*

§. 2. *Virtus & Fortuna*] Hoc verè admirandum: Mulri felices, sed nullâ virtute præditi; multa virtute præditi, sed non felices. Illud affirmat *Theognis* versu 161:

Multis mens læva est, sed eisdem Numina dextra,
Quèis, malè quod cœptum est, vertit & in melius.

Item *Tacit. lib. II. Histor.* cap. 82: *Quibusdam Fortuna pro Virtutibus fuit.* Vide *Freinshem. in Curt. lib. VIII. c.* 10, §. 18. Hoc confirmat Maximiliani I. dictum apud *Iovium lib. XVI.* Historiarum: *Plerunq́ fieri, ut, ubi virtus superbit, ibi Fortuna deficiat.* Unde *Apulejus lib. VII. Metamorph.* in Fortunam graviter invecti[9]: *Subibat me*, inquiens, *non de nihilo veteris priscæq́ doctrinæ viros finxisse, ac pronunciâsse, cæcam & exoculatam prorsus esse Fortunam;*

nam; quæ semper suas opes ad malos & indignos conferat, nec unquam judicio quenquam mortalium eligat. Imò verò cum his potissimum diversetur; quos procul si videret, fugere deberet. Sed hanc pagani querimoniam compescent *Senen. lib. de Provid. c. 5. & B. Aug. lib. I. de Civit. Dei* cap. 8: *Est enim Fortuna non cæcum aliquod Numen, sed ipsa voluntatis DEI; quâ arcanâ quadam ratione administrantur res, ut vel succedant rectè, vel secus.* Qva de re plura *Bernegg. Quæst. in Tacit.* 150. Adeundus etiam de loco *Ammiani Marcellini* (qvem dict. *Freinshemius* citat) *Rittershus. lib. VIII. Sacr. Lect. c.* 11. *pag.* 625.

§. 3. *Ipsa sibi obstat magnitudo*] Nimirum his officit, qvi tyrones etiamnum studiorum; qvod hoc loco monet *Virdungus*, & huic sententiæ firmandæ adducit illud *Quintiliani*, princip. lib. VIII: *Incipientibus brevius ac simplicius tradi magis convenit; aut enim difficultate institutionis tàm numerosa atq́ perplexa deterreri solent, aut eo tempore (quo præcipuè alenda ingenia atq́ indulgentiâ quadam enutrienda sunt) asperiorum rerum tractatu atteruntur.* In aliis rebus qvantum obstet magnitudo, sententias veterum dicam *ad lib. IV. cap.* 2. §. 49.

§. 3. *Faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt*] Alio simili usus Sextus Ruffus: *Morem secutus calculatorum, qui ingentes summas ariis brevioribus exprimunt; res gestas signabo, non eloquar.* Eodem cum nostro *Ausonius* in Gratia-

rum

rum actione: *Placet signanter & breviter omnia, quæ novimus, indicare, nec persequi; ut qui terrarum orbem uniùs ambitu tabulæ circumscribunt, aliquanto detrimento magnitudinis, non veritatis ullo.*

§. 5. *Circum ipsam matrem suam*] Posis ex *Ammiano lib. XXI. pag.* 196. dicere bellum *circummuranum.*

§. 6. *Hoc fuit tempus viris armisq; incitatissimum: Ideò quasi adolescentiam dixerit*] Cùm ad adolescentiam ventum, primamq; juventutem, magnus est sanguinis impetus; viresq; jam se nimis cognoscunt. De qvo qvidem æstu sic judicat *Barclajus in Icone Animorum* cap. 1: *Hoc maximè est ad indicium futuræ virtutis, si ipse inter cætera affectuum genera aliquid valdè volet; id quicquid est, nimio ac veluti percipiti fervore complectens.* Qvibus moribus cùm in adolescentia esset *M. Brutus*, non id negligendum censuit *C. Julius Cæsar*; dicebat enim teste *Cicerone lib. XIV. Epist.* 1. ad Atticum: *Magni refert, quid hic velit; sed quicquid vult, valdè vult.* Ipse *Cicero* in adolescentibus maximè videtur æstimâsse impetum, qvi in ea *pro M. Cælio* sic ait: *Non loquor de sapientia, quæ non cadit in hanc ætatem: De impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam: Quæ studia in his jam ætatibus nostris con tractiora esse debent: In adolescentia verò tanquam in herbis significant, quæ virtutis maturitas, & quanta fruges industriæ sint futuræ.* Vide sis de hac ipsa re *Cic. Philipp. V. c.* 17. & de Pompejo *Eundem pro Balbo cap.* 6. *Grut.*

6. *Grut. ad Liv. lib. XXXI. cap.* 21. *Piccartum Disp. XXXI. Quæst. VI. pag.* 324. *Idem in Orat. posth. pag.* 651. 652. Hinc est illud, qvod tantoperè miratur *Cominæus lib. I. c.* 10. ubi: *Quicunq; mortalium ad summa aliqua fastigia ascenderint, resq; insignes gesserint, summâ adolescentiâ eas aggressos esse.* Qvam assertionem non difficile est confirmare qvàm plurimis exemplis: *Iphicrates, viginti annorum* adolescens, qvantus orator, qvantus Imperator fuerit, vide apud *Just. lib. VI. c. 5. §. 2. Alexander M.* itidem annos *viginti* natus, regnum orditur, & paullò post *bellum Persicum*; qvo profligato, errarum supremum imperium nationi suæ peperit. *Idem lib. XI. c.* 1. Apud *Achæos* solemnis ad rempubl. capessendam annus fuit XXX. *Valesius ad Polybii Exc. Peir. p.* 22. *Hiero*, postea Siciliæ Rex, qvàm gloriosam adolescentiam habuerit, docet *Polybius lib. I. cap.* 8. qvi conferendus cum *Just. lib. XXIII. cap.* 4. Nec alius *Philopœmen Megalopolitanus* apud eundem *Polyb. lib. II. cap.* 67. 68. qvi cùm in prælio contra *Cleomenem*, Spartanorum Regem, maximam operam patriæ navâsset; *Antigonum*, Macedoniæ Regem, ad Alexandrum eqvitum præfectum dixisse ferunt: *Adolescentem Megalopolitanum strenui Ducis officio functum, ipsum verò Alexandrum, qui Dux erat, gregarii adolescentis. Hannibalem*, cùm A. V. 577. *Romanos ad Cannas* fudisset, annos *unum & triginta* fuisse natum, colligo ex *Livii lib. XXX. cap.* 37. ubi Hannibal se-

metipsum fatetur annorum XLV. esse; cùm A. U. 531. pacem cum Romanis, civibus suis svaderet. *Arminius*, decus illud Germaniæ, florentissimi imperii Cæsarisqve invictissimi terror, juvenili prorsus ætate, res magnas gessit. *Varum* cum tribus Legionibus Romanis fudit, anno ætatis XXVI. *Marobodduum* anno XXXV. ut colligit *Lipsius ad lib. II. Annal. Taciti c.* 45. Idem Tacitus *lib. XIII. Ann. c.* 6. sic scribit: *Octavodecimo ætatis anno Cn. Pompejus, nonodecimo Cæsar Octavianus civilia bella sustinuerunt. Pleraq; in summa fortuna auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geruntur.* Addendus de Cn. Pompejo *Diod. Sic. in Exc. Peir. pag.* 408. 411. 412. De Cæsare Octaviano cum cura scriplit *Nic. Damascenus*; qvem vide *in iisdem pag.* 475. *& seqq.* *Germanicus Cæsar* (qvem qvi nescit, is in tota Romana Historia hospes est) obiit anno 34. vitæ acceptæ. Qva propter de eo *Tacitus d. lib. II. cap.* 73: *Erant, qui formam, ætatem, genus mortis ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, M. Alexandri fatis adæquarent. Nam utrumq; corpore decoro, genere insigni, haud multùm triginta annos egressum, suorum insidiis, externas inter gentes occidisse.* Vide plura de eo apud *Sveton. in vita Caligulæ cap.* 1. 2. 3. *Iulianus*, *Cæsar*, qvem (si religionem excipias) inter fortissimos, temperantissimos & prudentissimos Imperatores (idenim elogium habet ab ipsis B. Patribus, qvos vide apud *Vales. ad Ammian. pag.* 299.) referre posses, victo-

victoriis certè in Occidente reportatis Illustrissimus vixit annos XXXI. Sicut notatur à *Photio in Excerptis è vita Sancti Athanasii.* Vide tamen *Valesium Ammian. p.* 298: *Germanum*, Dorothæi filium, describit *Agathias lib. V. pag.* 153. admodum qvidem juvenem, *& jam primum barbescentem; sed animo Duce digno præstantem, & rerum conatu ætate longè grandiorum.* Nec desunt gemina in militia togata: *Oppianus* mortuus XXX. ætatis anno, ut docet *Rittershus. in Oppian. lib. IV. Halieut. vers.* 256. Item *Virgilius lib. IV. Georg.* sub finem:

----- audaxq; juventâ,
Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi.

Ad hæc *Persius* Satyricus novem diebus priùs obiit, qvàm annum vitæ XXIIX. impleret: Natus enim L. Vitellio & Paullo Fabio Persico COSS. A. U. 786. prid. Non. Decembr. & denatus VIII. Cal. Decembr. P. Mario Celso, L. Asinio Gallo COSS. A. U. 814. ut ex vita Persii descripta ab auctore veteri computat ad illum Poëtam *Casaubon*°. Denique *Iohan. Picus Mirandulanus*, seculi sui facilè princeps, anno ætatis XXXIII. ut legimus apud *Boissardum in Iconibus Virorum Illustrium.*

§. 8. *A Cæsare Augusto in seculum nostrum haud multò minùs anni ducenti*] *Vossius lib. I. de Historicis Latinis c.* 30. legit: *Anni centum quinquaginta*; de qva correctione dubito, an proba sit? Non enim hîc computandum est secun-

dùm veritatem chronologiæ Romanæ, sed secundùm mentem Flori. *Ab urbe condita ad Augustum* computat *septingentos* annos, *n.* 1. hanc sententiam suam repetit *num.* 5. 6. & 7. dum *à Romulo ad Regifugium* numerat annos ducentos qvinqvaginta; *à Regifugio ad Appium Claudium & M. Fulvium* Consules annos 250. *Abhis ad Augustum* 200; qvi colle&i conficiunt *septingentos*. Jam ab anno septingentesimo ad seculum Flori, qvî dici potest annos esse, haud multò minùs 150? Demus, scripsisse paulò *pòst initium Trajani*, qvi ad imperium pervenit A.U.849. secundùm calculum Catonis; nihil annorum deficeret, (qvod tamen voluisse Florum, arguunt illa, *haud multò minùs*) sed numerum annorum centum & qvinqvaginta excederet tempus inter annum septingentesimum, & ætatem Flori. Cùm autem nulli dubitemus, nostrum illum ipsum esse, qvi *Poëta* floruit *sub Hadriano*; verisimile est, hanc Epitomen scripsisse *extremo Trajani principatu*, A.U.868. præter propter; qva de re mox plura. Igitur cùm jam maxima pars seculi effluxisset, hoc est, anni 68. atqve ita octavum jamjam abire videretur in seculum nonum; Auctor noster *numeros* libenter *rotundans*, annos 32. qvi deficiebant, tantùm non susqve deqve habuit.

§. 8. *Quibus inertia Cæsarum quasi consenuit*] De Romanis Cæsaribus (cùm eorum ad M. Aurelium Claudium Imperatorem longa jam series

ries texeretur) mimum qvendam dixisse refert *Vopiscus* in Aureliano: *Qui ex eo omni numero boni fuissent, in uno annulo perscribi depingiq; posse*. Igitur cùm Romani Romani esse desiissent; & imperii fulcra (qvæ fortitudo, gloriæ maximum certamen, sanctitas morum & temperantia, qvondam fuerant) luxus & ignavia & superbia subduxissent; res Romana, tanqvam ingens arbor annis confecta, vigoreq; exhausta, tandem exaruit. Atq; ita cum omnibus impiis comparatum esse, prudenter judicavit *Sallust. in Catil. cap.* 2: *Vbi pro labore desidia, pro continentia & æquitate lubido atq; superbia invasêre; fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optimum quenq; à minùs bono transfertur*. Hanc verò Romani imperii senectutem cùm consideraret *Otto Frisingensis*, simile *fatum Babylonis* fuisse deprehendit. Digna comparatio est, qvam integram describamus: *Et vide, quàm non solùm ortus ejus, sed & finis Babylonia similis appareat imperio. Illa post non multos annos conditionis suæ gentes cœpit subjicere: Hæc similiter cùm ad robustam venit ætatem, paulatim crescendo, ac primò vicinas urbes subvertendo, pòst ad ulteriora se extendendo ad totius orbis pedentim apicem venit. Sed sicuti nemo repentè fit summus*; vel præcipitanter *de summo infimus*: *Ita prædicta urbs, cùm in summo, ut dixi (quo altiùs in terra non potuit) fastigio fuit, & humiliari deberet; cœpit paulatim vires perdere, & quasi jam in senili ætate posita, defectum honoris (quem in robusta contraxerat ætate) pati. Accesse etiam*

etiam ad miseriarum cumulum (quæ semper caducarum rerum est) sedis mutatio sub Constantino facta. Et sicut ibi regno ad Medos *translato solo nomine mansit imperium: Sic & isto* ad Græcos *atq;* Francos *derivato, urbis tantum antiquæ dignitatis de nominis mansit vestigium.* Illa *primùm sub* Arbacto *præfecto suo dehonorata est, & post à Cyro etiam subacta; hæc similiter ab* Alarico *primùm dehonestata, postmodum ab* Odoacri *jure Principis possessa est.* Hæc & plura ille *lib. IV. c.* 31. ubi tamen *errore* manifesto *Babylonem* confundit *cum Nino*, vel *Ninive*; qvæ regia *sedes Sardanapali* sub *Arbacto* dehonorata est: *Babylon* verò non item; qvæ *ex lapsu Nini majus incrementum accepit.*

§. 8. *Decoxit*] Elegans hujus verbi usus apud Scriptores classicos. *Seneca lib. I. de Benef. c.* 1. ait: *Id enim genus hujus erediti est, ex quo tantum recipiendum sit, quantum ultrò refertur*; decoqvere *verò fœdissimum.* Ubi *Lipsius:* Decoqvere *valet fidem nolle, aut non posse liberare foro cedere.* Item *Sen. Epist.* 81. scribit: *Post naufragium maria tentantur: Fœneratorem non fugat à foro* decocto.

§. 8. *Nisi quòd sub Trajano Principe movet lacertos*] *Salmasius* legit, *movit*, dissentiente *Freinshemio*; qvem ad vulgatam retinendam commovit seqvens *revirescit*: Debebat enim aliàs, *reviruit.* Qvò minùs & ipse *Salmasio* accedam, illud est, qvòd cum hæc *sub Hadriano* scripsisse velit, qvî potuerit Florus *solius Trajani* meminisse *præterito Hadriano*? Næ altiùs descendisset hoc in pectus Hadriani, eo cumprimis ingenio præditi, Imperatoris ut super Trajanum habere gloriam desideraret. Vide *Baronium in A. C.* 120. *num.* 2. *Scalig. in Euseb. ad num.* 2133. *Lipsium lib. III. de Magnit. Rom. sub finem*; ubi ex hac causa *pontem in Danubio* (qvem *Trajanus* struxerat operum omnium arte & difficultate maximum, si non sumptu) rursus destruisse putat. Præterea si *de mortuo Trajano* auctori nostro sermo est (qvod vult *Salmasius*) cur omittit solennem titulum DIVI? Sed hoc arbitrarium dicat qvispiam? Ego non credo, Trajani mentionem factam sub Hadriano, absq; usurpatione honoris istius. Ut qvi sub Trajano Nervæ patris & Antecessoris cùm meminissent, DIVUM pronominabant: (*Tacitus lib. I. Histor. I. §. 6.* sic ait: *Quòd si vita suppeditaverit, principatum* Divi *Nervæ & imperium, Trajani uberiorem securioremq; materiarum senectuti seposui.*) Ita haud dubiè omnes, qvi sub Hadriano Trajani patris & Antecessoris; cui (ut est apud *Spartianum*) divinos honores à Senatu *Hadrianus* ipse postulavit. Qvæ cùm ita sint, in eam venio sententiam, *vivo* etiam *Trajano* Enchiridion hoc *scripsisse Florum*; *non* verò imperante *Hadriano.*

§. 8. *Quasi redditâ juventute revirescit*] Ita loqvebantur & alii. *Sextus Aurelius Victor* ait, post multos atqve atroces tyrannos, perdito atqve prostrato statu Romano, *Trajanum in remedium tantorum malorum divinitus datum* fuisse; usqve

eò, ut advenientem *temporum felicitatem* cornix è Capitolii fastigio prædixerit: ἴσαι μάλα κοὐλῶς. Falsa & nugatoria omnia! Hic enim est *felicissimus* ille *Trajanus*, qvi Romanum imperium reliqvit multis tumultibus & rebellionibus populorum concussum, ac ferè proculcatum. Insurgebant *in Arabia Agareni*, qvos tantùm abest, ut Trajanus domare potuerit, ut multùm periclitatus, vi numinis recedere coactus fuerit. Prodigia tum facta recenset *Xiphilinus* hunc in modum: *Prodigia acciderunt multa, tonitrua atq; fulgura: Arcus ingens in cœlo visus est: Tempestas & grandines immensæ: Præterea (quod monstro simile existimatum est) quoties Romanus cum hoste manus conserereret, ictu fulminis avertebatur. Orta subitò muscarum vis, edulibus & poculis insidens; fœdo contactu cuncta Romanis gravia & molesta faciebat. Iudæi Andreâ duce rebellantes ducenta & ampliùs hominum millia crudeliter interfecêre.* Teste eodem. Qvid qvòd *Antiochiam*, cùm in ea hybernaret Trajanus, ira Numinis *terræ motu* sic afflixit (nec Antiochiam tantùm, sed totum ferè Romanum orbem) ut nunqvam gravius. Describit calamitatem toties laudatus *Xiphilinus*, nunquam sine horrore mihi lectam. Ille idem Trajanus est, cui numi percussi sunt: S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. SC. IND. P. R. cum Rhinocerote. Hoc est, *India populi Romani*. Et alii cum epigraphe: S. P. Q. R. OPT. PRINCIPI. S. C. INDIA. PRO. P. R. Hoc est: *Provincia Populi Romani*. Impudentissimâ vani-

vanitate profectò: Nam qvantis difficultatibus conflictatus sit in expeditione illa Orientali, & qvanta cum clade sui exercitus ex ea revertens *Selinunte* obierit, docet iterum *Xiphilinus*. Ut taceam alias immensas imperii Romani sub hoc Principe calamitates. Nimirum *Babylonem* sive "
idololatricum Romanum imperium tandem, qvic- "
qvid est malorum, inficere, affligere & prosterne- "
re debebat; secundùm pientissimorum viro- "
rum, & inter eos *S. Iohannis Apostoli* vaticinium "
in *Apocalypsi*: Ut eò lætiùs surgeret, & in omnes "
terras diffunderetur *Christiana religionis* splen- "
dor, *à Trajano crudeliter pressa*. Qvâ in orbe "
Romano superante, cùm summam rerum admi- "
nistrarent Christiani Principes; cùm potiora Se- "
natus lumina è Christianis essent, & jam *crux* "
Salvatoris staret *in vexillis militum*; tùm verius "
erat, qvod dixit Florus: *Imperium Roma-* "
num redditâ juventute reviruisse. Et qvod "
Prudentius Symmacho objecit in Prosopopœia "
Romæ: "

——— Senium omne renascens
Deposui, vidiq; meam flavescere rursum
Canitiem. ———

(o)

IN LIBRI I.
CAPUT I.

§. 1.

ILle & urbis & imperii conditor] Hinc intelligimus, qvantum elogium *Viriati* sit infrà *lib. II. cap.* 17. §. 15. ubi: *Si Fortuna cessisset. Hispaniæ Romulus*, hoc est, qvi Romuli exemplo (nam & ille pastor initio, deinde Imperii Romani fundamenta jecerat) Hispaniæ suæ imperium terrarum orbis virtute suâ fuerat conciliaturus. Hîc igitur attendenda *distinctio inter initium urbis & imperii*: Rarò enim initium est amborum, qvia tum demum imperium habere urbs dicitur, qvando sui est juris & potestatis: Ut qvando habet potestatem propriis auspiciis bellum gerendi. Statim cum ipsa urbe Roma imperium cepisse, scribit *Dionys. Halic. lib. I. c.* 3. Nonnunqvam autem fit, ut urbis idem sit finis atq; imperii; ut accidit *Trojanis* & *Carthaginensibus*: Item *Hierosolymitanis* à Tito devictis. Nonnunqvam manet urbs, non imperium, ut *Hierosolymis captis* à Pompejo. Nonnunqvam urbs deleta, imperium manet; sed aliò translatum. Qvod contigit *Ieselo, Heraclea* & *Medauco*, veteris Italiæ civitatibus. Nam post earum ruinam imperium translatum fuit ad *Rivaltum*; ut notat *Vossius in Arte Historica cap.* 16.

§. 1. *Mar*

§. 1. *Marte genitus*] Qvo mendacii genere non semel tegebatur infamia natalium. *Herculis pater*, qvem *Iovem* Poëtæ dicunt, indubiè fuit *magnus aliquis mœchus*, qvales *hodieque in aulis* alienæ pudicitiæ insidiantur; *non Ioves, sed Vejoves*. Sic nec de *Alexandro M.* dubitatur, qvin *spurius* fuerit, cùm *Philippus* Rex ipse palàm diceret, *non esse hunc filium suum*; ut scribit *Iustin. lib. XI. c.* 11. §. 4. *Octaviani* Cæsaris matri, qvę *à dracone compressam* se putabat, idem fortè contigit, qvod *Paulinæ Romanæ*; qvæ cùm à sacerdote Isidis pecuniâ corrupto, decepta dignatam se putaret amore *Anubidis*, *Decio Mundo* suppositâ fuit. *Ioseph. lib. XIIX. c.* 4. De *Aristomene*, de *Aristodama*, de *Arato* vide *Pausaniam lib. IV. Messentacorum*. Romulum & Remum qvod attinet, immane qvantum fallitur *Livius*, cùm *lib.* I. ait: *Eam esse belli gloriam populo Romano, ut cùm suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat; tàm & hoc gentes patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur.* Nam ut oppressæ jugo in gratiam Romanorum hoc credere visæ sunt; tamen verus animi sensus liberè tandem prorupit, cùm veritas nullo periculo constaret. Sic enim scitè Ausonius in divitem qvendam glorioſum:

Martem Remumq; & conditorem Romulum
Primos parentes nuncupat.
Credo, quòd illi nec pater, certus fuit,
Et mater est verè lupa.

Cæ-

Cæterùm vel hinc constat spurios ac nothos aliqvando maximos viros evasisse. Talis & *Iugurtha* fuit apud *Sallustium in Iugurth. cap. 6.* Ac nuper *Iohannes Austriacus*, Caroli V. nothus è Catharina concubina; victoriis contra juratum Christi hostem illustrissimis. Et *Ernestus Mansfeldius*: Ut his & aliis motus, nescio qvis, apud *Euripidem in Antigone* parùm referre putârit, nothus sis an legitimus:

Ὀνόμαστ μεμιστὸν τὸ νόθον, ἡ φύσις δ' ἴση.

Hoc est, interprete Cantero:

Nomen nothi culpatum est, natura par.

§. 1. *Rhea Silviâ*] Nusquam aliàs occurrit, qvod notat *Salmasius ad Solini cap. 1.* hanc Σιλβηλίαν vocari in φλεβοτομίοις Cysini templi, qvod matri Attali & Eumenis erat dedicatum; qvo qvæ varias anaglyphas historias continebant. Qvò ferè accedit, qvod apud *Ælian. lib. VII. Var. c. 16.* legimus Σιλβίαν. Sed *Bongarsius* ad Justini lib. XLIII. cap. 2. §. 2. ibi mavult Σιλβίαν.

§. 2. *Sacerdos*] *Amulius* cùm regno ejecisset *Numitorem* fratrem, stirpem etiam ejus virilem interemit: Fratris filiæ, *Rheæ Silviæ*, per speciem honoris cùm vestalem eam legisset, perpetuâ virginitate spem partus adimit; ut scribit *Livius lib. I. c. 4.* Huc pertinet stratagema Lacædemoniorum adversùs Eleos, apud *Diod. Sicul. in Exc. Peir. p. 224.* De Constantinopolitanis Imperatoribus *Alemannus in Arc. Hist. Procopii, pag. 82.* Apud nostros cùm lenissimè agitur, eos, qvos succedere sibi nolunt, aut qvorum bonis inhiant; monasteriis mancipant: Qvi ne infelices sibi videantur, majore honore afficiuntur, qvàm cæteri. Qvod etiam animadversum *Zevecotio*. Sed atrociora sunt, qvæ observavimus alibi. Cùm *Berengarius*, Rex Italiæ, *Ludovicum* è Caroli M. posteris *Bosonis filium*, Ludoviti II. è filio nepotem, Veronâ proditione captâ, in potestatem suam redigisset; ei non solùm oculos, sed etiam instrumenta libidinis ademit; ne filii fortasis vindictam, regnumq; molirentur; ut è nostris Annalibus scribit *Erycius Puteanus comment. in Historiam Insubr. p. 275.* Est & alia fraus in fœminas: *Abortivum dare*. Qvâ *Helenæ*, sorori Constantii, *Juliani* Cæsaris *conjugi*, *Eusebia Constantii* insidiata est; auctore *Ammiano Marcell. l. XVI.* Cujusmodi medicamenta (ut *ibid.* notat *Lindenbrogius*) Græci vocant ὀμβλωθρίδια φάρμακα. *Paulus ICtus L. XXXVIII. §. 5. D. de pœnis*, *Abortionis poculum*. Qvo remedio etiam aliàs multarum dedecora incognita latent. Sed & per *Magiam* sæpè impediebat *virilitatis facultatem*; qvod exemplis è Poëtarũ scriptis firmare possemus, si placeret has commentationes nostras extendere. Hoc dicebant *defigere*. Auctor Herbario, qvod Apulejo falsò adscribitur, de herba Leontopodio: *Si quis* devotus defixusq; *fuerit in suis nuptiis, sic eum resolvas*. *Defictionem* alii vertunt καλάδεσμον, ut Glossarium vetus: *Defictiones* καταδέσμοι, qvod

qvod citat *Scaliger in Cirin pag.* 77. Dicuntur igitur aptissimè *ligati* & *defixi*, qvibus arte Magicâ membra illa sic præpediuntur, ac funerantur; ut viros uxoribus suis fungi neqveant. Alii fascinum istud dicunt *nodum Veneris*, alii *ligulæ ligaturam*; alii *nodum Magicum*, ut observat *Salmasius ad Solinum p.* 1088. 1089.

§. 2. *Nec mox fama dubitavit*] Vel plùs qvàm mortalis viderentur, vel Diis acceptissimi, qvi maximos qvosq; casus evasêre. Sic apud *Virgil. lib. IV.* divinitatem Æneæ collegit Dido:

Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.
Degeneres animos timor arguit. Heu quibus ille
Iactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!

Huc referendus discursus iste *Sosthenis ad Leucippen* apud *Achillem Tatium*; qvæ Therandri nuptias fastidiebat: *Itanne virum*, inqvit, *piratam existimas, quem adeò diligunt Dii, ut ex ipsis mortis faucibus eripuerint? Atq; sumptâ hinc dicendi occasione, naufragium recensuit, Divinâ ope factum inquiens, quòd evaserit*; ac non dissimilia propemodum iis, qvæ de *Arionis delphine* Poëtæ fabulantur.

§. 3. *Vber admovit infantibus*] *Plutarchus* in Romulo: *Suspectam quidam habent fabulam & commentum; nos cùm cernamus, quanta vis sit Fortunæ, non debemus ei fidem derogare; reputantes animo, rem Romanam non sine Divino aliquo auspicio & magno miraculo fuisse eò potentiæ progressuram.* Videndus etiam *Conon apud Photium c.* 48. In fabulis & historiis reperimus multa similia; cumprimis *Semiramidem à columbis nutritam*, apud *Diodor. Sicul. lib. II. c.* 4. *Iovem ab apibus*, apud *Servium in Æneid. III. v.* 104. *Midam à formicis*, apud *Val. Max. lib. I. c. 6. ex. 2.* & *Ælianum lib. XII. var. Hist. c.* 45. *Melitæum*, ejusdem Jovis ex Othreide filium, *abiisdem*, apud *Antonium Liberalem in Metam. fab.* 13. *Habidem à cerva*, apud *Justin. lib. XLIV. cap.* 4. §. 8 *Platonem* rursus *ab apibus*, apud *Ælianum d. l.* ut & *Hieronem*, apud *Justin. lib. XXIII. c.* 4. ac *B. Ambrosium*, apud *Surium Tom. II.* ex vita Ambrosii; qvam *Paulinus* descripsit. Non semper ergò conficta esse hæc, fusè alibi demonstrant ea, qvæ habet *Camerarius Cent. I. c.* 75. Nimirum cùm secundùm *Barclajum lib. II.* Argenidos:

---- Nunquam tranquilla exordia fatis
Heroum eximiis, nec deniq; naufraga virtus;

Deus id genus exemplis providentiam suam efficaciter ostendit: Et fit, qvod *Leunclavius lib. I. Historiæ Musulmannicæ* sapienter censet: *Fieri plerunque, ut, quò magis impedire homines progressus eorum nituntur, quos cœlestis Providentia magnis destinavit imperiis; eò faciliorem ipsis ad præfixam divinitùs metam, perveniendi viam efficiant.* Qvam in rem

vide

vide memorabilem historiam apud *Piccartum dec. XVI. c. 9.* de Lupoldi Comitis filio, non solùm *Gotefrido Viterbiensi* & *VVernero Rollevvincko* (qvos Piccartus citat) memoratam; sed & *Sigfrido Presbytero Misnensi*, veteri Chronologo, *lib. I. Epist. pag.* 158. *in A. C.* 1025. Adde eundem *Camerarium Cent. I. c.* 30.

§. 4. *Nam Lavinium patris Æneæ contemserat*] Non tanqvam patris, sed tanqvam novercæ. *Juvenalis* sat. XII:

Atq; novercali sedes prælata Lavino.

Servius ad *Virgilii* lib. I: *Vitans novercalem invidiam, Albam condidit.* *Agrippina* noverca qvalis in privignum *Britannicum* fuerit, vide apud *Tac. lib. XII. Ann. c. 26.* *Livia* in *Agrippæ* & *Iuliæ* privignæ sobolem, *Tac. lib. I. Ann. c. 3. §. 4. & c. 6. §. 4. & c. 33. §. 5.* De *Zenobia* in *Herodem* adeundus *Treb. Pollio* in *Herode & Mœonio, pag.* 193. Adde *Diod. Sic. lib. IV. c.* 44. Sic autem Treb. Pollio de Herode: *Sed erat circa illum* Zenobia novercali *animo; quâre commendabiliorem eum patri fecerat.* Nec abs re *Seneca Consol. ad Helviam cap.* 2. Ita nullus sincerus affectus inter novercam & privignos. Vide *Scip. Gent. in lib. de Secund. Nupt. c. 9. Rittershus. lib. III. Sacr. Lect. c. 25.*

§. 4. *Ab his Amulius*] Historiam de *Faustulo* ad *Amulium* abducto; itemq; raptu virginum, bello Romuli cum Cœninensibus, *Nicolaus Damascenus in Exc. Peir. de Bello p.* 463. *& seqq.* exscripsit è *Dion. Halicarnasseo.* §. 5. *I*

§. 5. *Igitur statim primâ juventæ face*] Vide notam ad *prolog. §. 6. Val. Maxim. lib. I. c. 3. in pr. & lib. IIX. c. 7. Camer. Cent. II. Embl.* 29. Cum his miscendi non sunt præcoces, de qvibus *Quintil. lib. I. c. 3. Piccart. dec. XI c. 10. & dec. XIV. c. 4. Freinsheim. in Curt. lib. IIX. c. 5 §. 15.*

§. 5. *Ipse fluminis amator & montium, apud quos erat educatus*] Natale solum (de qvo etiam *Rittersh. in Oppian. lib. II. Cyneg. vers.* 306.) summè diligi, notat hîc *Gruterus*, citante *Freinshemio*, & qvoties illud deserendum est, ejus desiderium faciliùs se ferre homines putant, si vel nomen relictæ imponatur illi loco, ad qvem fato delapsi sunt, ut exemplis aliqvot ostendit *Idem ad Liv. lib. I. c. 1.* *Severus Imp.* patrii *leguminis* avidus fuit. *Spart. in Sev. p.* 71. Qvibus addo, qvod *VVelserus* observat *lib. V. Rerum Vindelicarum*: Solitos Romanos in coloniis tum publica tum privata ædificia Romanum ad exemplar conformare; tanto naturæ instinctu, qvo ad patrii soli memoriam omnibus modis revocamur. Sic, inqvit, *Helenus apud Virgil. lib.* III. *Æn.*

----- Parvam Trojam, simulataq; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Constituit.

Et Æneas lib. V:

----- Hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Esse jubet.

Inde est, qvòd in qvibusdam coloniis *Campum Martium*, & nescio, qvæ hujus generis reperimus; Sed freqventissimè *Capitolia*, *&c.* De Capitoliis aliarum urbium videndus est *Iust.* Rycqvius in singulari *comment. De Capitolio Romano*, *cap. ult.*

§. 6. *Adhibuêre piacula*] Omninò lego ex *Iornande*, qvi nostrum exscripsit: *Adhibere placuit Deos.* Freinshemiana correctio non placuit. *Oraculum* enim *voluntas Divina hominis ore enuntiata*; ut ait *Sen. lib.* I. *Contr. procem. p.* 37. Superstitio vetusta, ne qvis Rex Magistratusvé inauspicato crearetur. Qvæ *ex Asia* migravit *in Hetruriam*, hinc ad *Aborigines*; & ab istis *ad Romulum*. A Romulo habent Romani; de qvibus *Casaub. ad Sueton. Aug. c.* 95.

§. 8. *Prima certè victima fuit* Nimis verum est, *ipsa naturæ vincula dominandi perversâ cupidinè dissolvi. Hostes facti, qui fratres erant: Nihilque profuit eodem sanguine concretos esse; in iisdem visceribus, priusquam nascerentur, velut domo habitâsse*; ut verba *Puteani* mea faciam è *lib.* II. *Hist. Insubr. pag.* 135. Prudenter *Tacitus* monet: *Arduum eodem loci potentiam & concordiam esse. lib.* IV. *Ann. c.* 4. Si exemplis pluribus agendum est, habemus apud *Iustinum lib.* XXI. *cap.* 1. §. 6. *Dionysium*; *lib.* XLII. *c.* 4. §. 4. *Orodem*; *& d. l. c.* 5. §. 1. *Phrahatem:* Apud *Tacitum lib.* XIII. *Annal. c.* 16 & 17. *Neronem*: Apud *Iosephum lib. XIII. Antiq. Iud. c.* 19. *Aristobulum*: Apud *Dionem* & *Herodianum Caracallum*: In Historia Turcica Imperatores plerosq;. Adde *Grut. in Liv. epit.* 62. De filiis Constantini *Vales. ad Amm pag.* 193. 194. De Caracallo etiam *Spartianus pag.* 86. in ejus vita: *Chilo* iterum Profectus, & ferè Consul, *occisus à Caracallo, quòd concordiam inter fratres svaserat.* Exemplum his contrarium refert *Polyb. in Exc. Peir. p.* 307. 336. *Tacit. lib. II. Ann. c.* 43. *fin.*

§. 9. *Imaginem urbis magis quàm urbem fecerat*] Multa huc facientia congessêre *Bernegger. ad Iustin. lib. II. c.* 12. §. 14. *& quæstion. in German. Taciti* 167. *Freinshemius ad hunc locum Flori*, *& in Curtii lib. V. c.* 1. §. 8. *Gruterus ad Liv. lib. I. c.* 8. *Savaro ad Sidonii Apollinaris lib. VII.* Qvibus addo illud *Himerii apud Photium: Viri, ut ajunt, urbes sunt, non domus ipsæ.* Desumptæ autem hæ sunt sententiæ è penu principis Philosophorum; is enim *lib. III. de Republ. c.* 3. ubi (qvonam modo eadem civitas sit dicenda aut non eadem, disputat, evolvitq; diligenter) *tria consideranda* docet: *Illocum* s. urbem ipsam. *II. populum. III. formam gubernandi*, democratice, oligarchicè, principaliter: Ex his priora duo materiæ, ultimum verò *formæ* civitatis rationem habet. Vulgus autem hominum ad materialia ista respicit; populum scilicet, mœnia atq; ædificia; & metitur inde rem, & civitatem eandem, vel diversam hinc putat. Philosophus autem potiùs ad formam respicit, qvando scilicet eadem forma manet, hoc est πολιτεία, sive ordo certus

inter eos, qvi imperant & parent: Ac proinde civitatem unam ac diversam esse judicat respectu politiæ ejusdem, vel diversæ.

§. 9. *Erat in proximo lucus: Hunc Asylum facit*] *Plutarchus* in Romulo: *Mox jactis urbis fundamentis, Asylum aperuerunt profugis & fugitivis; quod* Dei Asylæi *appellârunt, omnesq; recipiebant, neq; servum dominis, neq; creditoribus nexum, nec magistratibus reddebant homicidam; verùm & inviolatum locum ex Apollinis oraculo præstare se asserebant.* Hinc *infamis lucus* est Lucano, *infame asylum* Juvenali, *populus de sceleratis & nocentibus congregatus* Cypriano. Sed vide, qvomodo ab hac infamia l beret *Albericus Gentilis lib. II. de Armis Rom. c* 2. ubi, qvod docet *feciſſe Romulum ad imitationem Græcorum*, verum est. Apud eos *tribus generibus* hominum *perfugium* in Asylis: *Servis, obæratis, maleficis.* Consulendus *Tacitus lib. III. Annal. c.* 60. *& ibidem Lipsius.* De Asylis & eorum jure docebit etiam multa præclara *Hugo Grotius lib. II. & I. B. & P. c.* 21. Scripsit de hoc ipso argumento tractatum *Georg. Rittershusius*, Conradi filius. Sic *Camdenus in Britannia* pag. 578. ait, injustam magnitudinem crevisse oppidum *Beverly*, cùm in honorem *Iohannis de Beverly*, Archiepiscopi Eboracensis, loco *Asyli jus* concessissent; qvod *obæratis, & rerum capitalium suspectis* liberum & tutum erat perfugium. In qvo statuebatur cathedra è saxo, cum hac inscriptione:

HÆC SEDES LAPIDEA Freedstooll DICITUR i. PACIS CATHEDRA, AD QVAM REUS FUGIENDO PERVENIENS OMNIMODAM HABET SECURITATEM.

§. 9. *Et statim mira vis hominum*] Vir maximus & immortalitate dignus, qvi homines, magistratibus suis contumaces & errones in obsequium Legum redegit; & ex iis tantam civitatem constituit! Sic *C. Iul. Cæsar* (ut est apud *Svetonium* in ejus vita *c.* 65.) *militem à moribus non probabat*; intellige, cùm legeret: Sed lectos tamen sub disciplina habebat (ut patet ex seqventibus ejusdem *Svetonii*) *tractabatq; pari severitate.* Item: *Cùm hostis in proximo esset, tum maximè exactor gravissimus disciplinæ.* Deniq; ex ipsius *Cæsaris* verbis *lib. III. Comment. de bello Gallico cap* 52. *Non minùs se in milite modestiam quàm virtutem atq; animi magnitudinem desiderare.*

§. 9. *Populumq; Romanum ipse fecit*] Hæret in hoc loco *Freinshemius*, non ego: Cui ἐμφατικώτατον videtur illud, *ipse*. Sicut apud *Ennium* ejus loco positum demonstrativum pronomen *TV*

--- *O Romule Romule, dic. ô:*
Qualem TE patriæ custodem Dî genuerunt!
TV produxisti nos intra luminis oras
O pater! ô genitor, ô sanguen, Dîs oriundum!

Barthius *lib. LX. Adverſ. p.* 2845. legendum putat verſu altero: *Quales TE patria cuſtodem Di genuerunt.* Cæterùm videmus aliis hunc loqvendi modum qvàm freqventatiſsimum. Auctor *Pervigilii Veneris*: *Ipſa vellet ut venires, ſi diceret virginem.* Ubi Weizius: *Ipſa, domina, Venus, Pronomen ipſa demonſtrativum eſt; habetq; præciſam aliquam, ac veluti perſonalem demonſtrationem ejus rei, cui adjicitur. Tiraquellius Tom.* 3. *pag.* 401. *& nos in commentar. Terentiano* 640. Hæc Weizius. Eſt & κολακευτικὸν apud Græcos. *Theophraſtus* de adulatore: *In via ſi qui fiant obvii, ſiſtere gradum jubent* ἕως ἂν ΑΥΤΟΣ παρέλθῃ, *donec ille transierit.* Ad qvem locum Caſaubonus: *Vt in lingva ſancta* הוּא, *hu ipſe pro DEO aut Chriſto abſolutè ponitur; ſic apud Græcos honoris appellatio eſt* ΑΥΤΟΣ. *Id nominum propriorum loco uſurpabant* ſervi, *cùm de* dominis *ſermo eſſet.* Ariſtophanes *in Ranis*:

ΑΥΤΟΣ ὡς εἰσερχόμεναι.

Scholiaſtes: ΑΥΤΟΣ ἀντὶ τοῦ, ὁ δεσπότης. *Sic & Latini.* Plautus *in Caſina: Ego eo, quò me ipſa miſit.* Hoc eſt: *Hera mea. Erat &* diſcipulorum *vox, cùm de* præceptore *loquerentur; unde illud:* ΑΥΤΟΣ ἔφα. *Apud* Platonem in Protagora, *pulſantibus fores Calliæ Sophiſtæ reſpondet janitor:* ὁ σχολὴ ΑΥΤΩΙ. Hoc eſt: *Doctori non vacat.* Hæc & plura *Caſaubonus.*

§. 10. *Res erat unius ætatis populus virorum*] Ita ſcribendum *absq; ſemicolo*, qvod obſcurat ſenſum. Qvid velit, *Livius lib. I. cap.* 9. explicat: *Iam res Romana adeò erat valida, ut cuilibet finit imarum civitatum bello par eſſet; ſed penuriâ mulierum homines ætatem duratura magnitudo erat; quippe quibus nec domi ſpes prolis, nec cum finitimis connubia eſſent.* Igitur *populus virorum* hìc eſt *multitudo*, vel *copia virorum.* Qvod etiam *Freinshemius* docet *in Indice*; cui addas velim *Berneggerum ad Iuſtin. lib. X. c.* 1. §. 6. (qvanqvam hic obſervationem ſuam debere videatur *Lipſio ad Senec. lib. VI. de Benefic. cap.* 23.) *Ioh. Iſaacium Pontanum in lib. VII. Saturn. Macrobii c.* 1. *Voſſium lib. IV. Inſtit. Orat. p.* 103. *Scipionem Gentilem ad Apologiam Apulejì p.* 243. *Dreſſemium ad Iscanum p.* 77. 78. *Morellum in Statium p.* 104. Rem qvod attinet, penuriâ mulierum (de amplianda hominum auctione vide verba *Hadriani, L. ult. D. de bonis damnat.*) concidere qvantumvis magnam civitatem, docet *Gruterus ad dictum Livii locum*, ubi addendum illud *Stobæi* Serm. LXXIII: *Quemadmodum choro grata eſt illorum, à quibus conſtituitur, duratio, & exercitui militum: Sic etiam civitati civium. Quippe ſi civitas temporaneus quidam cœtus eſſet, ejusq; vita hominis ætate comprehenderetur, ſucceſſione non indigeret. At quoniam ad multas ætates extenditur, ac ſi Dæmone propitio fruatur, longa aliquot ſecula perdurat; procul dubio non præſens ſolùm, ſed futurum etiam tempus ſpectandum eſt; & natale ſolum haud quaquam ſolitarium, ſed ſpe poſteritatis noſtræ*

innixum relinquere convenit. Adde *Agellium lib. I. c. 6. Dionem lib. LVI. in* oratione Augusti adversùs cœlibatum. *Lipsium ad Tac. lib. III. Ann. c. 25.* ubi de *lege Papia Poppæa.*

§. 10. *Quia non impetrabantur, manu capta sunt*] *Manu*, hoc est, *vi*, ut *in Indice* multis explicat *Freinshemius.* Ita *Curtius lib. IIX. c. 2. §. 22.* dixit: *Angustias munitas ac validas barbari manu tuebantur.* Ubi rursum vide *Freinshemium. Seneca lib.* III. *de ira, c. 2.* ait: *Nobiles conjectatus viros, supplicium* manu *sumsit:* Ubi *Lipsium.* Habent à Græcis, qvi χειροδίκαι dicunt, cùm

---- *rigido jus dicitur ense.*

Nostri, das Faustrecht. Refero etiam huc, qvod apud *Ciceronem* observavi. Sunt *Æschyli* versus, qvi leguntur apud Plutarchum:

Ψυχῆς νοσούσης ἐστὶν ἀτρεὶ λόγοι,
Ἐὰν πρὸς ὀργὴν καιρὸν γε μαλθάσσῃ κέαρ,
Καὶ μὴ σφεγγῶσι θυμὸν ἰσχανῇ βίᾳ.

Hoc est: Si verbum verbo reddas. *Ægræ mentis medela oratio est; si quis in tempore medicinam admoveat, nec animum tumentem compescat per vim.* Sed ultima ista, *per vim*, *Cicer. 3. Tuscul.* vertit *manu:*

Potest mederi oratio iracundiæ,
Si quidem quasi tempestivam medicinam adhibens
Non aggravescens vulnus illidat manu.

Hic

Hic verò qværitur, jurene virgines Sabinas rapuerint Romani? Affirmo: Sic n. occursum est malitiæ, qvæ generationem (maximum sacrorum, & prima commendatum nobis Dei ac naturæ voce) pessundare, conata est. Qvò pertinet, qvod legimus in historia Israëlitica *Iud. cap. ult. & apud Iosephum lib. V. Antiq. c. 2.* Excisâ bello civili *Benjamitidâ tribu*, cùm soli *sexcenti* superessent; nec qvisqvam iis propter jusjurandum (qvo se *Israëlitæ* initio belli obstrinxerant) uxorem elocare posset; tandem *iis concessum est, ut in solenni festo virgines raperent: Patribus agrè ferentibus responsum daretur, ipsos in culpa esse, qui iræ in Benjamitas nimis indulserint; iisq; filias suas pertinaciter negârint.* Videndi hîc *Albericus Gentilis lib.* II. *de Armis Romanis c. 2. Clapmarius lib.* II *de Iure Dominat. c. 7.*

§. 10. *Simulatis ludis equestribus*] In *Neptuni* honorem qvotannis excolebantur. *Dionysius lib.* I. *cap. 33. & lib.* II. *c. 31. Plutarchus in Romulo. August. lib.* II. *de Civ. Dei cap. 7.* Raptarum virginum historiam TITURII Sabina familia conservaverunt in numis, qvos etiamnum hodiè habemus. Ab altera parte *duo juvenes Romani raptas ferentes virgines* conspiciuntur; subscriptum: L. TITURI. Ab altera *imago T. Tatii* Sabini; & à cervice *cognomen* SABINUS; & *sub mento* literæ T. & A. sibi implexæ hoc modo: $\overline{A}$, qvæ *Tatii nomen* indicant. Vide *Goltzium in Fastis pag. 1. num. 3.* Alii harum literarum loco habent, A. PU. qvod

significat ex *argento publico* percussum numum, apud *Fulv. Vrsinum in Fam. Rom. p. 262.*

§. 10. *Quæ ad spectaculum venerant*] Poterant honestiùs abesse: Nihil enim tàm damnosum bonis moribus, qvàm in spectaculo desidere. Tum enim per voluptatem facillimè vitia surrepunt, ut inqvit *Seneca epist. 7.* Cui succinens *Cyprianus epist. 2.* ad Donatum: *Quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, revertitur impudica.* Tamen adhuc sanctiores erant apud antiqvissimos Romanos ludi, ac postea fuerunt; cùm ne ludis qvidem scenicis interesse possent fœminæ Romanæ, sine consensu eorum, in qvorum potestate erant. Nam ex *Valer. Maxim.* scimus; P. *Sempronium Sophum* conjugem repudii notâ affeciisse, cùm se ignorante ludos spectâsset.

§. 11. *Feretrio Iovi*] *Scaligeri* sententia, qvæ *Freinshemio* displicet, nobis placet. Docet is *Castigationibus in Propertium*, à *feretro pompæ triumphalis* dictum esse. Nam spolia ducis hostium cæsi *suspensa*, fabricato ad id aptè *ferculo*, per triumphum *in Capitolium Iovi Feretrio* (cui id templum dedicatur erat à duce Romano) ferebantur. *Plutarchus in Romulo.* Videmus etiam hunc ritum in numis *M. Claudii Marcelli* pulchrè expressum. „ Sed nota hic generositatem antiqvorum ducum „ ac Regum non subditos (de qvorum corio ho„ diè plerumqve luditur) sed Reges ac belli faces „ perseqventium. Ita *Porus* apud *Iustin. lib. XII. cap. IIX.* Alexandrum, Regem Macedonum, privatum sibi hostem deposcit. Ipse *Alexander* apud *Crutium lib. III. c. 11. §. 7. opimum decus casso Dario quærebat.* *Æneas* apud *Virgilium lib. XI.* de se profitetur:

Non bellum cum gente gero, Rex nostra reliquit
Hospitia, & Turni potiùs se credidit armis.

Thrasybulus apud eundem *Iust. lib. V. c. 10. §. 2.* dixit: *Triginta se dominis, non civitati bellum inferre.* *Drusius* apud *Sveton. in Claud. c. 1.* ex hoste super victorias opima spolia captat, & summo sæpè discrimine duces Germanorum totâ acie insectatur. Eodem modo *Iathatines*, Turcorum dux, ipsum qværebat Imperatorem Græcorum, apud *Nicephorum Gregoram lib. I.* Huc referenda qvæstio: *An capti duces hostium necari debeant?* de qva *Piccart. Disp. XLII. thes. 33. 34. 35. 36. 37. 38.*

§. 12. *Sabinis proditæ portæ per virginem: Nec dolo*] *Virdungus* hîc aliqvid deesse credidit, sed potest vulgata lectio tolerari; donec de corruptela è manuscriptis certiores simus, & illa: *Nec dolo*, explicari: *Nullâ malitiâ contra patriam.* Nimirum *Florus* totus stat ab eorum sententia, qvi scriptum reliqvêre, *Tarpejam* Sabinos potiùs circumvenire voluisse, qvàm cives suos, Cùm enim *mercedem proditionis* pepigisset, qvòd *in sinistris manibus* Sabini haberent; non intellexisse *armillas & annulos*, sed *arma & clypeos*; ut sic intectos & nu-

nudos Romanis trucidandos objiceret. Fidem autem huic narrationi *Florus* habuit ideò, qvòd legisset, *Tarpejã* istam tum honorificè à suis sepultam, tum *Tarpejæ rupi* ab illa nomen inditum. Qvæ causæ in præsentiarum sufficiunt, qvò minùs *Florum* in hac historia dubitâsse statuamus. Igitur & seqventia: *Illi ut & fidem solverent & ulciscerentur*, hanc unam interpretationem ferunt; qvam etiam *Virdungus* sub manu habuit: *Sabinos fidem solvisse tradendo, quæ in sinistris gerebant; & semetipsos, quos virgo per speciem proditionis Romanis inermes objectum iverat, vindicâsse, obruendo clypeis.* Observavi & hoc in Romanis Scriptoribus, solere *turpitudines à suis amoliri*, qvibus possent modis. Res *manifestas*, sed *atrociores in dubium vocant*; in dubiis *leniorem sententiam amplectuntur*. Omnia in gratiam & laudem populi sui. *Polyb. lib. III. c. 20.* falsè ridet, qvòd etiam *pueris suis viriles tribuant virtutes*; & pueritiam, tanqvam Romanis ingeniis indecoram, abstergant; cùm ait: *Hoc quoq; præter cætera Romanis Fortuna (si Diis placet) est largita, ut indè à pueris statim sapiant. Ita huc illuc affectibus trahuntur.* Nec mirum, si *Florus* in digniorem Populo R. narrationem inclinârit, *Scriptor affectibus sæpè deditissimus.* Qvod vel in *hoc cap. §. 8.* deprehendimus; ubi *parricidii crimen* qvàm artificiosè *aversum* it à *Romulo*. Aliàs exempla non desunt eorum, qvi odio proditionis in proditores, etiam sibi utiles, animadverterunt. Vide pulchrum exemplum apud *Polybium lib. IV. c. 18.* Nam è *Clitophonte*, Gallicarum rerum Scriptore, *Plutarchus*, & ex eo *Brunnerus lib. I. Annalium Bojorum p. 107.* scribit, *Brennum* in Asiam transgressum, cùm *Ephesum obsideret*, in *plebejæ virginis amorem* incidisse; qvæ & usuram sui corporis, & ipsius adeò urbis proditionem Brenno promiserit; si aureis armillis donaretur: Cujus ille avaritiam detestatus, ut cui tantillo auro & patria & pudicitia venalis esset, *vivam ingesto auro* jusserit *obrui*. Cujus historiæ similitudine fortè deceptus *Simyus*, Poëta vetus, scriptum reliqvit, Romulo olim Rege, *Capitolium à Tarpeja Bojis & Celtis* (qvorum Rex Brennus) *proditum esse*. Cujus versus è *Plutarchi Romulo* citat, & refutat *VVelserus lib. I. Rerum Boic. p. 7.* Memorabile est etiam, qvod *Berneggerus* refert in *Tuba pacis*: Mortuo *Henrico*, Lusitaniæ Rege, cùm *Philippus II.* Hispaniæ Rex, *Albano* duce magnum exercitum *in Lusitaniam* misisset ad occupandum regnum; erant in Senatu Lusitanico, qvi causam Hispani publicè privatimq; juvabant; suspectum jam nimiæ spei nimiæq; potentiæ, ultrò efferentes: & Occidente deserto spectantes Orientem: cùm præsertim ille largis promissis eorum animos sibi conciliaret; & ad usus suos adjungeret. Qvid fit? Re ad votum Hispani gestâ, edunt isti *libellum supplicem*, qvo Rex navatam fideliter operam, & merita in se collata, intelligeret, eademq;, præmiis ac liberalitate regiâ pro ea, ac promiserat, pensaret. Qvibus ille respondit: *Verum se Lusitaniæ hæredem esse, proinde ipsis non licere id regnum muneribus*

ac proditionibus promissis vendere. Qvinimò capitis eos pœnam promeruisse, qvòd regnum illud exlibera voluntate muneribus aliisqve similibus modis despectis non tradiderint; se tamen *capitalis supplicii gratiam eis facere, præmia nulla debere.* Dignum Rege! *Dignum id genus proditoribus responsum!* De aliis vide *Piccart. decad. IX. c.* 10, *Grut. in Liv. lib. I. c.* 11.

§. 13. *Ita admissis intra mœnia hostibus, atrox in ipso foro pugna*] Lectionem hanc, ut antiqvam & veram, in textum recipit *Freinshemius*, motus auctoritate *Gruteri*; cujus tamen notæ vulgatæ A. 1609. nihil horum loqvuntur. *Salmasius* antiqvitatem scripturæ probans, testatur eam in omnium optimo vetustissimoq; *codice S. Nazarii*, item in antiqvissimo *Iornandis exemplari Nazariano*; & in altero *Longobardico* ejusdem *Iornandis*, non minùs vetusto, legi. Ego non dubito, qvin antiqva lectio sit; sed an sana? Cujusmodi antiqva vitia & apud *Iosephum* animadversa sunt *Casaubono*, ut ipse testatur *epist.* 534. *ad Scaligerum pag.* 637. ibi: *Iosephum fœdissimis ante* 1200. *annis mendis esse deformatum, neq; Ruffino, veteri interpreti, neq; ulli recentiorum suboluit, tu sapè demonstrasti. Quales & in auctoribus aliis.* Verior est & omnium consensu historiarum fulta tum duorum Palatinorum tum Vinetianorum Codicum lectio: *Ita admissis ad mœnia hostibus, atrox in ipso aditu pugna.* Qvi alteram lectionem veriorem putant, vehementer falluntur; & *Livium* non intelligunt, qvi *lib. I.* *Metium Curtium*, inqvit, *ab Sabinis principem ab arce decurrisse & effusos egisse Romanos toto, quantum foro spatium est; nec procul à porta palatii fuisse.* Loqvitur hic *tanquam de suo ævo*, non de Romuli ἐξ ἀϐλητου; sed perspicuè *Auctor de Viris Illustribus* in Romulo: *Romulus adversùs Tatium, qui montem Tarpejum tenebat, processit; & in eo loco, ubi nunc Romanum forum est, pugnam conseruit.* Diligenter attendendum illud, *nunc*. Nam cùm pugna inter *Sabinos* & *Romanos* depugnaretur, nondum forum erat: Et commissum illud prælium *non in urbe Roma, sed extra* ejus mœnia; *inter arcem Tarpejam* & *urbem Romanam. Arx* siqvidem *Tarpeja* tunc erat adhuc *extra urbem*; munimentum nihilominus urbi adversùs corruptionem hostium. Hoc, qvod dixi, confirmat *Dionysius lib. II. c.* 52: *Facto fœdere Romulus & Tatius planitiem Capitolio subjectam, excisâ sylvâ & stagno, qvod propter loci cavitatem erat aquarum, è vicinis montibus manantium, receptaculum; terrâ congestâ repleto, in hujus, qvod nunc est fori, usum verterunt.* Vide plura apud *Alexandrum Donatum lib. I. de Vrbe Rom. c.* 3. Nec in alia sententia fuit ipse Florus. Nam suprà, cùm §. 9. ait, *lucum fuisse in proximo*, utiqve intelligit, fuisse extra urbem. Atqve lucus, sive *asylum*, erat in monte *Capitolino*; cujus etiam pars est *arx Tarpeja*. Consulendus idem *Donatus lib. II. cap.* 10. Qvamobrem *contra mentem* ipsius *Flori* est hæc *lectio*, qvam probant viri doctissimi.

§. 13. *Sta-*

§. 13. *Stator Iupiter*] De hoc *Tomasinus lib. de Donariis c. 3.*

§. 14. *Intervenêre raptæ laceris comis*] Simile refert *Brunnerus lib. II. Annal. Boj. pag. 201. è Plutarchi libro de Virtutibus Mulierum, & Polyæno lib. VII. Stratag.* de Gallis: *Stabant jam instructæ acies, eadem utrinq; arma & signa, stultas arguentes iras; & dominis suis verecundiora; gliscebatq; jam pugna, victis & victoribus ex æquo luctuosa; cùm fœminæ tunc certè viris sapientiores extransverso impetu facto, in utramq; aciem se intulêre, & appositâ precatione tela primùm, deinde etiam iras maritis extorsêre; implicatam etiam litem (quæ bello causam dederat, quamq; velut Gordium nodum non nisi gladio scindi posse viri rebantur) tantâ ingenii dexteritate solvêre, ut jam iis sanctum aliquid & providum inesse crederent; & in posterum etiam decernerent, in consultationibus de pace bellove nunquam hoc tàm certum oraculum esse negligendum: Et lites domi foris ortas ex mulierum potissimum sententia dirimendas, quòd semel non importuna locutæ crederentur omnibus horis sapere.* Haud forsan absre Senecæ (*lib. I. Contr. 1.*) verba: *Inter funestas acies armatæ manus in fœdus porriguntur. Perierat totus orbis, nisi tam finiret misericordia.*

§. 14. *Secutæ res mira dictu, ut relictis sedibus suis hostes in novam urbem demigrarent*] Ad augendam urbem multiplex fuit consilium Romuli: I. asylum aperuit. II. necari vetuit par-

tus; nam antiqvorum hæc dira fuit immanitas, ut recens natos infantes liceret tollere, vel exponere ad cædem; & liberos aut servos exponere tædio curandi. *Casaub. ad Svet. Claud. c. 15. & ad Strabonem p. 271. Lipsius Cent. I. ad Belgas, epist. 85. Grotius notis ad lib. II. de Veritate Christianæ Religionis p. 391. edit. Paris. sive edit. Lugd. pag. 180. Freinshem in Curtium lib. IX. cap. I. §. 25. Berneggerus in Germ. Tac. quæst. III.* Id Romuli tàm præclarum præterit hîc noster, sed refert *tertiam* augendæ civitatis rationem, de qva Claudius Imperator apud *Tacitum lib. II. Ann. c. 24. §. 6. & 7.* Qvid aliud exitio *Lacedæmoniis & Athenienſibus* fuit, qvanqvam armis pollerent; nisi qvòd victos pro alienigenis arcebant.

§. 15. *Iuventus divisa per tribus*] *Virdungus* hic adire jussit *Varronem lib. IV. de L. L. Dionys. lib. XXII. Budæum poster. annotat. in pandectas. Grucchium lib. I. de Romanis Comitiis. Sidonium de antiquo jure Civium Rom. cap. 3. Onuphr. lib. I. Fast.* Qvibus adde *Pighium lib. I. Ann. p. 14.*

§. 15. *Ob ætatem Senatus*] *Sallust. in Catil. c. 6.* ait: *Delecti Romæ, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientiâ validum erat, reipubl. consultabant.* Sed hæc intelligenda de ætate, qvæ incipit ab anno *quinquagesimo*, & desinit in *sexagesimo*. Nam his annis majorem leges otio reddunt. *Seneca de Brevit. Vitæ c. 20: Lex à sexagesimo anno Senatorem non citat.* Ubi tamen *Lipsius* vult, *à sexagesimo quinto. Scherbius* in dissert. *contra Ra-*

miſtas, pag. 11: *Plato alibi*: *Animi virtus non prius floreſcit, quàm corporis virtus defloruerit, &c.* Vide ibi multa peregregia, huc facientia. Adde *Piccarti diſp. XXXII. quæſt.* 5. *pag.* 323. *Grut. ad Liv. lib.* XXXI. *c.* 21.

§. 16. *Repentè è conſpectu ablatus eſt*] Sic de *Amilcare*, Carthaginenſium Rege, legimus apud *Herodot. lib. VII.* è conſpectu ſuorum ablatum, neqve usqvam gentium, aut vivum aut mortuum comparuiſſe; fruſtrà *Gelone* ipſum *quærente*. De *Salomone*, Ungariæ Rege, qvi amiſſus eſt, *Bruno lib.* XI. *pag.* 139. Nec minùs memorabilis fortuna fuit in civitate noſtra CAROLI FUHRERI qvi, cùm animum laxaturus ad arcem hæreditariam Haymendorff egreſſurus eſſet, nunqvam poſtea comparuit; neq; qvicqvam hodiè compertum, qvo mortis genere ſuccubuerit. Alia de amiſsis alibi (nî fallor) attulimus. Factum ſæpe antiqvitùs, ut intercapti homines in ergaſtuli ſupprimerentur; ſicut ſcribit *Sveton. in Augusto cap.* 31. Qvæ malitia temporibus *Theodoſii* (ut est in hiſtoria miſcella) peregrinos in *molis ſubterraneis* ita claudebant, ut multi *ad ſenectutis tempus laborantes* inde non permitterentur exire; exiſtimantibus eorum propinqvis, defunctos eſſe. Memoratur etiam de qvodam à *Bittermanno* in ſua cimelia ingreſſum, coëuntes à tergo fores incluſiſſe; eoq; in loco qviritantem (qvòd nemini audiretur) famem inopiamq; inter ſummas opes extinxiſſe. De *Empedocle*, qvi ſeipſum mortalium oculis ſubtrahendo, divinitatis opinionem apud poſteros ſperârat, nota hiſtoria ex *Diogene Laërtio lib. IIX. in ejus vita.* De cætero Romuli exceſſum nonnulli in diem *Nonarum Quintilium Caprotinarum* conjiciebant, ut *Plutarchus*; alii in *Quirinalia & Februarium* menſem. Qvas ſententias expendit *Διογενὴς* heros, *Ioſ. Scaliger* in *V. de Emend. Temp.* Hæc *Caſaub. ad Lampr. Commodum p.* 92.

§. 17. *Ob aſperius ingenium*] *Dionyſius* & *Plutarchus* has tradunt cauſas, qvibus *Senatus* ſtimulatus *Romulum* ſuſtulerit: I. Faſtum, cum contumelia conjunctum, fuiſſe intolerabilem; cùm affabilitas & modeſtia lucrum, minimo impendio qvæſitum, res ejus ſtabilire potuiſſet. II. Qvòd præter conſvetudinem, inconſulto populo, *Vejentibus* obſides reddidiſſet: III. contemptum novorum civium; qvod rurſus grave peccatum fuit: Nam ut Sol & dies non oritur uni aut alteri, ſed in univerſum omnibus: Qvi reipubl. præſunt, totum corpus reipubl. curent, oportet, atqve omneſ eâdem æqvitate contineant; commodaqve civium non divellant: Ne, dum partem aliqvam tuentur, reliqvas deſerant; ut pulchrè cenſet *Cic. lib.* I. & II. *Offic.* Utilitatem monſtat *Seneca lib.* I. *de Clem. c.* 3: *Illius demum magnitudo ſtabilis fundataq; eſt, quem OMNES tàm SVPRA SE quàm PRO SE ſciunt: Cujus curam excubare pro ſalute SINGVLORVM atq; VNIVERSORVM quotidiè experiuntur.* IV. crudelitatem in irrogandis ſupplicijs; qvæ *Dionyſios* dejecit, *Caligulas*, *Neroneſ*,

Domitianos aliosq; innumeros mucronibus objecit. Sed horum omnium causa, qvòd felicitatem nimiam concoqvere non possent. Verum est, qvod scribit Tacit. *lib. IV. Ann. c.* 7. potentiâ adhuc incipiente bonis consiliis notescere volunt Principes; sed ubi eadem (ait *idem lib. II. Histor. cap.* 38.) cum imperii magnitudine adolevit; erupitq; ex magna fortuna, tantùm licentiam usurpant.

§. 18. *Cui mox Iulius Proculus fidem fecit*] Qvædam huc pertinentia congessit *Freinshemius*: Quibus adde *Gruterum ad Liv. lib. I. c.* 16. Gemina planè iis, qvæ de *Romulo* finxerunt, de *Domitiano* scribit auctor *Chron. Alex. p.* 593. *Hadrianus Antinoum* inter Deos relatum cupiens, scripsit, post obitum pueri se sidus vidisse; idqve animam pueri existimâsse, in cœlum recepti. Ad hunc modum *Conon Ptolomæo* adulans, adfirmavit ἀμυδρὰς qvosdam ἀστέρας in partibus *Leonis* esse *comam Berenices*. Videndus *Scaliger in Eusеb. num.* 2145. Cæterùm juramentis & Pontificii suis consecratis fidem faciunt. Refert *Brunnerus lib. X. Ann. Bojorum pag.* 848. de S. Emerico. *Neq; defuit testis, qui triumphum subientis cœlum spectâsse se juratus affirmaret; fidem dicto detrahere mortales prodigio vetuêre, quæ ad tumulum edita famam illius per orbem propagârunt.* Adde aliud apud eundem *Brunnerum lib. XI. p.* 189 *lib. XIII. p.* 561. Simile ferè, qvod *Carolus Sigonius* refert *lib. II. de Regno Italiæ pag.* 30. *Sabinianum*, successorem Gregorii M., Pontificis Rom.,

Rom., adeò hujus gloriæ invidisse, ut etiam scripta illius criminatus, ea delere, atq; ex hominum memoria evellere cogitaret; fecisseq;, inqvit, æqvis multorum animis, ut ea combureret; nisi *Petrus, Diaconus Gregorii* familiaris, jurejurando affirmâsset, *se columbam lucubrantis ipsius auribus assidentem sæpiùs conspicatum esse: Ex eo intelligi posse, quæ scripserit, eum non sine cœlesti Spiritus S. afflatu scripsisse.*

AD LIBRI I. CAPUT II.

§. 1.

NVma Pompilius] Numæ Pompilii meminit *Diodorus Siculus in Exc. Peir. p.* 231. *Dio in iisdem pag.* 569.

§. 1. *Vltrò petivêre ob inclutam viri religionem*] *Est ad alliciendas mentes hominum ingens Sanctitatis potentia, cujus pulchritudo animos circumfundit; & delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui rapit*, ut verba *Senecæ lib. IV. de Benef. c.* 22. leviter *immutata* huc traham. Id verò & in aureo seculo primùm obtinuisse volunt, ut ad regnum neminem vel generis dignitas vel ambitio popularis, sed spectata virtus proveheret. *Idem epist.* 40: *Primi mortalium commissi erant melioris arbitrio. Natura est enim, potioribus deteriora submittere. Multis quidem gregibus aut maxima corpo-*

ra præsunt, aut vehementissima. Non præcedit armenta taurus degener, sed qui magnitudine actoris cæteros omnes vincit. Elephantorum gregem excelsissimus ducit. Inter homines pro summo est optimus. Animo ita q3 rector eligebatur. Ideoq3 summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Qvod si exemplis demonstrandum est, qvantum religio ad paranda regna possit, habemus in promptu non pauca. Sufficiat unum: *Philippum* Macedonum Rex, cùm bellum contra *sacrilegos Phocenses* susçepisset, magnam gloriam regno suo (cujus sordidum & obscurum nomen erat) adstruxit. *Justinus lib. IIX. c. 2.* verba sunt: *Incredibile quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriæ dedit. Illum vindicem sacrilegii, illum ultorem religionum: Quod orbis viribus expiari debuit, solum qui piacula exigeret, extitisse dignum. Itaq3 Deo proximus habetur, per quem Deorum majestas vindicata sit.* Nec gloriam solùm dedit, sed & occasionem potentiæ, & illarum virium, qvas contra Orientem postea filius convertit; ut ex seqventibus patet. Eundem religionis cultum *Rudolpho I.* imperium, summumq; (qvod in terris eminet) nomen conciliâsse, *Franciscus Guilimannus lib. V. Rerum Habsburgicarum, Brunnerus lib. XV. Annal. & Lipsius lib. I. exempl. & monit. polit. c. 2.* tradunt.

§. 2. *Ille sacra & cerimonias, omnemq; cultum Deorum immortalium docuit*] Animi bona sunt vel moralia, vel intellectualia: Intellectualium est eruditio & doctrina. E moribus primum sibi locum vendicat PIETAS; cujus cultum ut Princeps conservare debeat; docet *Lipsius loco citato, & lib. I. Polit. c. 3.* Qværitur verò, num & Princeps cogere possit fidem? Hic locum habet, qvod scribit *Seneca lib. III. de Benef. c. 20: Errat, qui servitutem in totum hominem descendere existimat; melior pars ejus est excepta.* Adde *Josephum in vita sua pag. 550. f.* Item *Curtius lib. IIX: Mentium Rex solus Deus est.* Nec non *Ovid. lib. III. Tristium:*

En ego cùm patriâ caream, vobisq3 domoq3,
Ingenio tamen ipse meo comitorq3 fruorq3:
Cæsar in hoc potuit jura habere nihil.

Agathias lib. I. cap. II: Sanè miseratione potiùs & veniâ digni sunt, quotquot à vero aberrant; judicio enim decepti conceptas semel opiniones mordicùs tenent, cujuscunq3 generis fuerint. Id considerantes *Gothi* apud *Procopium lib. II.* affirmant, *se ad suam religionem adegisse neminem.* Sed audiamus Doctores Ecclesiæ: *Chrysostomus* de Sacerdotio, lib. II: *Apud nos non cogendo, sed svadendo id agendum est, ut qui ejusmodi sit, melior evadat. Tertullianus* tali modo: *Non est religionis, religionem cogere velle; cùm sponte suscipi debeat, non vi; cùm & hostiæ ab animo lubenti postulentur.* Adde *Arnobium lib. II. Cassiod. lib. II. Variarum. Bernhard. Serm. LXVI: Et certè repetamus omnia ab origine: Scimus primis Ecclesiæ & Evangelii Doctoribus à Christo mandatum esse, irent, non ferirent; docerent,*

rent, *non* nocerent. *Cum hac praxi pugnant, qui religionem ferro volunt propagatam.* Plura de his *Bernegg. in Tuba Pacis p. 92. usq; ad 96.*

§. 2. *Ille Pontifices, Augures, Salios, cæterosq; per Sacerdotes*] Bona lectio. *Florus* non omisit *Salios*, qvos *Livius* inter præcipuos recenseti præsertim qvòd cœlestia ferrent arma, qvodqve *Marti Gradivo* lecti. Habitum eorum describit *Pighius in Hercule Prodic. p. 426.* Numa instituit *Salios Palatinos*, Hostilius *Collinos*. Vide sis *Valesi ad Petr. Dionis, p. 81.* De tribus muneribus in Saliatu, *Præsule, Vate, & Magistro*, consule *Salmas. ad Capitol. p. 80.* Nonnunqvam Latini omnes ludios & saltatores, qvi ad cantum in tibiis in sacris ludunt, dicunt *Salios*; etiamsi Martis Sacerdotes non sint. Ut observat *Scaliger ad Catullum p. 27.* Græcis ἁγνῆται, observante *Casaubono ad Strabonem pag. 194.*

§. 2. *Annum quoque in duodecim menses, fastos dies nefastosq; descripsit*] Sic multi veterum: Vide citatos ab *Onuphrio in lib. I. Fast. c. de anno. Raderum apud Freinshemium ad Curt. lib. III. c. 3. §. 10. Manutium in Quæstis per Epist.* At non omnes hujus sententiæ. Nam *Licinius Macer* & *Fenestella* statim abinitio urbis *annum duodecim mensium* fuisse contendunt. Horum sententiam seqvuntur ex hodiernis *Onuphrius & Scaliger lib. II. de Emend. Temp. cap. de veteri anno Romano*; ubi solidissimis argumentis evincit, annum tem-

poribus Romuli non solùm *duodecim mensibus*, sed & iis *ad Lunæ cursum* descriptis, constitutum fuisse; qvam observationem *Scaligeri* secutus est etiam *Virdungus*. Porrò notandum hîc, Calendarii corrigendi curam penes Reges, vel Imperatores fuisse; sic enim post *Numam* legimus C. *Cæsarem fastos correxisse*. Qvò pertinet egregium judicium Magni in Germania Principis (*Hassiæ Landgravii*) qvi libertatis avitæ memor, *Calendarium Gregorianum* à cervicibus suis, & aliorum popularium repellendum censens; sed & Cæsareæ dignitatis interesse, ne reciperetur, apud *Thuan. lib. LXXVI.* in eo negotio respondit: *Cæsaris & sacri imperii auctoritatem & existimationem verti; quam cùm in dies Pontifex dolis ac machinis convellere nitatur; non committendũ esse, ut ipsi rem ad ejus dignitatem atq; adeò majestatem tantoperè pertinentem, neglexisse videantur. Anni, qui nunc ab omnibus nationibus servatur, rationem à* C. Julio Cæsare *institutam esse: Dein* Carolum M., *imperii Occidentalis conditorem, & Calendarium ipsum, & nomina mensium Teutonicâ lingvâ Germanis dedisse. Canonem* verò Concilii Nicæni *de paschali celebratione non Pontificis Romani (qui in ea potestate & auctoritate, quam nunc sibi vindicat, minimè tum fuerit) sed communi* Constantini Cæsaris, *qui Synodo præfuerit, & Patrum decreto conditum esse. Concilia verò ipsa non à Pontifice, sed ab Imperatoribus Romanis indici solita, sicuti* Constantiense *Cæsar* Sigismundus recenti *adhuc hominum memoriâ indixe-*

rit; & jus constituendi *non solùm Episcopos in Germania, sed etiam* Pontificem Romanum *penes* Cæsarem; *& post* Caroli M. *tempora usq; ad* Othonem I. *& sic deinceps usq; ad* Gregorii VII. Pontificis *ætatem fuisse. Cavendum igitur, ne Calendarii (quod correctione indigere minimè inficias eat) emendandi prætextu novam & inusitatam Pontifici in imperii majestatem ac Cæsarem ipsum jurisdictionem, ac mandandi potestatem tribuant; præsertim cùm inconsulto Cæsare, & non requisito imperii Principum ac Ordinum consensu res tanta à Pontifice suscepta sit.*

§. 3. *Ille Ancilia*] *Freinshemius* hic citat *Plutarchi* locum, qvi *Ancilia* vocata sic dicit, qvoniam ἄγκυλον τὸ σχῆμα ποιεῖσιν, curvam figuram faciunt. Mihi placet *Joachimi Camerarii* sententia, qvi *Ancilia* dicta putat, qvasi *anciſa*, hoc est, circumcisa: Sicut JCtus sub titulo, *ne quid in flumine publico fiat*, *l.* I. §. 5. simili modo *incile* dixit; solum nimirum incisum, qvâ aqvâ maneret. Juvat eum *Ovid. lib. III. Fastorum*:

Idq; ancile vocat, quod ab omni *parte* recisum *est.*

Formam videmus in nummis Pub. Licinii Stolonis ferè eandem cum scutulo, qvod *Junoni Sospitæ* tribuitur. Nummus *Lipsii*, qvem adducit in *Analectis ad lib. III. de milit. Rom. dial.* 1, non satis exprimit. Ego talem do ex iis, qvos vidi, nullâ vetustatis injuriâ detritos

Festum



Festus, & alii, scribunt, Ancile *Numæ Pompilii temporibus* cœlo delapsum. Cui similia nugabantur Scythæ, *Targatai* tres liberos fuisse: *Lipoxain. Arpoxain*, & novissimè *Colaxain*. His regnantibus cœlitùs in Scythiam *ex auro* facta *aratrum, jugum, securim, phialam*, ut est apud *Herodot. lib. IV.* Sed ad cœlitùs delapsi formam fabricata alia, ne internosci cœleste posset; & per furtum Romanis auferri. Hæc qvotannis stato tempore per *Sacerdotes* aliosq; primores urbis (qvos *Magister Saliorum* delegisset) per urbem circumferebantur; ac demum certo die condebantur. Id fiebat *mense Martio*, ut è *Dionys. lib. II. & Plutarchi Numa* scribit *Lips. lib. V. Antiq. Lect. c.* 16. Iis verò diebus omnibus, qvibus Ancilia movebantur, tanta religio hominesvel superstitio potiùs habebat; ut nihil publicè geri, non arma capi, non castra moveri, non iter suscipi fas esset; & qvi eam consvetudinem migrâsset, improbus haberetur, tum etiam, qvod egisset, infelix infaustumq; capiti ejus crederetur. Qvod scriptum, & aliqvot testimoniis etiam confirmatum eidem *Lipsio*, illustrato pulcherrimo loco *Livii decad. IV. lib.* VII. *p. m.* 954: *Stativa deinde ad Hellespontum aliquandiu habuerunt;*

runt; *quia dies fortè, quibus* Ancilia moventur, *religiosi adîter inciderant. Iidem dies Publicum Scipionem propiore etiam religione, quia Salius erat, disjunxerant ab exercitu*; *causaq; & ipse moræ erat, dum consequeretur.* Qvamvis & alii dies fuerint, qvibus Romani abstinuerunt se ab armis; ut docet *Festus* illis verbis: *Præliares dies, quibus fas est, hostem bello lacessere. Erant etiam quædam feriæ publicæ, quibus nefas id facere.* Per eosdem dies motorum Ancilium ne conjugium qvidem dextro pede aditi credebant. *Ovid. lib. III. Fastorum:*

Arma movent pugnam; pugna est aliena maritis:
Condita cùm fuerint, aptius omen erit.

Vide eundem *Lipsium ad Tac. lib. I. Histor. sub fin.* Similis superstitio servata *Athenis*, cùm celebrarent *Plynteria.* Per ejus festi dies Minervæ simulachrum legebatur, ac publicè privatimq; diligenter observabant, ne inchoato festo, nedum peracto, qvicqvam aggrederentur; ut est apud *Xenoph.*

§. 3. *Palladium*] Palladium qvid fuerit, apud multos in ambiguo est, Vide *Camer. Cent. I. c. 60. & Barthium* de hoc ipso *lib. LX. Adversar. pag.* 2843. Vidi ego nummos complures *Iuliæ gentis*, in qvorum altero latere *imago Veneris*; in altero *Æneas Anchisen humeris gestans, dextrâ verò teuens exiguum simulachrum Palladis*; qvod hoc ipsum *Palladium* est, cum inscriptione: CÆSAR.

Consulendi sunt *Vrsinus & Gorlæus in Familiis Romanis.* Alium habet *Octavius Stradap. 1.* Sed cùm in his ipsis imaginem Palladis videas erectam, *Trajanum* illud *Palladium* vetus esse meritò negari potest. Nam qvod *Ilii* erat, *sedebat*; qvod *Homerus* indicat *Iliadum ξ. v.* 92. ubi jubet peplum Θῆκαι Ἀθήνης ἐπὶ γούνασιν, *Palladis in genibus poni.* Qvanqvam, qvi recentioribus Palladii possessoribus favebant, Homeri versum ita legebant: Ἐπὶ γυάλοισιν, qvòd esset, *ad supplicandam, ad demerendam Palladem.* Qvos refutat *Strabo lib.* XIII. Et Strabonis sententiam confirmat *Casaub. comment. in Scriptorem illum.* Fuit sanè posterorum magna vanitas, non minùs *ut hodiernorum Pontificiorum*; qvorum multi unius Sancti reliqvias sibi vindicât. Nam ut idem *Strabo* testatur *lib. VI. pag.* 264. & *Romæ & Lavinii & Luceriæ & Siritide* MINERVA habebatur ILIACA; cùm haud dubiè nulla posslideret. *Palladium* autem Trojanorum, sive *Abarim* Scytham fabrum habuit; qvod *Firmicus* ait, refutatus ob id à *Scaligero ad Eusebium n.* 1457: Sive *Asium*, qvem Dardano dedisse scribit *Suidas*; statua consecrata fuit, qvales Græci vocant πεπλοφόρους; & iis magnam vim ad repellendum hostem tribuunt. Talis fuit apud *Bruttios*, qvam *Alaricum* tradunt retinuisse, ne in *Siciliam* trajicerent. *Olympiodorus apud Photium p.* 70: Statua inaugurata ibi stans, trajectum vetabat. Fuerat autem hæc antiqvitùs consecrata, cùm ut Ætnæ mentis ignes averteret, tùm ut maris transitu barbaros prohi-

be-

beret: Altero enim pede perpetuum ignem, altero verò perennem aquam gestabat. Eâ statuâ confractâ tandem ab Æsculapio Præside Siciliæ, vi *Ætnæi ignis & barbarorum incursionibus* Sicilia vastata est. Vide plura apud *Salmasium ad Aurelianum Vopiscip.* 354. Impietate minore, licet non absq; superbia, *Iustiniani statuam* erectam puto, de qva Suidas. *Manu sinistrâ globum tenebat, cui crux infixa cohærebat; dextram autem versus Orientem extendebat, vetans Persas tumultuantes progredi ulteriùs in Romanos.* Symbolum tantùm fuisse docet *Baron. in A. C.* 527. *num.* 50. Sed de priore genere fuit sacrificium, illud de qvo *Achilles Tatius lib. III.* de Amoribus Clitophontis & Leucippes p. 201: *Responsum ab oraculo redditum fuit, ut virginem immolarent, & suum ipsorum receptaculum expiarent; immolatâq; jecinore degustato ab reliquo corpore humato recederent: Vt sacrificio genus hostium adventum retardaret.* Meminit eorundem contra ventorum impetus, maris incursiones, murium & insectorum proventus; denique barbarorum irruptiones, idolorum καὶ τῶν τῆς χώρας τύπων. *Reinesius lib III. Variar. Lect. c.* 17. *p.* 630. ubi multa cognitu valdè digna. Et potes addere locum *Suidæ in* Ἀργόλαι, observatum *Freinshemio ad Curt. lib. IV. c.* 8. §. 5. *sub finem.* Vide plura apud *Camer. l. cit.* Lege, si placet, *Gen. XXXV. & Iosephi lib. I. Antiq. cap.* 19. de Labani Diis, apud Sicimam defossis à Jacobo; qvamvis hic non exprimat illa. Und es kam die Furcht GOttes über die Städte, daß sie nicht nachjagten.

§. 3. *Secreta quædam imperii pignora*] Posterioribus temporibus imperii pignus fuisse censenda est, de qva suprà multa diximus, *Fortuna aurea.* Sic qvoq; *cineres Zoroastris* erant pignus imperii Persici. *Valesius ad Ammian. p.* 270. Ad hoc in *ariete aureo*, qvem Atreum surripuisse volunt poëtæ, fatum erat Mycenarum. *Salmas. ad Aram I. Dosiadæ, p.* 138. De *serpente Constantinopolitano* in pestem, *Leuncl. in Ann. Turc. p.* 29. *& in Pandect. p.* 130. Christiani ferè æmulati, sed simul prolapsi sunt in ridiculas dicam, an detestandas superstitiones? Nam primum sacri regni pignus habebatur *Crux Salvatoris.* Postea etiam *Hugo*, Rex Italiæ, *lanceam mirandi operis ex* clavis *IESV Christi sanctificatam, quæ dicitur Constantini M. fuisse, donatam* Rudolpho *Regi Burgundionum & Italiæ*, à Sampsone *Comite*; eidemq; *extortam, insigne & tutamen imperii posteris reliquit*; ut scribit *Sigebertus*, & ex eo *Eryc. Puteanus comment. in Histor. Insubr. p.* 296. *Sic corpus B. Marci* certissimum *Veneti* imperii pignus dicitur, teste *Petro Iustiniano lib. I. Historiæ Venetæ.* Item *Dionysium Areopagitam* Gallis inter pignora, & tutelares Divos antiqvissimum, summâqve semper religione cultum, scribit *Brunnerus lib. VII. Annal. p.* 336. Romani verò hodieqve inter πεπλεσμένα referunt corpora Beatorum *Petri & Pauli.* Sic enim *Baronius* in A. C. 69. num. 25. 26: *Horum sepulchris urbem esse munitam*, Chrysostomus *tradit* ad Rom. hom.

hom.32: *Hoc corpus plebem hanc munit, quod quavis turri innumerisque mœnibus ac vallis est tutius; & cum ipso corpus etiam B. Petri.* *Eadem & Christianus nobilis poëta* Venantius Fortunatus in Carm.lib.III. *cecinit:*

A facie hostili duo propugnacula præsunt:
Quos fidei turres urbs, caput orbis, habet.

Quàm autem hæc de protectione urbis sint vera comprobat testimonium Gregori Pontificis Rom. lib. VII c.33. *qui experimento didicit: Si gladius Italiæ bella formidatis solicitè debetis adspicere quanta B. Petri Apostolorum Principis in hac urbe protectio est; in qua sine magnitudine populi, & sine adjutoriis militum, tot annos inter gladios illæsi, DEO auctore, servaremur. At quis eruditus ac prudens, velut è sublimi quadam specula mentis oculis lustrans orbẽ, & omnes, qui unquam fuerunt principatus, & regna considerans, non intelligat, ea omnia Principum, in eis regnantium, sceleribus esse convulsa, ac funditùs periisse? Romanum verò imperium, sub tot tantisq; illud regentibus feralibus monstris, non nisi divina virtute potuisse subsistere? Quo enim potissimum tempore sub omnium sceleratissimo Imp. ipsum Rom. imperium in majori videretur positum esse discrimine: Eidem, velut collabenti parieti, trabe suffulto, crucis virtute succurritur, & DVABVS hisce vivis COLVMNIS, in medio*

nutantis molis erectis, opportunè consulitur. Hæc Baronius: Sed qvæ apud orthodoxos non majorem fidem inveniunt qvàm πολλαπλάσια paganorum. Testimonia qvæ adducit, sunt ab illis seculis, qvibus jam prima Theologiæ forma planè immutata erat; & miracula, imagines, reliqviæ, Sanctorum cultus utramq; paginam faciebant. Illa verò, qvæ *Chrysostomo* tribuit, *Chrysostomi* non sunt. Verùm auctorem indicabit tibi *Casaubonus Exercit. II. contra Baronium anni 1. num.5.p.125.*

§. 3. *Vt ad simulacrum cœlestium siderum, custos imperii flamma vigilaret*] Imò vide hîc πανοζηλίαν Diaboli: Nam in Ecclesia Judaica æternos esse ignes lex Divina jubebat; ad qvos alendos *Iudæi* magnam lignorum vim è sylvis in templum comportabant. Vide *Cunæum lib. II. de Republ. Hebr. c.13.* Ab his indubiè, ut alia, habent *Ægyptii*; de qvibus videndus *Diod. Siculus. Persæ & Chaldæi*, de qvibus *Curtius lib. IV. cap.14.* §.24. ad qvem locum videndus *Freinshemius*, & qvi ab eo citantur. Cumprimis autem *Brissonius lib. II. de Regno Persarum p.* 164. Habuerunt ad ultima usq; tempora: Nam *eâ nocte*, qvâ *Mahametes* in lucem editus, *in Perside* sacer *ille ignis* perpetuus (qvem *Orimasdam* dicebant) *exstinctum* esse, scribit *ex Historia Muselmannica Leunclavius lib. I.* Tamen etiam *restingvi solitum, quando Rex esset mortuus*, observat *Casaubonus ad Strabonem p.* 255. Ab Ægyptiis habuerunt *Græci:* Nam

& *Athenis* & *Delphis* ignem perpetuum ſervatum fuiſſe legimus apud *Plutarchum in Numa*. A Græcis accepêre noſtri *Romani*, tanqvam conditoribus ſuis. De *Africanis* antiqvis idem ſcribit *Leo Afer*, habuiſſe magnifica & ampliſsima templa tum *in Solis* tum *in ignis honorem* exſtructa. In his noctes atqve dies accenſum totum ignem; accuratèq; cautum, ne exſtingveretur. Apud *Moſcovitas* idem obtinuiſſe, ex *Alexandro Gvagnino Veronenſi* docui *ad Valerium*.

§. 4. *Hæc omnia quaſi monitu Dei Egerii quò magis barbari acciperent*] Multi veterum gnari, rem ad multitudinem imperitam & rudem efficaciſsimam eſſe ſuperſtitionem; & ficta cum Diis colloqvia, ſæpè hoc dolo uſi ſunt. De *Minoë* Cretenſium Rege, vide *Val. Max. lib. I. c. 2. Plutarchum in Minoë. Diod. Sicul. lib. I. c. 94.* De *Mneve* Ægyptiorum, *Diod. d. l.* De *Lycurgo* vide ſis *Juſtin. lib. III. c. 3. §. 10. Strabonem lib. X. & Clement. Alexandr. lib. III. Stromatur.* De *Zaleuco* adi *Clem. eundem*. De *Zathrauſte* Arianorum, & *Zamolxide* Getarum legislatore, rurſus *Diodorum d. l.* De *Pythagora* confer *Ammianum Marcellinum lib. XXII. ſub f.* De *Lyaone* adde etiam *Nic. Damaſc. in Exc. Peiř. p. 447.* Temporibus Auguſti *Bærebiſtas* Dacorum Rex, vaſtos animo complexus ſpiritus, populorum (qvem bellorum incommodis & difficultatibus afflictum acceperat) brevi temporis ſpatio prudentibus conſiliis, & perpetuis militaris diſciplinæ exercitiis adeò erexit; ut finitimis maximè gentibus imperio ſubjunctis, jam Romanis timendus, rerum ſuarum curam injiceret. Inprimis gnarus, qvantas religionis opinio ad continendos animos vires haberet; *Ceneum* ſibi præſtigiatorem enim hominem adjunxit; qvi per *Ægyptum* vagatus, atqve *arcana ſacra* edoctus, ſecretiora cum Diis colloqvia agitare creditus, parùm aberat, qvin Zamolxidis exemplo pro Deo coleretur; hunc ſibi eorum, qvæ aggredi pararet, auctorem ſimulans, tam certam ſuis addiderat fiduciam, ut præſenti Numinum ductu, omnium ſibi rerum lætos felicesq; exitus pollicerentur. *Iſtro* itaqve trajecto, *Thraciam ad Macedoniam usq;*, & *Illyricum* perpopulatus, *Celticas* ibi *gentes*, Thracibus & Illyriis permiſtas, vaſtavit; *Bojos* & *Tauriſcos* ita attrivit, ut agri eorum vacui atq; deſerti, vicinis Illyrici populis paſcendis pecoribus fuerint contributi. Ut è *Strabone* & *Iornande* obſervat *M. VVelſerus lib. II. Rerum Boicarum p.* 108. 109. Æmulati ſunt hanc fraudem etiam *Hæretici*, ut opinionem ſuarum portenta fulcirent. *Arianorum* enim dux, *Valens*, poſtqvam perſvaſerat *Conſtantio*, fuiſſe ſibi cum Angelo ſermonem; altiùs dein ſemet extulit, Principisq, abuſus ſimplicitate, ad ſua libita eſt. Qva de re videndus *Cunæus lib.* III. *de Rep. Hebr. c. 7.* Sic etiam *Muhametes* ſimulatione colloqviorum cum *Gabriele* Angelo, ſuos contra totum orbem armavit; ut ſcribit *Conſtantinus*

nus Imp. de Administr. Imperii. Cui consentiunt *Gabriel Sionita*, & *Iohannes Hesronita in lib. de nonnullis Orient. urbibus* c. 1. p. 12. qvi & *cap.* 8. *pag.* 41. eundem Muhametem scribunt, *quascunq; scortationes* salax, effrenis, ac planè belluinus, qvæcunq; *contra naturam scelera* patraret, ea omnia *in Deum Angelum Gabrielem retulisse.* Alii referunt, etiam colloqvia *cum columbis* simulâsse; ut *Sertorium cum cerva. Val. lib.* I. *c.* 2. *Plut. in vita Sertorii:* Sed inferiore adhuc ævo *Caroli VII.* Galliarum Regis, res acciſſas reparavit ſimile commentum: Virguncula fuit *Iohanna Lotharinga*, qvæ palàm ad Regem venit; & mirâ conſtantiâ aſſeruit, divinitùs ſe miſſam pellendis è Gallia Anglis: Res relata ad conſilium, ſvaſa, diſſvaſa; Regi admittere viſum, & prudenter. Ejus ſanè operâ & ductu (nam arma gerebat ac viros præibat) *Aurelianum*, arcta obſidione liberatum & pleraq; alia fortiter geſta ac feliciter. Ad extremum tamen vacillavit virticinii fides, cùm *Iohanna capta* ab Anglis, & *Rhotomagum* ducta, *igne exuſta* eſt, ut præſtigiatrix. Ita refert *Lipſius not. ad lib.* I. *Polit. c.* 3. Sed Iohannæ famam hodieqve defendunt Galli; & vidi libr um *contra Lipſium* ea de re ſcriptum in Bibliotheca *Magnifici Domini Procancellarii.* Sed revertor ad Romanos, & *Numam* invenio poſterioribus temporibus imitatum *Scipionem Africanum* apud *Val. M. lib.* I. *c.* 2. & apud *Liv. decad.* III. *lib.* VI. Sed & *Caligulam* apud *Sveton. & Dionem*, qvi congreſſus & colloqvia ſimulabat cum *Iove*, *Lu-*

na, Caſtore & Polluce. Unde *Lucius Vitellius*, adulandi peritiſsimus artifex, cùm *Caligula* rogâſſet: *Ecquid cum Luna congredientem ſe vidiſſet?* abjectis in terram oculis: *Nam vobis Diis, Domine*, inqvit, *ſolis inter vos licet videre.* Qvo callidiſsimo reſponſo magnum periculum effugit, qvod imminebat; ſive vidiſſe ſe diceret, ſive negaret.

§. 4. *Monitu Deæ Egeriæ*] Cui apud poſteriores Romanos ſacrificabant *prægnantes*, qvòd eam putârunt facilè conceptum alvo egerere, teſte *Feſto*; eademq; cum *Lucina*, Εἰλειθυίᾳ, *Genitali* & *Diis Nixiis* ita dictis, qvòd niſus parturientium adjuvare crederentur; & nitentibus fœtibus in lucem obſtetricari: Gloſſæ: *Egeria*, *Nixia.* Ita pulchrè hunc locum contra *Barthium* reſtituit *Thomas Reineſius lib.* I. *Variarum c.* 8.

§. 4. *Religione atq; juſtitiâ gubernaret*] Idem de Judæis *Strabo lib.* XVI: οἱ δὲ παραδεξάμενοι λόγοις μέν τισι συνῆσαν τοῖς αὐτοῖς δίμενον δικαιοπραγοῦντες καὶ εὐσεβεῖς, ὡς ἀληθῶς, ὄντες. *Succeſſores verò ad aliquod tempus in iisdem inſtitutis mansêre juſti verèq; religioſi.* Et paulò antè vocârat, τιμῶντας τὸ θεῖον *honorantes Divinum*, ſive *Deireverentes*; & ἐυγενόμενους *aqui amantes.* Qvæ opinio de Judæis ita per gentes ſparſa erat, ut etiam *Iuſtinus* meminiſſet *lib.* XXXVI. *c.* 2. §. 16. Notandum igitur aureis literis hic nexus: *Religionis* atqve *juſtitiæ.* *Philo de vita Abrahami* neceſſarium putat, ut, qvi *religioſus* ſit, amet etiam *juſtitiam*: Τῆς αὐτῆς φύσεώς ἐστιν εὐσεβῆ τε εἶναι, καὶ φιλάνθρωπον, ἐπεὶ τὸν αὐτὸν ἐκφέρει λόγον, ὁσιότης μὲν πρὸς Θεὸν, δικαιοσύνη

σύνη ϑ᾽ ἁγὴς ἀνδρῶπον ϑεοφεῖτα. *Ejusdem est natura, religiosum esse & hominum amantem. Apud eundem spectantur Pietas in DEum, & in homines justitia.*

AD CAP. TERTIUM.

§. 1. *Cui in honorem virtutis regnum ultrò datum*] Referenda hæc ad locum *superiorem cap.* §. 1.

§. 1. *Hic omnem militarem disciplinam artemq; bellandi condidit*] Hinc *Iuvenalis* vocat *pugnacem* illo versu *Sat. V*:

------ *pretio majore paratus,*
Quàm fuit & Tulli *census* pugnacis, & *Anci.*

Sic enim distingvendum est; non ut in qvibusdam libris lego:

Qvam *fuit* & Tulli *census* pugnacis & *Anci.*

Rectè verò, judicavit *Tullus*, disciplinam militarem ad conservandum & augendum regnum qvod acceperat, valdè necessariam. *Alexander Severus* apud Lampridium: *Disciplina majorum rempublicam tenet; quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittemus.* Hanc urget Papirius ille apud *Livium lib. VIII. cap.* 330. cùm ipsi ereptum irent Q. Fabium Rullianum, qvi contra mandatum illius, licet prosperè, cum Samnitibus pugnaverat. Sed & *Val. Max.* scribit *lib. II. cap. IIX.* disciplinam militarem acriter retinendam & re-

tentam Romæ, Romanum imperium, ortum è Romuli casa, totius terrarum orbis feciſſe columen. Adde *Lipſ. lib. V. de Mil. Rom. Dial.* 17. & 18. ubi de præmiis & pœnis militum.

§. 3. *Missò in compendium bello*] Qvod sæpè factum. Nonnunqvam fata unius populi commissa privatis civibus; nonnunqvam ipsi Reges suscepêre. Prioris generis exemplum hoc est, & addendum, qvòd 1. *Sam.* 13. & apud *Ioseph. lib. VI. Antiqvit Iudaic. c.* 10. legimus: Cùm enim *Goliathus* inter utranq; aciem *Palæstinorum* & *Israëlitarum* constitisset, & immani voce sublatâ unum ex Israëlitis provocaret; hac qvidem conditione, ut qvorum miles succubuisset, ii alterius partis jugum ne detrectarent: *Davidi* à rege permissum, *cùm Goliatho* congredi. Cui simile, qvod apud *Herodotum lib. I.* & alios legimus. Nam cùm *Argivis* & *Lacedæmoniis* controversia esset de agro *Thyreatico*, tandem bellum coarctârunt: Dimicârunt *utringq; trecenti*, è qvibus non nisi *tres* è pugna reliqvi fuerunt; ex Argivis *duo*, *Alcenor* & *Chromius*, tanqvam victores *Argos* cursu contenderunt: Ex Lacedæmoniis *unus Othryades*, spoliatis Argivorum cadaveribus, eorum arma ad suorum castra detulit. Posterioris generis est decertatio *Hylli* cum *Echemo*, Tegeatarum Rege, apud *Diodor. Sicul. lib IV. c.* 60. *Ascanii* & *Mezentii* in fragmento *Catonis* apud Servium: *Melanthi Athenienſis* & *Xanthi*, Bœotorum Regis,

apud *Cononem narrat. XXXIX.* & aliorum. De qvibus videndi *Gruterus ad Livium lib. I. c. 23. & Hugo Grotius lib. III. de I.B. & P. c. 20. §. 43. & noti ad illum locum.* Tamen cum *Berneggero Quæst. in Tacit. LI.* malim ſtatuere, ducem vel Regem ad ſingulare certamen vocatum, temerè ſe iſtiere non debere; ne ſi occubuerit, exercitus animum deſpondeat, & totum regnum periclitetur. Adeòq; vitio verti non debet *Octaviano* Cæſari, qui provocanti *Antonio* non comparuit; ut eſt apud *Plutarchum in vita Antonii*: Ut nec *Carolo V.* Cæſari, qvi monomachiam cum *Franciſco I. Galliarum Rege* detrectavit, teſte Sleidano: Neqve *Chriſtiano IV.* noſtrâ ætate *Danorum Regi*, qvi itidem ſingulare certamen cum *Carolo Sveco*, Guſtavi M. patre, inire noluit; ut eſt apud *Meteranum.* Huc verò pertinet factum longè prudentiſſimum *Mileſiorum*, qvod ſuprà citatus *Conon* refert apud *Photium narrat. XLIV.* Contendebant de *Mileſiorum* regno *Leodamas* & *Phitres*, regiâ uterq; ſtirpe oriundi: Plebs ergò, cùm per horum contentionem malis vexaretur, poſt multa tandem incommoda finem rixæ impoſuit; facto decreto, ut qvi de Mileſiis meliùs mereretur, is demum regnaret. Erant ipſis duo tunc hoſtes, *Caryſtii* & *Melienſes:* Adverſus *Melum Phitres* (huic enim ſorte bellum illud evenerat) expeditione ſusceptâ, reinfeſtâ rediit. *Leodamas* verò re contra *Caryſtios* naviter ac præclarè geſtâ, urbeq; eorum vi expugnatâ, atqve in ſervitutem redactâ; Miletum victor

victor reverſus, ſecundùm pacta conventa regnavit.

§. 3. *Cùm pari robore frequentibus prœliis utriq; comminuerentur*] Fructus hic eſt tum aliorum tum civilium bellorum amariſsimus, qvo, ut noxio qvodam cibo morbus, ita ſervitus & peregrinum jugum contrahitur. Exemplo nobis ſint *Seleucus* & *Antiochus* apud *Juſtin. lib. XXVII. c. 3. §. 1. & 2.* ubi notam *Berneggeri* vide. Hìc enim cum primis locum habet, qvod *Mich. Hoſpitalius* cecinit *lib. IV. epiſt. 7. ad Carolum*, Cardinalem Lotharingiæ:

O cœcas hominum mentes! dum mutua ſtulti
Paſtores odia exercent, lupus intrat ovile.

§. 4. *Addito ad virtutem dolo*] Qvi in hoſtem licitus. *Auguſtinus in Joſuam qvæſt. 10.* Cùm juſtum bellum ſuscipitur, ut apertè pugnet qvis, aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſſe. Hæc qvomodo accipienda ſint, fusè docui ad illa *Velleii lib. II. cap. 1. Interemto Viriatho fraude magis quàm virtute.*

§. 4. *Vt distraheret hoſtem*] Hoſtem distrahere poſſe, maximum in bellis ducum artificium eſt. Reperio ſimilem fere hiſtoriam de *Megolo Lercario Genuenſi*, qvi ob contumeliam ſibi illatam, nec tamen à *Cæſare Trapezuntio* vindicatam, eidem infenſus, acceptis à gentilibus & propingvis duabus triremibus, per ingentia maris ſpatia in *Euxinum* contendit; litoraqve imperii

Trapezuntii depopulatus, multa crudelitatis exempla in captivos edidit. Qvibus permotus Cæsar qvatuor triremes in Megolum emittit: Is, addito viribus dolo, fugam simulat; insequuntur duæ triremes è Trapezuntiis: Qvibus a reliqvis longiùs evectis, statim conversus immine *Megolus*; atqve diffisum hostem aggressus, dua illas primo impetu *capit*: Indè in reliqvas duas triremes seriùs jam devictis sociis succurrentes magno animo fertur; qvæ parem fortunam passa victoris etiam iram sensêre. Ut ex *Vberto Folieta* pluribus refert *Piccartus dec. 2. q. 6.* Cui addendum, qvod *Polybius* refert *lib. I. c. 27. Carthaginiensium* stratagema: Jusserunt suos fugere, ut dissiparetur Romana acies. Cedere igitur isti festinatò. Illi fugientibus instare animosè nimis. Prima & secunda classis fugientes persequebantur: Cùm interea divulsæ ab iis *tertia* & *quarta* restarent. Ubi Pœni *primam secundamq;* classem, satis longè à suis intervallo, sibi visi sunt divulsisse, subitò navi *Amilcaris* dato signo, vertere se, & cum persequentibus manum conserere insistunt. Hujus loci est discursus *Virdungi* ad illa *Taciti in vita Agricolæ c. 12.* ubi: *Nec aliud adversùs validissimas gentes pro nobis utilius, quàm quòd in commune non consulunt: Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum consensus. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur.* Adde præterea *Tacit. lib. I. Ann. c. 60. §. 2. lib. II. Ann. c. 11. §. 2. Ammian. lib. XXI. p. 188. Dio p. 794. edit. Leuncl. Cic. lib. VIII. ad Att. ep. 18. & 19.*

§. 4. *Fugam simulat*] Qvo stratagemate toti etiam exercitus circumventi. Vide *Tacit. lib. II. Ann. c. 11. § 3.* Sic *Athenienses* victi *ab Ætolis*, ut est apud *Thucyd. lib. VII. Persæ à Thessalibus* eqvitibus apud *Curtium lib. III. cap. 11. Romani à Carthaginiensibus* apud *Polybium lib. I. c. 19.* & à *Gallis* apud eundem *lib. II. c. 25. & Erycium Puteanum comment. in Histor. Insubr. pag. 18. num. 16. Franci à Marsete* apud *Agathiam lib. I. c. 27.* Hac in re artifices *Numidæ*, de qvorum Rege Massanissa vide *Livium lib. XXIX. c. 34. Parthi*, de qvibus *Justinum lib. XLI. c. 2. §. 7.* ibiq; *Berneggerum*; nec non *Freinshemium ad Flori lib. IV. cap. 10. §. 3. & Vales. ad Amm. pag. 417.* Hodierni *Tartari*, de qvibus *Soranzius in Ottomanno p. 52.*

§. 5. *Quam ille mox parricidio fœdavit*] Plures turpissimum rebus à se præclarè gestis colophonem imponunt, cum *Tantalo* illo apud Lyricum: Victoria & rerum successus impotentes facit. Rarum enim decus, qvod *Priscillæ* tribuit *Statius:*

-- -- Teneri dem animo, moresq; modesti
Fortunâ crescente manent.

Moniti verò hoc genus exemplis Romani, *pulcherrimo ritu* victoribus aures vellicarunt: Nam triumphantibus à tergo adstabat in eodem curru *servus publicus*, qvi *coronam auream immensi ponderis* & amplitudinis sustinebat; & simul attendere

trium-

triumphantem ad ultimi *supplicii instrumenta* jussit *appensa currui*. Illa erant *tintinnabulum* & *flagellum*; indicantia, eum in tantas calamitates posse incidere, ut aut flagris cædatur, aut capitis damnetur. Nam qvi ob facinus extremo supplicio afficiebantur, *notas gestare* solebant; ne qvis inteundum contactu illorum piaculo se obstringeret; sicut scribit *Zonaras tom. II. Annal. p.* 32.

§. 5. *Citavêre leges nefas*] Hoc est, ob parricidium raptus in jus ad Regem. Rex enim ipse tàm tristis ingratiqve ad vulgus judicii, aut secundùm judicium supplicii auctor esset; concilio populi advocato. *Duumviros*, inqvit, *qui Horatii perduellionem judicent, secundùm legem facio*. Ut pluribus refert *Livius lib. I. cap.* 26. Ubi *perduellionem alicui indicare*, idem est ad, *capitis judicare*, sive, *inquirere*. Legatur *Carolus Sigonius lib.* III. *de Judiciis c.* 14. Ita etiam *Germanicus* dedit seditiosos condemnandos & occidendos militibus. *Tac. lib. I. Ann. c.* 44. §. 2. & 5.

§. 5. *Abstulit virtus parricidam*] Idem Livius: *Recens meritum obstabat facto*, hoc est, parricidio, qvod non debebat; judice *Augustino lib.* III. *de Civit. DEI c.* 14.

§. 5. *Et facinus intra gloriam fuit*] Olim explicavimus è Virdungo: *Tantùm abest, ut istius facinoris pœnas dederit Horatius, ut ei insuper gloriæ fuerit*. Sed cùm per *facinus* intelligat *parricidium*, qvî hoc ipsi gloriæ fuisset? Imò mens auctoris nostri hæc est: *Gloriam è certamine tum Curiatii decertato, abscondisse parricidii scelus*. Qvod non idem est, ac si dixisset: *Parricidio etiam gloriam peperisse*. Vide hîc, qvæ de eleganti usu *Et intra* observavit *Freinshemius in Indice*; & adde locum *Senecæ lib.* VI. *de Benef. cap.* 32: *Divum Augustum filiam* intra *pudicitiæ maledictum impudicam relegâsse*. Nec *Iosephum Laurentium lib. I.* πολυμαθείας *c.* 96. edxtrè contra *Lipsium* explicâsse. Vult sensum esse: *Augustum relegâsse quidem filiam, sed non eâ mente, ut impudicitiæ notam inureret relegatione & infamiâ*; qvod joculare prorsus. Adducit & alteram: *Iuliam fuisse adeò impudicam, ut pudicitiæ ipsi malediceret*. Ego, qvis verus loci sensus esset, dixi ad *Valerii lib.* II *c.* 1. *diserti.* 1. Et video in eadem sententia *Berneggerum* fuisse.

§. 6. *Medii inter duos expectavêre fortunam*] Id ingenium fuisse plerisqj; *Græcis*, docet *Curtius lib. IV. cap.* 5. De *Corcyræis* consulendus *Diod. Sicul. lib. XI. c.* 15. De *Numidis Idem lib. XX. p.* 776. De *Gelone Herodotus in Polymnia lib. VII. p.* 471. De *Rhodiis Vell. Paterc. lib. I. c.* 9. Tales & *Lacedæmonii* illi apud *Polybium lib. IV. cap.* 9: *Ex legibus fœderis susceptâ expeditione, magis ut sedentes spectantesqj eventum observarent, quàm ut sociorum officio fungerentur*. Nec immunes ab hoc levitatis crimine Romani: Nam de *Cn. Pompejo* scribit idem *Paterculus lib.* II. *cap.* 21. bello civili *Mariano* atqve *Cinnano* ita se dubium medium-

qve

qve partibus præstitisse, ut omnia ex proprio usu ageret; temporibusq; insidiari videretur, & huc atqve illuc, unde spes affulsisset major potentiæ, se exercitumq; deflecteret.

§. 7. *Tollit animos, quasi ipse mandâsset.* Hoc est, ut explicat *Livius lib. I. cap. 27.* suos increpat altâ voce: *Nihil trepidatione opus esse; suo jussu circumduci Albanum exercitum* (qvi digressu suo latera Romanorum nudaverat) *ut Fidenatium nuda terga invadant*, nimirum *Tullus* convenienter se gessit præcepto *Onosandri c. 23.* Strategici *Imperator interdum expeditus in equo, si in dextro suorum cornu sit, exclamet: Milites, qui in læva sunt, dextrum hostium cornu vincunt. Si in sinistro sit, dicat: Superiores esse in dextro; sive ita verè sit, sive secus. Necessarium enim mendacium dici oportet, certamen ubi extitit ingens.* Item: *Si longius cuiusdam absit hostium dux, aut si in altero cornu versetur, aut medium agmen cogat, rursus profuerit exclamare, interfectus est hostium Imperator! Atq; hæc tanto clamore pronunciari debent, simul ut hostes exaudiant.* Et qvæ seqvuntur.

Fecit idem *Quinctius* apud eundem *Livium lib. II. c. 64.* Fecit *Papirius lib. X. c. 41.* Simili stratagemate usus *Jugurtha* apud *Sallustium de Bell. Jug. c. 102.* Huc pertinet, qvod refert *Buchananus lib. V. Scoticorum*: In ipso pugnæ ardore subornatus, qvi Brittones moneret, ut *Arcturo cæso rebus perditis suæ quisq; saluti consuleret!* Qvo fructu

Ut idem scribit: *Ea vox in fugam illos vertit.* Nimirum ut sapienter scribit *Manuel Imperator c. 89.* Regiæ Instit: *Non tantùm quod reapse validum est, ac formidabile; verùm etiam, quod esse videtur, nocere solet.* Sive ut *Claudius Nero* ad Senatum apud *Liv. lib. XXVII.* ait: *Fama bellum conficit, & parva momenta in spem metumq; immittunt animos.* Sive, ut *Seneca epist. 13.* sapienter: *Plerumq; suspicionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere bellum solet, fama: Multò autem magis singulos conficit.* Certè magna copia exemplorum in historiis, qvæ huc pertinent, hæc confirmant. *Tac. lib. VI. Annal. cap. 35.* prudentes: *Fama occisi Orodis falsò credita exterruit Parthos victoriamq; concessêre.* Idem auctor *lib. III. Histor. c. 25. de Antonio Primo*, callidissimo Vespasiani duce: *Inde consilio ducis subditus rumor, advenisse Mucianum; exercitus invicem salutâsse. Gradum inferunt, quasi recentibus auxiliis aucti; rariore jam Vitellianorum acie, ut quos nullo rectore suus quemq; impetus vel pavor contraheret, diduceretve.* Pulchrũ & illud, qvod habet *Agathias lib. III p. 89. de Martino*, duce Justiniani: *Postridiè Martinus cùm suorum animos confirmare vellet, hostes verò* (Persas) *percellere, universum Romanorum exercitum in unum coëgit; tanquam de præsenti rerum statu consultaturus. Confestim verò in medium venit (ita enim ipse procurârat) vir quidam non admodum notus, pulvere obsitus, ac tanquam longinquum iter emersus; is ferentem Byzantio venire dicebat, literasque ab Imperatore ferre.*

Quas

Quas cùm Præfectus libentissimè accepisset, ac rescindâsset, alt â voce recitabat, ut omnes exaudirent. Erant autem inter alia hæc: Misimus etiam tibi alium exercitum, non minorem eo, quem habes. Statim itaque interrogatus, qui literas attulerat, ubinam esset exercitus? respondit: Quatuor tantùm Persicis parasangis non longiùs abesse; relictos enim ipsos circa Neognum fluvium. Tum Martinus, velut indignabundus: Redeam, inquit, neq; enim id unquam admiserim, ut nobis sese adjungant, & spoliis fruantur; quæ solis militibus meis pro tot laboribus debentur! Et conversus ad milites: Nonne idem, inquit, & vobis videtur, mei commilitones? At illi fanstâ acclamatione Præfecti sententiam ut æquissimam approbarunt, multòque fidentiores sunt redditi. Vide successum hujus consilii pluribus descriptum laudati *Agathiæ.*

§. 8. *Metium Fufetium religatum inter duos currus pernicibus equis distrahit.* Exemplum *Hermanarici*, Gothorum Regis, quod *Freins hemius* observavit, *Bonfinius* exscripsit *Iornandis Geticis c.* 24. cujus verba sunt: *Roxolanorum gens infida, quæ tunc inter alias illi famulatum exhibebat, talem nanciscitur occasione decipere. Dum enim quandam mulierem, Sanielh nomine, ex gente memorata pro mariti fraudulento discessu Rex furore commotus equis ferocibus illigatam inci-*

tatisq; cursibus per diversa divelli præcepisset: Fratres ejus, Sarus & Ammius, *germanæ obitum vindicantes, Ermanarici latus ferro petierunt, &c.* Apud *Gallos* hoc supplicii genus est valdè frequens & antiquum; nam eodem affecta est in Galliâ *Brunechildis*, ut scribit *Ado Episcopus in Chronico A.C.* 583. Et Carolus M. *Gannalonem*, Exercitus sui proditorem, qvatuor eqvis totius exercitus ferociss imis alligari jussit; sessoribus singulis eqvis assignatis, qvi contra qvatuor mundi cardines eosdem admitterent; ut auctor est *Iohannes Turpinus in Vita Caroli c.* 26. Ita discerptus periit *Sebastianus Montecuculus* A. C. 1536. insimulatus, *Franciscum Delphinum*, Francisci filium veneno intercepisse. Et A.C. 1589. *Burgoinus Dominicanus* Jacobi Clementis Prior, qvi cùm eo consilia miscuerat de occidendo *Henrico III Valesio*; qvod utrumqve debemus observationi *Freinshemii ad Curtium lib. VII. c.* 5. §. 40. Cui præter superiora addo narrationem *Busbequii epist. VIII.* scriptam Anno 1582. de Salcedo: *Salcedus graves dedit pœnas, haud scio, cujus criminis, nisi quod enorme fuisse oportet, cui tanta supplicii acerbitas conveniret: An in caput* Alenzonii *conjuraverit, an in Regis, an in utriusq;, certò non constat. Damnatus fuit, ut à quatuor equis discerperetur. Cùm equi bis in diversũ acti traxissent, & non distraxissent; Regem, qui unà cum matre & uxore de fenestra despectabat, inclamavit: ut in se uteretur clementiâ. Tum et fracta gula, caputq; à cervicibus ablatum, & evulsum cor; reliquum*

corpus distraxerunt equi. Hoc supplicium *Livius lib. I. c. 29.* vocat *exempli parùm memoris legum humanarum.* Quæ verba examinat *Gruterus in notis ad illum locum.*

§. 9. *Quamvis parentem, æmulam tamen diruit*] Aliàs magna reverentia debetur matrici bus, & coloniæ eundem honorem originibus su exhibebant, qvem filii parentibus; annotat *Valesio ad Polyb. in Exc. Peir. p. 6. & 7.* Ita *Curt. lib. IV. c. 2. §. 10.* perhibet: *Carthaginem Tyrii condiderunt, semper parentum loco culti.* Eandem C thaginensium erga Tyrios pietatem *c. seq. §. 23.* fert: *Syracusis id simulachrum* (sc. Apollinis) *vexerant Pœni, & in majore lotaverant patria; mutisq; aliis spoliis urbium à semet captarum non Carthaginem magis quàm Tyrum ornaverant.* Vid plura egregia planèq; cognitu digna apud *Evenhem. ad Curt. d. lib. IV. c. 2. §. 10.* Tamen Roman excusat hîc *Albericus Gentilis lib. II. de Arm. Ro c. 3.* è dissertatione Corcyræorum adversùs C rinthios apud *Thucyd. lib. I.* Sapientissimè *Heraclius II. Imperator apud Petrum Justinianum lib. Historiæ Venetæ*, ad Venetos & Patavinos immo sis cladibus semetipsos atterentes: *Veneti, meminisse vos oportet ab Eugæneis Patavinisq; genus tra here; at inhumanum est, in natales suos impia arma induere: Contrà vos Patavini Venetæ potentiæ, surgentiq; laudi invidere non debetis; sed gloriari potius, quòd ad eam diem, qui à vobis procreati sunt ta eum gloria terra mariq; imperitent.* Qvibus ge

venienter *Xerxes* ad Argivos apud *Herodotum lib. VII. p. 466*: *Nos arbitramur Persem, ex quo progenti sumus, fuisse Filium Persei, Danaës filii, ex Andromeda genitum, quæ fuit Cephei filia. Ita ex vobis eriundi sumus. Quod cùm ita sit, nefas est, & nos progenitoribus nostris inferre bellum; & vos aliis opem ferendo nobis adversarios fieri.*

AD CAPUT IV.

§. 1.

NEpos Pompilii pari ingenio] Eximiè! Non tàm generis habita ratio qvàm virtutis. Alioqvin solùm genus ingens momentum adfert ad altiora nitentibus. Vide *Tacit. lib. III. Hist. c. 86.* de Vitellio. *Brunnerum lib. IIX. Ann. Bojor. p. 566. 567.* Adhæc *Seneca lib. IV. de Benefic. cap. 30.* ait: *Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria; & esse plures bonos juvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadit. Ciceronem filium quæ res Consulem fecit nisi pater? Cinnam nuper quæ res ad Consulatum evexit ex hostium castris? quæ Sext. Pompejum aliosq; Pompejos, nisi unius viri magnitudo? Tanta quidem ut satis altè omnes suos etiam ruina ejus attolleret:* Mox: *Hoc debemus virtutibus, ut non præsentes illas, sed etiam ablatas è conspectu laudemus:* Similiter *Asconius* in Orat. pro Scauro: *Generis claritas etiam inertes homines ad summos honores provexit.* Eadem res *Iovianum* ad imperium provexit, *Ioh. Antioch. in Exc. Peir. pag. 844.*

Sed & Theodoricus *apud Cassiod. lib. II. epist.* 2, hunc in modum: *Non relinqui inglorios patimur, quigeneris claritate prædicantur.* Et apud eundem *lib. IX. epist.* 23. Athalaricus: *Ad summarum culmina dignitatum germinis vestri viros, quos nunquam vidimus, eligimus; non fastidio negligentiæ, sed honorabili præsumptione naturæ.* Qvò referri debet qvod scribit *Meursius lib. I. Historiæ Danicæ*, de Christiano I: *Regnorum plurium sceptra in familiam Oldenburgicam primus intulit; & virtute sua effecit, ut Proceres Danici, quibus nihil virtute prius eam in ipso amplectentes, regnum quâquam electum semper solitum conferri, quasi hæreditarium facerent. Quippe homines animo planè generoso quiq; Regibus ipsi suis, quibus regna tribuissent, nil debere cupiebant, sic omninò existimabant: Non se gratiam meliorem reddere benè meritis posse, quàm si filios eorum quos præter paterna merita virtus quoque regibus digna commendabat, ad idem fastigium eveherent.*

§. 1. *Pari ingenio*] Magnus stimulus virtutis, ad illustribus viris descendisse; ut docet præceptor *Bernegg. in Justin. lib. XXIX. c. 1. §. 8. & Quæst. XXX. in Germ. Taciti. Gruterus ad Livii lib. I. c. 22.* Etiam toti populi generosiores, qvò nobiliores. *Frentzemius ad Flor. lib. II. c. 12. §. 2.* Rursus qvàm plurimi qvi fidem faciunt proverbio ἡρώων παῖδες λῷστοι. Qvod exemplis ostendimus *ad Valer. lib. III. c. 5.*

§. 2. *Hic igitur & mœnia muro amplexus est.*] Qvid esset, *mœnia muro amplecti*, cùm ignoraret *Salmasius*, legendum censuit: *Intermœnia*: Qvo nomine Florus dixit *intervalla illa, quibus mœnia deficiebant, nec conjungebantur.* At non dubito, qvin vir maximus & Philologus nostri seculi absq; pari in altera editione Flori (qvam aliqvoties promisit, & omnes avidè expectamus) ab illa veteri recessurus sit, & vulgatam lectionem admissurus. Nam cùm ipse *notis ad Lampridii Commodum p.* 122. miratus sit *Scaligerum*, qvi Animadversionibus *in Eusebium numero* 2199. hanc *Aurelii Victoris* lectionem: *Mœnia Romanâ potentiâ vix digna lavandi usu instituit*, solicitavit, ac pro *mœnia*, legit, *amœnia*; multisq; Auctorum locis ostenderit, *mœnia* illo *Victoris* loco nihil esse aliud, qvàm *opera vel ædificia*, v. g. Hoc *Frontini* de limitibus agrorum: *Ligna in reparationem mœnium publicorum traherentur.* Et Codice Theod. de operibus publicis: *Tertiam partem reparationi publicorum mœnium &c. deputamus.* Et eod. tit. lib. I: *Fas sì quidem non est, acceptum à veteribus decus perdere do.* Sed & Symmachus lib. X. Epist: *Qua me culipsis locis istum Flori commodè interpretaretur. Addo Servium* ad illud Virgil. *lib. II. Æneid:*

---- Fusi per mœnia Teucri
Conticuêre.

Abusivè, inqvit, *& publica & privata ædificia mœnia dicuntur.* Vitruvium; qvi *mœnia affluentia* dixit.

pro urbe ampla ac spaciosa. Florum ipsum lib. III. c. 10. §. 2: *Venére sedes petitum incensis mœnibus suis*, hoc est, ædificiis & vicis. *Salmasium* offendit etiam *nè igitur*. Credo, qvòd sibi vellet Florum ubiq; similem esse, & hunc locum § 2. c. 2. §. 1. c. 3. & maximè §. 2. *cap. seq.* Sed possum ferre, qvòd superiora cùm seqventibus connectit egregiè: *Ancus Marcius Nepos Pompilii pari fuit ingenio*, hoc est, ad pacis artes prompto. Igitur multa præclara in pace præstitit, mœnia muro amplexus est, pontem stravit, Ostiam coloniam deduxit.

§. 2. *Ostiam in ipso maris fluminisqu confinio coloniam posuit*] Qvod populus Romanus sæpè fecit postea. *Senec. Consolat. ad Helviam cap. 7: Populus Romanus quot colonias in omnes provincias misit? Ubicunq; vicit Romanus, habitat.* Utilitatem ejus rei variam exposuit *Lipsius lib. I. de Magnit. Rom. c. 6.* & ante eum *Hubertus Goltzius in Græcia Magna p. 324.* I. allevatam fuisse urbem principem à superflua multitudine; sive, ut *Cicero lib. I. ad Attic. ep. 19.* loqvitur, *exhausit sentinam urbis.* Hæc permovit & alias urbes, ut *Miletum Joniæ caput*, qvæ LXXV. urbium populum indivers[a] effudit. Eadem & *Gallos* apud *Justin. lib. XXIV. c. 4. §. 1.* II. Ipsos hostes excultiores inde factos. Hoc commodum tangit & in *lib. II. de Constantio c. 11.* ibi: *Romani olim orbi terræ acerbum jugum imposuerunt, sed jugum salutare exitu; quod ut Sol caliginem ab oculis, sic barbariem ab animis fugavit. Quid Galli nos aut Germani nunc essemus, nisi magnæ*

imperii lux illa nobis affulsisset? Huc pertinet, qvòd scribit *Justinus lib. XLIII. c. 4. §. 1.* de Massilien-sibus, Phocensium colonis: *Ab his Galli & usum vitæ cultioris, depositâ & mansvefactâ barbarie, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didicerunt.* III. Præsidium fuisse in subjectos: Hìc consulendi *Virdungus ad Agricolam c. 6. & Berneggerus ad Justinum lib. XLIII. c. 3. § 13.* IV. Militum emeritorum fuisse præmia: Qvanqvam de injuriâ prorsus dissimulare non possumus; & est exemplum infrà *lib. IV. c. 5*: Nihilominus excusat *Lipsius*, & svadet magnis Regibus, ut hunc morem colonicum imitentur. Hinc verò constat, omnes homines peragrationibus & coloniarum multitudine jam olim confusos; ut de originis suæ antiqvitate & vetustate nimis laborare, vel gloriari, vanorum hominum videatur.

§. 3. *Vt totius mundi opes*] Et tributa. Fragmentum Diarii veteris 4. Non. April. A. V. 585: CLASSIS. CHARTAGINIENSIS. OSTIAM. INGRESSA. CUM. TRIBUTO.

AD CAPUT V.

§. 1.

Tarquinius postea Priscus] Iis, qvi de Tarqvinio Prisco scripsere, adde *Polyb. in Exc. Peir. p. 8. Dion. Cocc in Exc. Peir. p. 571.*

§. 1. *Quamvis transmarinæ originis*] Id factum sæpè deinceps prædicabant posteri.

Canulejus apud Livium lib. IV. cap. 3. sic ait: *Dum nullum fastiditur genus, in quo emineret virtus, crevit imperium Romanum.* Item: *Ne Regibus quidem exactis clausa urbs fuit peregrinæ virtuti.* Vide ad hoc caput *Gruterum & Melch. Iunium part. I. Quæst. Polit. 15.* qvi pro peregrinis qvatuor rationibus pugnat. Cui addas, velim, illud *Plutarchi* ex Sulla: *Ut venator non quærit, quòd tali cane natum sit, sed canem: Et eques equum ipsum, non quod ex equo (quid enim si mulus natus sit?) ita vir politicus totâ viâ erraverit, si in rectore non requirat, qui sit; sed è quibus.* Et elogium *Claudiani* de Stilicone:

------ *Lectos ex omnibus oris*
Evehis; & meritum, nunquam cunabula quæris.
Et qualis, non undè satus.

Eadem mens *Nervæ* Imperatoris, qvi *Trajanum* adoptando, tum conjunctionem sangvinis utilitati publicæ, tum *Hispanæ originis* virum Romanis ante posuit, cùm diceret: *Virtutem uniuscujusque non patriam æstimandam*; ut est apud *Xiphilinum*. Qvod ipsum dicebat *Ferdinandus I.* cujus hoc apophthegma *Wilhelmus Zingreffius* refert: *Et viri & vini boni non nimis esse exquirendum natalem locum!* Durior in peregrinos *Bernegger. Quæst. in Germ. Tac. CXC.* cui ferè malim accedere, qvàm reliqvis. Romanorum exempla huc trahi non possunt; qvi ut ex omnibus fuêre collectus populus, sic ab urbe conditâ ad imperii supre-

prema, sine reipublicæ detrimento, peregrinos admisere; cujus ingenii & Fortunæ pleræq; gentes minimè sunt. *Sveciâ*, & Reges, qvos apud vicinos illa qvæsivit, hæc res magnis olim motib⁹ involvit. *Christianus* enim *I. Rex Daniæ & Sveciæ*, qvòd præfecturas *Svecorum* committeret *Danis*, Sveciæ regno excidit; ut est apud *Meurs. lib. I. Histor. Dan. p. 35.* Qvi & de *Iohanne*, ejus filio p. 172: *Sed in eo*, inqvit, *in regnandi legem deliquisse meritò judicari potest, quòd subactis à se Svecis contra pacta* Danos *suos ac* Germanos, *peregrinos potiùs præficiendos, quàm indigenas* Svecos *duxerit; nec eorum in dominatu non ferendam impotentiam tempestivè compescuerit. Nam gens quæq; paulò erectioris animi eo planè est ingenio, ut imperiis suorum haud gravatè morem gerat; externorum irritetur: Et cùm se de fide eorum dubitare ostendit Princeps, eam facilè per occasionem exuat.* Hæc Meursius. Cùm igitur in civili doctrina secundùm ea pronunciandum, qvæ plerumq; fiunt; adserimus, qvàm plurimis exemplis & Sapientum judiciis moniti, non facilè jugum externum recipiendum esse.

§. 1. *Qui Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset*] Habemus qvidem exemplaeorum non pauca, qvi literis haud tincti, negotiis tamen sibi commissis cùm magnâ gloriâ præsunt. Sic enim de *Narsete Agathias lib. I. pag. 21: Erat Narses prudens in primis & industrius, valdèq; peritus, accommodandi se cuivis fortunæ atq; eventui. Et doctrina quidem, & eloquentiæ non magnoperè studue-*

rat; naturæ verò dexteritate eminebat. Plura cõ-
gesſit *Virdungus ad illa Tacit.* in vita *Agricolæ cap.*
9: *Agricola naturali prudentiâ quamvis inter to-
gatos facilè juſteq; agebat.* Nihilominus tutius ac
præſtantius, cùm Tarqvinio induſtriam Italicam
miſcere Græcis elegantiis, qvarum compotes fu-
unt, qvi, ut illo ævo Græci, literis incumbunt. Li-
teratus princeps *Iulianus* fuit, de qvo *Amm. lib.*
XVI. p. 62. Item *Severus de quo Spartianus: Severus
ex humili per literarum & militiæ officia ad imperium
plurimis gradibus fortuna duxit, p. 71.* Literarum
cùm eſſet expers *Damophilus Ennenſis*, & ſibi &
liis nocuit. *Diod. Sic. in Exc. Peir. pag. 367.* D
Ioviano ſimile *Ioh. Antiochenus, ibid. p. 844.* Ne
non de *Valente* videndus *Amm. lib. XXXI. p. 464.*
Qvod cùm probè intellexiſſet *Amalaſuenta*, Go-
thorum Regina, *cujus virilis animus* (uti *Val. Max.
l. VI. c. 1. §. 1.* de Lucretia) *maligno errore fortunæ mu-
liebre corpus ſortitus eſt*, operam dedit, ut *eruditus*
haberet *filium.* Ejus apud *Caſſiod. lib. X. epiſt. 3.* ver-
ba ſunt: *Accedit his bonis deſiderabilis eruditio lit-
rarum quæ naturam laudabilem eximiè reddit or-
natam.* Ejusdem animi fuit *Carolus M.* cùm
Academias ſcholaſq; fundaret, qvæ adhuc vigent,
ac temporum ſuorum barbariem corrigeret. Qvo
exemplo plures poſtea Imperatores de humano
genere benè meriti ſunt; ac cultam rerum faciem
liberalitate ſuâ reduxerunt. At contra *Marius*
judice *Plutarcho*, ſi perſvaderi ſibi paſſus fuiſſet,
uti Græcis Muſis & Gratiis ſacrificaret, haud pro-
fecto

fecto turpiſsimam rebus præclarè geſtis coroni-
dem impoſuiſſet. Cujus *Plutarchi* & illud eſt in
Coriolano: *Nihil majus ex Muſarum placido com-
mercio capiunt homines, quàm quòd naturam miti-
gent & eam manſvefaciant ratione & doctrinâ, am-
plectentem ex iis modeſtiam; & quod nimis eſt, fu-
gientem.*

§. 2. *Hic & Senatus Majeſtatem numero
ampliavit, & Centuriis tribus auxit*] Mutilus
locus, ut vult *Pighius*; qvi legit partim ex manu-
ſcripto monaſterii S. Amandi, partim ex Hiſtoricis,
ut ait, aliis: *Hic & Senatus Majeſtatem cen-
tum Patrum numero ampliavit, & Equites cen-
turiis tribus auxit.* In eadem ſententiâ erat
qvondam *Virdungus* noſter. Sed falluntur viri
doctiſsimi. Nam admiſſo ſupplemento, parùm in-
telligimus, qvomodo ſeqventia cohæreant, *quate-
nus* (id eſt, *quia*, ut docet *Freinshemius in Indice*,
cui velim addas *Iuſtinum lib. XII. c.* 11. §. 6. *& Ho-
ratii locali b. I. ſat.* 1. *& 3. & lib. II. ſat.* 4. *lib. III. Carm.
od.* 24. qvæ obſervat *Torrentius. Iornandes*, qvi
vertit per *quamvis*, toto cœlo errat) *equites auge-
re prohibitus eſt, auxit equites centuriis tribus.*
Nullus profectò ſenſus. Ego retineo vulgatam
cùm *Salmaſio*, *Grutero* & *Freinshemio*. *Tribus*
hic non eſt numerus vel Ablativus à Nominati-
vus, *Tres*; ſed eſt Accuſativus à Nominativo *Tri-
bus*, die Zunfft ut hodiè loqvuntur. Igitur jam
ſenſus clarus. Cùm Tarqvinius per augurium

pro-

prohiberetur augere tribus, hoc est, novas tribus adjicere veteribus; reliqvit illas, nec novas addidit; sed tamen veteres auxit centuriis, ita ut ista sub illis tribubus, qvas Romulus instituit, comprehenderentur. Hæc, qvæ dixi confirmo verbis *Dionys. Halicarn. lib. III. cap. 94*: *Idem Navius cùm aliquando Tarquinius ad veteres TRIBVS è delectis à se recens Equitibus tres novas adjicere vellet, eas TRIBVS additicias à se atq; amicis suis denominatas solus fortiter contradixit.* Livius qvidem *centurias* vocat, sed non ideò vetus lectio, & qvam hoc qvidem in loco *Iornandes* amplexus est, repudianda, vel alia in farcienda; cùm aliunde confirmari possit. Sed & cur mutilum Florum crediderit *Pighius*, ex *Iornande* non video. Ait Jornandes: *Hic & Senatus Majestatem centum Patrum numero ampliavit.* Hinc existimat, qvædam etiam deesse in seqventibus Flori. Sed scire debebat *Iornandem ita Florum ex scripsisse, ut nonnihil addat de suo perspicuitatis causa*; licet revera nonnunqvam obscuret potius. Ergò Jornandis sunt ista: *Centum Patrum*: Et manuscriptum monasterii S. Amandi ex Jornande infeliciter suppletum est.

§. 3. *Ille rem expertus augurio*] Qvanta, Deo connivente, vis Magiæ, ut ipsas cogitationes hominum penetret! Simile, qvod legimus apud *Tacitum lib. VI. Annal. c. 21.* de Tiberio & Trasullo Mathematico: *Quoties Tiberius super negotio consultaret, editâ domus parte, ac liberti unius conscientiâ utebatur. Is literarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) præibat eum, cujus artem experiri Tiberius statuisset; & regredientem, si vanitatis ac fraudium suspicio incesserat, in subjectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Trasullus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi & futura solerter patefaciens, interrogatur, an suam quoq; genitalem comperisset horam, quem tùm annum, qualem diem haberet? Ille positus siderum ac spatia dimensus, hærere primò, dein pavescere, & quantùm introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus, postremo exclamat: Ambiguum sibi ac propè ultimum discrimen instare. Tùm complexus eum Tiberius, præscium periculorum & incolumem fore gratatur: Qua; dixerat, oraculi vice accipiens inter intimos amicorum tenet.*

§. 4. *An cotem illa secare novaculâ possem*] De hâc cote, & novaculâ plura dixi *ad Valer. lib. I. c. 5. dissertat. 2.*

§. 6. *Inde trabeæ*] Vide *Casaubonum ad Flavium Vopiscum. Pancirollum lib. I. Thesauri Variar. lection. c. 9. 10.*

§. 6. *Annuli*] Sed jam antè à *Sabinis* habuisse, docet *Kirchmannus de Annulis, c. 2.*

§. 6. *Phaleræ*] De his *Lipsius lib. V. de Milit. dialog. 17.*

§. 6. *Quatuor equis*] *Freinshemius* in Indice, voce *Equus* refutat *Godelevaum*, tanqvam non intellexerit *Livium lib. V. c. 28.* scribentem: *Camil-*

millo invidiæ fuisse, quod triumphantem albi per Vrbem vexerint equi. Ipse periphrasin saltem exi- stimavit; nec potuisse Camillo vitio dari, qvod omnes usurparent: Mentem verò *Livii* fuisse, non detrectasse populum triumphum ejus, sed com- parasse saltem gloriam eam, qvam in Falisci tanti fide & justitiâ peperierat, cùm triumpho, qvem al- bi fortibus factis. Sed cùm posteà animadverti- set, eandem mentem & *Livio* & *Plutarcho* & *Au- ctori de viris Illustribus* fuisse (imò eadem men *Dionis lib. LII. pag. 541*: *Audivisti etiam hoc, quem admodum* Camillum *majores nostri, quòd* albis equ *in triumpho usus esset, in exilium egerint.* Necno *Symmachi lib. X. epist. 24.* scribentis: *Memor b norum parentum, quos Tarquini fastus, & ipsius C* milli currus *offendit*) correxit se *in notis ad Curti lib. III. c. 3. §. 11.* Nihilominus *Plutarchum* oppu gnavit, cum *Aurelio Victore*; præsertim qvòd *alt* longiùs profectus esset, affirmando, *post Camillu neminem Imperatorum albis equis invectum esse.* gitur obvertit *Ovidium*, *Tibullum*, *Claudianum Svetonium*, *Servium*; qvi omnes consensu tradun *triumphantium albos equos* fuisse: Tamen in fi concedit, *Camillum* primùm ita triumphasse *Liv. lib. V. cap. 23.* cujus verba sunt: *Triumphus mnem consvetum illius diei modum aliquando exce sit. Maximè conspectus est ipse curru equis al junctis Vrbem invectus: Parumq; id non civile mod sed etiam humanum visum, Iovis Salisq; equis eq paratum Dictatorem in religionem etiam trahebant Tri*

Triumphusq; ob eam unam maximè rem clarior quàm gratior fuit. Nota: *Consvetum illius diei mo- dum*, qvasi anteà more Romano receptum non fuerit. Qvod si Poëtis contra Historicos aliqvid tribui posset, etiam *Livio* haberem, qvod obver- terem. *Ovidium* dico *lib. VI. Fastor.* ibi

Scilicet hic olim Volscos Æquosq; fugatos
Viderat in campis Algida terra tuis.
Vnde suburbano clarus Tuberte triumpho
Vectus es in niveis, *Postume, victor* eqvis.

Loqvitur de A. Postumio Tuberto, qvi de Æqvis & Volscis triumphavit, A. V. 322. 14. Cal. Jun. XXXV. annis ante, qvàm triumphavit de Vejen- tibus Camillus. Sed omninò sum in eâ sententiâ, *Nasonem* ὁ πελλὰς scripsisse. Qvam etiam *Sosi- pater* ac *Rufinianus* agnoscunt in illo *Virgilii XII. Æneid.*

Interea Reges (ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru -- -- --
----- bigis *it Turnus in* albis.
Hinc Pater Æneas, Romanæ stirpis origo,
Et juxta Ascanius Magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris.

NOTÆ AD CAP. VI.

§. 1. *Nec obscuritas inhibuit*] Vide, qvæ dixi *ad Valerii lib. III. c. 4.* Unde intelligas etiam hoc, qvæ conferendarum dignitatum ratio qvon-

dam

dam fuerit; cùm hodiè generatum & natum esse Principibus solum ferè instrumentum sit indipiscendi honoris. Prorsus, ut *Nævius* qvondam cecinit: FATO METELLI FIUNT CONSULES! Cùm indicare vellet, virtutem in hæc comitia non descendere.

§. 1. *Nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberaliter educaverat*] Livius lib. I. cap. 39: *Erudiri cœpit artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur.* Vide Gruterum. De institutione regia *Synesius*, à Zamoscio conversus; *Franciscus Patricius* vel commentario, aliisq; complures.

§. 1. *Visa circa caput flamma*] De hoc prodigio *Freinshemius ad Curtii lib. III. c. 3. §. 3. & Gruterus ad Livii lib. XXV. c. 39.* Inter omina imperii *Maximino* facta refert *Capitol. in Maxim.* p. 149. Scutum ejus sub sole arsisse. De *Mose* de sis *Vossium de Idol. p. 231.*

§. 1. *Clarum fore*] Ratio interpretationis in promptu. Nota hic obiter qvoties *de re clara* loqvebantur veteres, *Metaphoras à flammâ*, ejus potentiâ *mutuatos* esse, *non* sine magnâ sermonis gratiâ. *Cornelius Severus* in Ætna: *Nunc opus artificem incendit*, hoc est, celebrem, clarum, admirabilem reddit. *Varro* de Re Rust: *Incendere aliquem nonam*, hoc est, pretiosam reddere, *Plautus* in Trinummo: *Si istuc, ut conare, facis indicium, tuam incendes genus.* Plura observat *Scaliger in Ætnam*

§. 2. *Qua*

§. 2. *Quasi ad tempus*] Simulabat enim Tarqvinium Priscum adhuc vivere, confidere propediem eos visurum. Interim Servio Tullio jubere populum dicto audientem esse: Eum jura redditurum obiturumq; alia Regis munia. Qvo de stratagemate prætet alia, qvæ habet *Freinshemius*, multi, tùm Græci Scriptores, ut *Nicetas Choniates*; tùm Turci, ut *Leunclavius in Historia Muselmannica* agunt. Similis ars *Plotinæ*, occultantis montem *Trajani*, ut proveheret *Hadrianum.* Vide *Dion.* sive *Xiphilinum in Hadriano pag. 788. edit. Leunc.* Geminum exemplum, apud *Brunn. lib. XIII p. 472.* Et addendum, qvod habet *Meursius lib. II Historiæ Danicæ pag. 133. in A. C. 1504.* qvo *Svanto* mortem *Stenonis Stunæ* in aliqvod tempus negavit; ut ipse Gubernator Regni Sveciæ crearetur, qvàm hujus mortis nuncius in Daniam perveniret. Idem *Mahumetanis* Anno 1578. maximè *contra Lusitanos* profuit *in* funesto illo *prælio* non procul ab *Alcaza in Aphricâ* depugnato; qvo *tres Reges* occubuere, *Sebastianus Lusitanus, Abdelmelechus & Muhametes*, patruus & nepos, Reges Fesani. Sed *Abdelmelechi mors* astutè occultata suis victoriam peperit. Nec procul hinc recedit impostura *Pseudo-Mergidis* magi, ejusq; fratris apud *Justinum lib. I. cap. 9. §. 9. & Herodot. lib. III.* At contra qvantùm noceat id genus mortes intempestivius vulgati, docet apud *Iosephum lib. XII. Antiquit. Iudaic. c. 23.* mors *Antiochi Dionysii*: Jam certus erat de victoria, sed dum occi-

occiditur, totus exercitus in fugam se conjicit. Nonnunqvam etiam clades suas celare expedit toti exercitui; ut docet *Freinsh. in Curt. lib. VII. c. 7. §. 39.*

§. 2. *Regnum dolo partum sic egit industriè, ut jure adeptus videretur,*] Pisistratus qvantâ iniqvitate rempublicam oppressit, tantâ æqvitate rexit. Contra atq; Agrigenti *Phalaris* fecit. Unde *Cicer. ad Atticum lib. VII. epist. 20. Ad fugam hortatur amicitia Pompeji, causa bonorum, turpitudo conjungendi cum tyranno: qui quidem incertum est, Phalarimne an Pisistratum sit imitaturus.* Alioqvin *nemo unqvam imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuit, ut* ait Piso apud *Tacitum lib. I. Histor. c. 30. §. 3.* Qvod verum esse, non solùm confirmat *Bonifacius IX.* Benedictus *Caietanus* antea nuncupatus, qvō de proditum *Baldo* & *Fasciculi temporum* Auctore: *Intrâsse ut vulpem, regnâsse ut Leonem, mortuum esse ut canem* sed pleriq; Pontificum Romanorum, ut *Oratio* pulcherrimâ ostendit *Berneggerus* habitâ in Jubilæo Anno 1617.

§. 3. *Ab hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classes*] Regem vel ob hoc num maximi faciendum! qvi civitatem & omne Reipublicæ rationes, veluti probus pater familiæ privatæ domus familiam & opes aptissimè dispensavit, & in tabulas retulit; ut nihil confusum nihil obscurum, nihil incognitum Magistratibus in tam amplâ Republ. posset esse. Qva propter

Lare domus ac familiæ tutelari Deo in regiâ Tarqvinii ex foco genitus fingitur; ut eam fabulam egregiè interpretatur *Pighius lib. I. Annal. pag. 46.* Tam diligentem posteà fuisse *Augustum* colligo existis *Svetonii in ejus vitâ cap. 101: Reliquit tria volumina: Vno mandata de funere suo complexus est: altero indicem rerum à se gestarum, quem voluit incidi in æneis tabulis, quæ ante Mausoleum statuerentur: Tertio breviaria totius Imperii, quantum militum sub signis ubiq; esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigalium residuis: Adjecit & libertorum servorumq; nomina, à quibus ratio exigi posset.* Meminit hujusdem *Tac. lib. I. Ann. c. 11.* Tale aliqvid, *Notitia Imperii*, qvam hodie habemus. *Alexander Severus milites suos sic ubiq; scivit, ut in publico haberet breves & numerum & tempora militantium, semperq; cùm solus esset, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & stipendia recenseret, ut esset ad omnia instructissimus. Deniq; cùm inter militares aliquid ageretur, multorum dicebat & nomina. De promovendis etiam sibi annotabat; & perlegebat cuncta pittacia; & sic faciebat, diebus etiam pariter annotatis, & quis & qualis esset, & quo insinuante promotus.* Hæc refert *Spartianus in Alex. Sev. p. 120 121.* ubi *Casaubonus p. 162: Hæc pars erat Rationarii Imperii, cujus auctor Principum maximus Augustus. Svet. c. ult.* Et mox idem *Casaubonus* legit: *Breves, & numerum & tempora militantium indicantes.* Rationarii Imperii ab Augusto instituti pars fuit is, qvi dicebatur *Liber*

beneficiorum. In eo descriptum erat accuratissima diligentiâ, qvi agri, qvibus colonis essent divisi; & qvæ subsiciva agrorum, qvæ dividi aliis possent; ut ex *Hygeno de limitibus constituendis* docet *Casaubonus ad Spartiani Alex. Sev. pag.* 171. Adde præterea *Stip. Amiratum lib. I. Disc. 5. in Tac. Clapm. lib. V. cap. 14. Bodin. lib. VI. c. 2. Forstn. in Tac. pag.* 50. & 51. *Casaub. ad Spart. p.* 73.

§. 3. *Relatus in censum*] Nam legem tulit: *Vti civis unus quisq; bonorum omnium suorum ve-ram æstimationem jurejurando comprobatam ad Re-gem deferret, genus, ætatem, nomina uxorum, libe-rûm, familiæq; omnis: Quæ prædia urbana vel rusti-ca, servorum pecudumq; numerum, fundorum in-strumenta singulatim sine dolo profiteretur. Qui-bus in regione quove pago suburbii habitaret, ubi-que res possideret. Qui secus fecisset, bonis publi-tis civitatem amitteret, cæsusque virgis sub hastâ ve-niret.* Hæc à civibus exigebantur singulis quinquenniis; & post Regifugium exigebant *Censores* in *Campo Martio*. Tulit & alteram: *Vti pater fa-milias unusquisque pro nascentibus ad ædem Iunonis Lu-cinæ, pro sumentibus togam virilẽ ad Iuventutis, pro defunctis ad Libitinæ certas stipes penderent; earum quotannis æditui in tabulas referrent; ex quibus pu-rorum, puberum, ac mortuorum certus numerus sin-gulis annis cognosceretur.* Habuerunt hæc Institu-ta maximas utilitates: Nam & multitudinem re-rum, qvi arma ferre possent, viresq; civitatis, cu-niarumq; in super magnitudinem, nervum be-li, monstrabant.

§. 3.

§. 3. *Digestus in classes*] In *sex classes*, qvæ rursus distributæ in *centum nonaginta tres centu-rias*: In harum classium *primam* allegebantur, qvi *centum millium aris*, aut majorem censum habebant; hoc est, ex computatione *Budæi*, qvorum patrimonium mille aureos nostrates vel æqvaret, vel excederet: In *secundam* admittebantur, qvorum *septuaginta quinq; millium* census esset, hoc est, 7 ro. aureorum: In *tertiam*, qvorum *quinqua-ginta millium aris*, hoc est, 500. aureorum. In *quartam* veniebant, qvi *quinq; & viginti millium aris* possidebant, hoc est, 250. aureos: In *quintam* qvi *undecim millium aris*, hoc est, 110. aureos: In *sextam*, aut ultimam *capite censi* conjiciebantur, hoc est, qvi aut parvo aut nullo ære censebantur. Hæc ita, uti exhibeo, qvondam ad hunc locum notavit *Virdungus*. De Servio Tullio *Diod. Sicu-lus in Excerptis* Peirescianis: *Servius Tullius Ro-manorum Rex quatuor & quadraginta annos re-gnum tenuit*, ἀφ' ἧς ἰδίας ἀρετῆς κατωρθωκὼς ὧν ὑπ' ἄλλων κρατῶν, *suâ virtute multa præclara ordinans. pag.* 240. 241.

§. 3. *Curiis*] Idem *Virdungus* legebat *decu-riis*: Nam, inqvit, *Curias non Servius sed Romulus instituit*. Qvod ipsum fuisse in animo credo *Iorr-nandi*, cum à vulgatâ Flori lectione diversum scri-beret. Sed hac ipsâ ratione correctionem omne m abjicere possum, qvòd *Romulus* etiã decurias *ante Servium* instituerit. *Dionys. lib. II. c.* 7. Curiæ ru r-

 sum

sum in *Decurias* à Romulo distributæ sunt, & suus cuiq; *Decuria* præfuit *Rector*, *Decurio* vernaculâ lingvâ dictus. Qvid igitur? Propior sum existimanti, Florum auctores secutum esse longè diversos ab aliis; & Tribus institutas velle à *Romulo*, Centurias à *Tarquinio Prisco*, Curias à *Servio*. Certè & *Freinshemius* in hoc ipso paragrapho notavit dissensum à *Plutarcho* & *Plinio*.

§. 3. *Collegiis*] Græci συνεδρίας vocant. De his ipsis videnda *l. IV. ff. de Collegiis & Corporibus*. Sigonius interpretatur *collegia artificum opificum*. Qvorum cum posteà multa essent adversus salutem Reipubl. sublata sunt. Nam sub eorum nomine coire solebant factiosorum hominum cœtus. Adeundus *Petrus Victorius ad Arist. lib. V. Pol. 6.* Etiam de *C. Cæsare Svetonius in ejus vitâ cap. 42.* auctor est: *Cuncta collegia præter antiquitus constituta detraxisse*. Qvale & in *Augustanâ* Republicâ *Carolum V.* & in *Francofurtanâ Matthiam I.* fecisse ad eum locum notat *Berneggerus*.

NOTÆ AD CAP. VII.

§. 1.

Cvi cognomen Superbo ex moribus datum] De Tarqvinio Superbo vide Dion. *Cocceium in Exc. Peireſc. pag. 572. Ioh. Antiochenum in iisdem pag. 787. Vide ibidem Valesium pag. 115.*

§. 2. *Regnum avitum*] Qvod benè notavit *Freinshemius*: Tarqvinium Priscum *avum* faci-

L. Tar-

L. Tarquinii superbi; qvem alii *patrem*. Sic Auctor Fastorum Consularium & Triumphorum apud *Gruterum Inscriptionum Opere pag. 266.* L. TARQ. DAMA. Qvod rectè supplent *Sigonius, Onuphrius, Pighius*: L. TARQVINIUS L. F. DAMA rati. N. Nec enim secundum *Dionysium*, vel *Florum* nostrum potuerunt: *L. Tarquinius. L. F. L. N. Damarati pron.* Cùm auctor ille non soleat proavorum meminisse. Igitur & hic Tarqvinium Superbum Prisci filium credidit, qvia Damarati nepotem nominavit. Addo *Strabonem lib. V. p. 220.* Neutra tamen sententia falsa, si admittimus conciliationem; ad qvam nobis præit *Dionys. lib. IV. c. 9. subfin.* Filius est, sed adoptivus. Hic potuit esse. Nam cùm Tarqvinius Superbus moreretur, erat *nonagenario major*, ut scribit modò laudatus *Dionysius lib. VI. cap. 18. & Lucianus in Macrobiis* Ergò jam *sextum* annum *egressus* erat, cùm occideretur Priscus. Siqvidem à cæde *Prisci* ad mortem *Tarquinii* sunt anni LXXXIV. Sed qvòd filius naturalis non fuerit, nec potuerit esse; tibi dicet idem *Dionysius d. lib. IV. c. 8. & 9.*

§. 2. *Rapere maluit, quàm expectare*] vulgò duo habentur legitimi modi Principatus capiendi: *Electio* & *Successio*. E qvibus *Successionem* vocant, cùm gentilis is honor est, & Princeps è Principe nascitur: *Electionem* verò, cùm spreto natalium jure suffragiis designatur. Qvi igitur alterutrâ harum viarum ad Principatum non pervenit, is *rapere* dicitur, & *Tyrannus* est.

§. 2. Sce-

§. 2. *Scelere partam potestatem non melius egit*] Pertinet ad ea, quæ dixi *ad caput 6. §. 2.* Similiter *Erycius Puteanus Comment. in lib. II. Histor. Insubricæ p. 151* : Alahis quo flagitio Regem exturbavit, eodem furore tyrannum egit. Adde locum similem è *Diod. Sic. lib. XV. c. 61.*

§. 3. *Nec abhorrebat moribus uxor*] *Livius* in eâ hiſtor: *Lib. I. c. 46.* ſcribit: *Contrahit celeriter ſimilitudo ſuos, & malum malo aptiſſimum.* Convenit cùm illo *Theocriteo Idyll. IX*:

Τίτθᾳ μὰν τίτθα φίλα, μύρμακι μὲν μύρμαξ
ἴρηκι δ' ἴρηξ.

Id eſt:

Formicæ formica, cicadaque grata cicada,
Accipitri accipiter.

Et cum illo Plin. in paneg. c. 45: *In alio ſua quemque natura delectat.* Quod ipſum *Otho Galbæ* objicit apud *Tac. lib. I. Hiſtor. c. 30. §. 1.* Simile quid habet *Ioſ. Scaliger. ep. 1.* de Benedicto avo, & Julio Cæſare patre: *Quemadmodũ Benedicto, homini placidiſſimo ac moderatiſſimo, uxor imperioſa, factioſa, elata (quales animos producere ſolet gens Lodronia) ſemper aliquid magnum ac ſupra fortunam profugi mariti ſpirans: Ita Iulio filio* iracundo, & ad levia momenta irritabili, contigerat uxor; qvæ rum prudentiâ ſuâ irarum ſurgentes motus præſentiret, tum patientiâ atq; diligentiâ eluderet.

§. 4. *Superbia, quæ crudelitate gravior eſt bonis*] Qvia ſcilicet homines alto ſupercilio deſpi-

ſpicit, & filiam habet contumeliam. At deſpectum & contumeliam ſemper graviorem exiſtimant homines ingenui, qvàm vulnera, & vitæ pericula. Qvod oſtendam aliqvot exemplis: In *Druſum*, Tiberii filium, maximâ irâ ferebatur *Sejanus*, qvod orto fortè jurgio intendiſſet ipſi manus, & contra tendentis os verberaſſet, ut eſt apud *Tac. lib. IV. Ann. c. 3.* nec ceſſavit, donec ſubvertiſſet. *Iaſonem Theſſalum*, in qvo tanta Græciæ ſpes erat, qvanta poſtea in Alexandro M. inter fecêre qvidam juvenes, qvorum ſingulis denas plagas imponi Gymnaſiarchæ conceſſerat; ut ſcribit *Val. Max. lib. IX. c. 10. ext. 2.* Ubi prudenter adjicit, juvenes illos *animi non corporis dolore pœna modum æſtimâſſe.* Et mox vocat *irritamentum ingenui pudoris.* Idem *Sodericho* apud *Agathiam lib. II. l. p. 82. & 83.* necem accerſivit, qvod *duos Miſimianos* liberiùs loqventes baculis cędere juſſiſſet. Simile eſt qvod refert Luitprandus: *Habuerat Marocia* (nobiliſsima ſuo tempore atq; potentiſsima in Italiâ fœmina,) *filium Albericum, quem ex Alberico Marchione ipſa genuerat. Qui dùm matris hortatu Regi Hugoni, vitrico ſcilicet, aquam funderet, ubi manus ablueret, ab eo dextrâ leviter objurgatus eſt, eò, quòd imprudenter aquam affunderet. Is contumeliam agerrimè ferens graviſſimæ ſeditioni faces ſubjecit, quâ Romanâ civitate pulſus vitricus, velut alter Tarquinius fugit, eò adhuc miſerior, quòd nullis populum injuriis irritârat*, Judice qvidem *Puteano* in dictâ *Hiſtor. Inſubr. p. 297.* De *Megolo*

dixi nuper è *Folietâ* ad *cap.*3.§.4. Ex qvibus constat, non semper *crudelitatem* ultimam *calamitatem* esse, qvâ Princeps civem afficere possit; nec qvicqvam homini prudenti tam cavendum, qvàm *superbiam & contemptum*, qvæ gignunt *contumeliam*, unde odiorum ac dissidiorum in Republ. freqventissima causa; ut multis docet *Aristot. lib. V. Polit.* Cui velim jungas *Lipsium ad Sen. libr. de Constant. Sapientis c.* 4. *& Freinshemium ad lib. IV. Flori nostri c.*12.§.30. A Floro, qvi superbiam crudelitate graviorem dicit, dissentit *Cicero Verr. III. cap.*47. De Cæsaris superbiâ in Senatum *Sveton. Scip. Amirat. disc.* 1. *lib. I. De Henrico Brunn. lib. XI. p.*26.27. super hæc *Tacit. lib. II. Hist. c.*20. de Salonina uxore Cæcinæ: *Vxorem quoq; ejus Saloninam, quanquam in nullius injuriam insigni equo vehi, tanquam læsi gravabantur.* Præterea *Idem lib. eod. cap.* 84. ita perhibet: *Omnes exercitus flammaverat arrogantia venientium à Vitellio militum; quòd truces corpore, horridi sermone, cæteros ut impares irridebant.* Superbissimum responsum *Servilii Proconsulis* Italiotas ad suam aliorumqve pestem ac perniciem concitavit. *Diod. Sic. in Exc. Peir. p.*399.

§. 4. *Cùm sævitiam jam domi fatigasset.* Pari elegantiâ Seneca *lassam crudelitatem* dixit *lib. I. de Clem. c.* 11. qvem locum debemus *Virdungo*. Iterum *Seneca lib. I. de Irâ, c.*16. dicens: *Innoxii serpentium dentes sunt, cùm illos frequens morsus exhaussit.* Adde *Brunn. lib. IX. p.*701.

§. 6. *Vt simulanti transfugam apud hostes hinc fides esset*] Eo stratagemate non semel decepti hostes, ut Duci, vel Moderatori Reipublicæ diligenter sit prospiciendum, ne incautiùs admissis transfugis vel hospitibus cladem accipiant. Vide *Freinshem. ad Curt. lib. IV. c. 6. §.*15. *Bernegg. ad Tac. Quæst. CXXV.* Adde, qvod *Nicephorus Gregoras* refert, *lib. III. de clade Michaelis, Ætolia & Epiri Despotæ*, qvam ipsi simulatus transfuga intulit. His valdè affinia sunt, qvæ de militibus *contra sua nationis militem* infeliciter ductis legimus. Qvâ de re copiosè *Piccartus Detad. III. Observ. c.* 2. Flori verò exemplo proximè adsident ista: *Valesius in Annotat. ad Excerpta Peiresc. & quidem Polybii, pag.*35. eum scripsisse refert, *Philippum* mandasse *Heraclidi*, ut qvovis pacto *naves Rhodiorum* corrumperet. Qvod mandatum ut exeqveretur Heraclides, *flagris semet ipse laceravit*; atq; ita progressus è regiâ, cùm flens sic se à Philippo miserè habitum esse diceret, mox ad Rhodios clàm confugit: eisq; epistolas Philippi ostendit, qvibus *Philippus Cretenses* ad societatem *adversus* Rhodios hortabatur. Paulloq; post occasionem nactus, *navalia Rhodiorum incendit*, ut refert *Polyæn. lib. V. ex Polybio*, ut opinor. Hæc Valesius. *Murat Chan Gasi III.* Turcarum Imperator, cùm omnia circumspiceret ac perpenderet de ratione capiendæ *Hadrianopoleos*, tandem optimum reperit, si fugâ simulatâ *Chazis Ilbegus* Hadrianopolin sese reciperet. Intellecto *Muratis* consilio,

paruit *Chazis*; & cùm *Hadrianopolin* profugisset, acerrimum se *Muratis hostem* professus est. Simul indies eruptione factâ Murati negotium facessere, & ob id magnâ apud Regulum Hadrianopolitanum gratiâ esse. Qvòqve magis deciperentur obsessi, Murates qvotidiè nonnullos è suis adornabat, qvi velut à Murate non pro meritis in castris habiti, ex illis in Urbem profugerent. Horum numerus brevi crevit ad *ducentos*; qvi adeò feroces facti, ut Urbem à se capi posse neqvaqvam dubitarent. Fortè nocte qvadam *Chazis* Hadrianopoli cum primâ luce portam urbis aperiri sibi jussit, qvòd *cum decem* è suis *venatum sese exiturum* diceret. Freqventer id facere solito nec cùm negabatur. At ille apertâ portâ gladium subitò stringere cœpit; eodemqve momento aderant transfugæ reliqvi: Et cùm urbis portam occupassent, Turci, qvi non procul ab urbe delitescebant, accurrunt; & urbem ingressi miserandum in modum omnia diripiunt. Refert *Leunclavius lib. V. Histor. Musulm.* Similis calliditas *Marsilii Carrari*, qvi *Venetias* profectus, à populo Veneto lapidibus se peti passus est, ne scilicet *Scalanis* Dominis suis suspectus haberetur; qvi eâ mente ad Venetos sub Oratoris nomine accesserat, ut occultè cùm iis *de tradendo Patavio* ageret. Qva de re videndus *Petrus Justinianus lib. IV. Histor. Veneta.* Stratagema longè artificiosius habet *Tacitus lib. XII. Ann. cap.* 43. & 44. de *Rhadamisto*, qvo patruo dolum struxit.

§. 7. *Emi-*

§. 7. *Eminentia fortè papaverum Capita virgulâ excutiens*] Hoc ipsum *Thrasybulum* fecisse, præter *Dionysium* (qvem *Freinshemius* citat) scribit *Diogenes Laërtius in Vitâ Periandri*, & *Aristot. lib. III. Polit.* Esset hic pulchra differendi occasio, sed qvàm plura huc facientia contuli olim *ad Velleji Pater. lib. II. c.* 22. ut nimis tædiosum sit omnia repetere. *Compendium est devincendorum* hostium, *duces sustulisse*. Vide sis *Eumen. Paneg. IX. cap.* 11.

§. 7. *Quæ Superbia! Sic respondit*] Qvasi per admirationem qværit auctor, qvis unqvam tàm superbus fuerit, ut sic interroganti responderet, qvemadmodum scilicet Tarqvinius nuncio à filio misso responderat, cùm nullam vocem emitteret; sed velut deliberabundus in hortum ædium transiens, ibiq; inambulans, tacitus summa papaverum capita decuteret; ut mentem auctoris interpretatur *Virdungus*. Notandum hic: *Ut Regi verborum intemperantia non ex Majestate est*, judice *Seneca lib. I. de Clem. c.* 7. Ita nec *Æthiopum* mos svadendus, qvibus (ut *Plinius lib VI. c.* 30. ait) *pro sermone nutus est*. Vellem hic plura; Sed admodum ea nuper congessi *ad Valerii lib. XI. cap.* 5. Addam hoc unum, non parùm hinc abesse, qvi *omnia per interpretes* agunt. Qvod qvidem dignitatis speciem conciliate magnis Potestatibus è *Paschalio de Legationibus c.* 49. docet *Freinshemius ad Curtii lib. VI. c.* 11. §. 3. Sed periculosum etiam esse ob malitiam interpretum, satis demonstrari

potest,

poteſt. Eâdem enim fraude Principes circumveniri, eodemq; ludibrio haberi poſſunt, qvo *Narciſſus* qvondam habuit Imperatorem ſuum *Claudium*; de qvo *Dio* hanc facetam refert hiſtoriam: *Iulius Cilo* neqviter præfuit *Bithynis*, qvi ob id qveſti ſunt apud *Claudium*; popoſcerunt q; pœnas. Sed cùm Claudius non intellexiſſet *quid dixiſſent Bithyni*, alios interrogat: Ibi *Narciſſus* benè cupiens *Ciloni*, audaciſsimo mendacio circumvenit Imperatorem: *Gratias Bithynos egiſſe promiſſo Cilone*. Ita deceptus Imperator: *Ergo*, inqvit, *proſit eis etiam in alterum biennium*. Præterea vitio vertit *Iuſtinus* Aſſyriorum Regibus *lib. I. c. 2. §. 12.* qvòd reſponſa gentibus per internuncios dederint.

§. 8. *Templum erexit*] Capitolium. De qvo, qvæcunq; dici poſſunt, compendifacere nos jubent *Alexander Donatus* in elaboratiſsimo tractatu *de Româ veteri & novâ lib. II. Et Lipſ. lib. III de Magnitudine Romanâ cap. 5.* Id unum addo, credidiſſe non tàm Romanos qvàm exteros, Capitolii fato alligata eſſe fata imperii Romani. Camillus apud *Liv. lib. V. c. 54.* in oratione de non deſerendâ Româ: *Hîc Capitolium eſt, ubi quondam humano capite invento reſponſum eſt: Eo loco caput rerum ſummamq; imperii fore.* Qvid multis? Ipſe *Florus §. ſeq.* hoc vult: *Nec dubitavere cuncti, monſtrum pulcherrimum, imperii ſedem, caputq; terrarum promittere.* Unde cùm *tempore belli civilis* anno DCCCXXI. *conflagraſſet*, in omen ruituri imperii trahebant Galli Germaniq;, *captam olim à Gallis urbem; ſed integrâ Iovis ſede, manſiſſe imperium. Fatali nunc igne ſignum cœleſtis iræ datum. Et poſſeſſionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi*, apud *Tac. lib. IV. Hiſtor.* De qva ipsâ conflagratione loqvitur *S. Iohannes in Apocalypſi cap. XIII. §. 3*: Καὶ εἶδον μίαν ἐκ τῶν κεφαλῶν αὐτῆς, ὡς ἐσφαγμένην εἰς θάνατον. *Et vidi unum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortem*; ut vult *Hugo Grotius*, vir maximus. Sed mox addit Evangeliſta: Καὶ ἡ πληγὴ τοῦ θανάτου αὐτῆς ἐθεραπεύθη. *Et plaga mortis ejus curata eſt.* Qvòd ſcilicet *Veſpaſianus* Auguſtus *reſtauraſſet*. Qvo tempore, dico ego, maximum cœleſtis iræ ſignum datum. Templum in Judæâ ſanctiſsimum exurebatur. Romæ ſedes omnium Dæmonum in ſublime magnâ gloriâ ſurgebat. Ita certè gaudebat Veſpaſianus eo reſtituto, tanqvâ Romæ vitam & imperium & æternitatem reddidiſſet. Habeo ex munere *Nobiliſſimi Viri, Dn. Ioh. Iacobi Pœmeri, Hectoris F.* æreum, in cujus alterâ parte *Veſpaſiani caput*, cùm inſcriptione: IMP. CÆS. VESPASIAN. AUG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. In alterâ Imperator *Veſpaſianus*, *manu elevans Romam, adſtante armato*; & circùm ſcriptum: ROMA, RESURGES S. C. Sed brevis ea fuit jactantia, cùm *decennio* pòſt *iterùm* exuſtum; ut auctor eſt *Xiphilinus*. Et licet *à Domitiano inſtauratum*, tamen ſæpè afflictum: Et deficiente imperio, *à Gizericho*, Vandalorum Rege, & *Stilichone* miſerè ſpoliatum; dum religio Chriſtiana rerum

poti-

titur; tandem ab *Henrico III.* A. C. M. LXXXIV. captâ Româ, *solo tenus æquatum* est; ut scribit sua prâ laudatus *Alexander Donatus lib. IV. cap.* 8. Capitolium *Tertullianus* omnium *dæmonum templum* vocat *lib. de Spectaculis.* Sed nescio an cuiqvam hactenus observatum sit, qvod legitur apud *Dion. in Exc. Peir. p.* 720. Marcum Imp. plurimum delectatum ἐυεργεσίᾳ, *eiq templum* struxisse *in Capitolio*, ac *proprio* qvodam, & *inaudito* anteâ *nomine* nuncupasse. Ἐυεργεσίαν ibi *Valesius* vertit, *Beneficentiam.* Sed in numis *Antonini* apud *Occonem* passim invenio simulacrum & nomen LIBERALITAS, ut hanc Deam fecisse, & *hoc nomine consecrasse* videatur. *Terrestre domicilium Iovis* vocat *Cic. Verr. VI. c.* 58.

§. 8. *Quod cùm inaugurare tur*] Liv. lib. I. c. 55: *Ut libera à cæteris religionibus area esset templique Iovis, templique ejus, quod in ædificaretur; exaugurare fana sacellaque statuit, quæ aliquot ibi à Tatio Rege primùm in ipso discrimine adversus Romulum pugnæ, vota, consecrata, inauguratáque postea fuerant.* Hæc ille. Istam igitur *exaugurationem* videtur intelligere *Florus*, prius scilicet per posteritatem sive ut dialectici loqvuntur, antecedens per consequens: Neq; enim *in augurari*, id est, *dedicari*, sive Diis consecrari ptiùs aliqvis locus poterat, qvi esset jam aliis Diis sacer, qvàm illi Dii exaugurati tentur; atq; ita liber locus novis Diis relinqvere tur. Unde & *liberare* hoc ipsum vocabant, id est, φανῶ verbo in augurali sicut *effari*, πμανίζειν

Et qvod hæc duo complectitur, *enarrare* sicut docet *Franc. Iunius comment. in libr. Tertull. de Pallio.* Adeundus etiam *Iosephus Scaliger conjectaneis in Varronis lib. V. de L. L. pag.* 54. in *Effari templa*; ubi idem esse docet *sistere fana* Festo & Tacito. *Item castigationibus in Festum* ad vocabulum *Tesca.* Hæc omnia qvondam docuit *Virdungus.* Nec sanè aliter explicandum Florum clarè arguunt *Livii lib. V. c.* 54. verba: *Hîc cum augurato liberaretur Capitolium, Iuventas Terminusq; maximo gaudio patrum nostrorum moveri se non passi.*

§. 8. *Iuventas*] Græcis *Hebe*, Junonis filia, pocillatrix Jovis, Herculis uxor; de qvâ multa *Torrentius ad Horat. lib. I. Carm. od.* 20. Ejusdem Deæ simulachrum cùm Inscriptione JUVENTAS habemus in nummis *Commodi.* Meminit & *Plinius lib. XXXV. c.* 10.

§. 8. *Terminus*] Qvi sacellum ibi habebat à temporibus Numæ. *Plutarchus* in Numâ: *Primum autem ferunt & Fidei & Termini templum condidisse.* In altero adversum habet *Pompejum Festum*, in altero consentientem: Nam *ædem Fidei* jam diu *ante Numam* consecratam ait *ab Æneâ.* De *Termino* idem dicit, qvod *Plutarchus* & *Dionysius.* Etiam statuisse Numam, ut QVEI TERMINON EXARASSIT, IPSUS ET BOVES SACREI ESSENT. De hoc saxo in fabulis est, *Rheam*, qvòd *Saturnus* omnes ex se natos filios devorâsset, eidem *lapidem* fasciis involutum *pro Iove* recens edito deglutiendum præbuisse; Jovem posteà

ſteà lapidem illum ſub Parnaſſo ſtatuiſſe; qvi primùm βαίτυλος, poſteà τέρμων (undè Latinum *Terminus*) appellatus ſit. Videndi *Ludov. Vives ad Aug. lib. IV. de Civit. DEI c. 23. Reineſ. lib. III. Variar. Lection. c. 17. p. 637. Voſſius lib. I. de Analogia c. 27.* Originem cultorum lapidum *Scaliger Animad. in Euſebium n. 2150. p. 198.* Idem *Reineſius d. l. & Hugo Grotius notis ad lib. I. de Verit. Chriſt. Relig. p. 326. edit. Pariſienſis* ſive *p. 113. Lugdunenſis*, manaſſe putant à *Cananæis*; qvi *lapidem* à *Iacobo* in memoriam Divinæ in ſomnio apparitionis & promiſſionis *oleo infuſum* conſecratum in Bethel, *Gen. XXVIII. §. 18. 19.* de cætero divino honore affecerunt. Manifeſtum certè ab Hebræo *Beth-El* profluxiſſe βαιτύλους vel βαιτύλια. Etiam *ritus ungendi*, qvi tàm freqventer occurrit, hoc confirmat. Arnobius: *Ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos ſanè, & unctos, & coronatos.* Item: *Si quando conſpexeram lapidem lubricatum, & ex olivi ungvine ornatum; tanquam ineſſet vis præſens, adulabar, effabar.* Apulejus lib. I. Floridorum: *Truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis ungvine delibutus.* Idem verò lapis & *Agdus* vel *Agadir*, vel *Agdus*, vel *Abaddir* vocabatur. *Voſſius & Reineſius dictis locis. Salmaſius ad Solinum pag. 1150.* Ab eâdem origine ſunt diverſorum nominum Dii, eorumq; informes formæ. *Maximus Tyrius Orat. XXXIIX.* ſcribit, *Arabes* DEUM ſuum tetragono lapide ſignificare. *Peſſinuntios* qvoq; in Phrygiâ lapidem pro ma-

tre Deorum habuiſſe, auctor eſt *Livius lib. XXIX. cap. 11.* Qvem eundem non magnum, coloris furvi atq; atri, angulis prominentibus inæqvalem *Arnobius lib. VI.* Lapidem nigellum dicit *Prudentius lib. II.* & de qvo *Reineſius* notavit, qvotannis curru à duabus vaccis tracto impoſitum Almone fluvio ſublevaſſe ſacerdotes, & cùm magnâ gratulatione populi in urbem retuliſſe. *Ammianus lib. XXIII.* hæc habet: *Carpentum, quo vehitur ſimulacrum.* Ubi Lindenbrogius: *Ambroſ. lib. II I. ep. 48: Currus ſuos ſimulato Almonis in flumine lavat Cybelle.* Sed qvo ritu currus hic ad flumen deductus ſit, *Prudentius* indicat *Hymn. X.* περὶ στεφάνων. Hæcille: De *Solis* ſive *Elagabali* figurâ ſcribit idem *Herodian. lib. V. Simulachrum nullum Græco aut Romano more factum, ad ejus Dei ſimilitudinem. Sed lapis eſt maximus, ab imo rotundus, & ſenſim faſtigiatus ad coni formam.* Qvamvis autem poſteriores diſtinxerint hos Deos, tamē eorum forma & cultus profluxit ab illo βαιτύλῳ Cananæo, ſive Termino noſtro. Idem in aliis factum, Ἀφροδίτην, Ἀστάρτην, & τὴν Θεῶν Συρίαν, diſtingvit *Salmaſius ad Solinum*, qvod nihil commune habeant nec in nomine, nec in formâ, nec in inſignibus; diverſis etiam locis ſint attributæ. Sed qvod olim docui, *ad unius idoli figuram* & originem *referenda* ſunt, qvod Latinis *Venus* appellatur. Nimirum omnia mutavit poſteritas. Ab iisdem Cananæis ſuperſtitionis omnis auctoribus, ideòq; Deo Opt. Max. præ cæteris nationibus inviſiſsimis, eſt *ritus*

ille *coacervandi lapides in honorem Mercurii*; cujus fit mentio apud *Scholiastem Nicandri in Theriacâ*: & in *Anyta Epigr.* 4. *Anthologiæ*: & apud *Hesychium*, aliosq; qvàm plurimos. Adde *Casaubonum ad Strabonem pag.* 271. Hic obiter emendo *Isidorum* in glossis: *Mercurius*, inqvit, *lapidum congeries in cacumine collium*. Lego, *in cacumen collium*. Qvod explico, *in formam cacuminis collium*. Nam in cacuminibus collium recusat Mercurius collocari *lib. IV.* Anthol: *Non enim montibus delector Hermes, nec in collibus versor summis, sed ut plurimùm itineribus gaudeo.* Nisi rursus hic aliter fuit apud alios. Ea ipsa congeries nonnullis, pro terminis erat. *Siculus Flaccus* de conditionibus agrorum. *Alii congeries lapidum pro terminis observant, &* Scorpiones *appellant.* Hoc est, qvod multis docet *VVelserus lib. IV. Rer. Aug. Vindelic. p.* 72. 73. 74. *Innumeras terminorum fuisse differentias*, hoc est, species, figuras. Unde nescire mihi licet, qvà figurâ *Terminus* iste *Romanus* fuerit, qvi Jovi cedere noluit. Suspicabar tamen, figuram ejus veram reperiri apud *Goltzium in tomo de Augusto c.* 2. *num.* 20. qvi *Terminum* habet *cum fulmine*, ad indicandum Augusti Symbolum Σπεῦδε βραδέως, *Festinà lentè* Reperio & *Apollini sacros lapides*, præsertim apud *Suidam in* Ἀγυιεύς: qvæ cùm idem sit cum *Sole*, Sol cum *Elagabalo*, de qvo supra; videmus ad qvam originem omnia referri debeant. Hinc illa figura terminorum qvam exhibet suprà laudatus *VVelserus p.* 74.

§. 9. *Firma omnia & æterna pollicebantur*] Hoc ipsum tinnit *Rutilius:*

Porrige victuras Romana in sæcula leges,
Solaq; fatales non vereâre colus.
Quamvis sedecies denis & mille per actis
Annus præteriit jam tibi nonus erat;
Quæ restant, nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terræ, dum polus astra feret.
Illud te reparat, quod cætera regna resolvit.
Ordo renascendi est crescere posse malis.

Nec aliter Romani cæteri. Inde numus *aureus Vespasiani*, qvi æternitatis typum habet, cum inscriptione: ÆTERNITAS apud *Occonem pag.* 149. Æternitatis autem typus est *figura stolata stans coràm arâ, tenens capita Solis & Lunæ*; ut etiam in *Trajani & Hadriani* numis conspicitur. Dixi eâ de re ad illa *Sallustii de Republ. Ordinanda* Orat. I: *Quâ tempestate urbi Romanæ fatum exitii adventarit.* Hæc si de idololatrico regno, & materialibus, hoc est, ædificiis & mœnibus urbis Romanæ capimus, vana sunt, & falsa: Nam potens qvæ victura cum sæculis, bustum non semel facta, ita periit, ut de fide magnitudinis posteritati laborandum sit. Ille ipse Terminus, qvi Jovi noluit concedere, cessit tamen *Hadriano*; cùm is omnia trans Euphratem, & Tigrim Parthis relinqveret: Cessit *Diocletiano*, cùm imperii fines à meridie supra Ægyptum arctaret; Cessit *Ioviano*,

cùm qvinq: Trans-Tygritanas regiones cum castellis qvindecim, & Nisibi & Singarâ, & castris Maurorum, in Persarum transire jura permitteret. [Tamen dispar *Hadriani, Aureliani, Diocletiani,* & *Ioviani* conditio fuit; de qvâ *Vales. ad Amm. pag.* 309.] Cessit seqventibus Imperatoribus qvi Francis Galliam, Gothis Italiam, & ipsam Urbem Romam reliqverunt. Sed cùm veteres illos afflaverit fama *prophetiæ Danielis*, qvi *cap. VII.* scripserat: *Qvartam bestiam dominaturam, donec antiqvus dierum sedeat ad judicandum*; idq; de extremo judicio interpretarentur, creditum etiam ROMAM ÆTERNAM fore.

§. 9. *Humanum repertum est caput*] *Scaliger* existimavit, fabulam esse; & ortam ex ignorantiâ significationis τῆς Καπιτωλίου. Capitolium enim nihil aliud esse qvàm arcem, qvalis arx fuit Καδμεία Thebarum, Λάρισα & Ἄργος, Byrsa τῆς Καρχηδόνος, Ἀκροκόρινθος Corinthi. Eam sententiam secutus etiam *Virdungus*. Ego scio, cujusq; rei præstantissimam partem Latinis dici *Caput*. Et exempla notata sunt *Barthio ad Gratii Cynegeticon p.* 171. *Rittershusio ad Guntherum lib. I. c.* 1. Ut proinde Urbis pars præcipua ac munitissima *caput* nominari potuerit. Sed antiqvitus, hoc est, temporibus Tarqvinii Superbi *arcem* idem fuisse qvod *Capitolium*; id *Scaliger*, me qvidem judice, indè colligere non debuit; qvoniam arx Tolosæ *Capitolium* dictum est, ut *Sidonius* appellavit; nec solus. Nam & *Tolosani* Capitolii meminit *Martyrologium Romanum d.* 29.

29. *Novembris*. Vel qvod *Constantinopolitanum* Capitolium in veteri ejus urbis descriptione, vel *Carthaginis* Capitolium apud *Cyprianū* occurrit. Multa talia collegit eruditissimus Cardinalis *Baronius in dictum Martyrologii diem*; qvi etiam videndus *in Annalibus Ecclesiasticis A. C. 255. num.* 27. Nam hæc omnia sic dicta sunt, non qvòd Capitolium in lingvâ Latinâ veteri arcem significârit, sed, qvod è *Vvelsero* suprà docui *ad cap.* 1, §. 5. Dominæ Urbis imitatione, vel tacito naturæ instinctu; qvo ad Romanæ Urbis memoriam novi coloni revocarentur, coloniarum aliarumve urbium arcibus *Capitolii nomen* imponerent. Sic habebant etiam *Campos Martios*. Circumspectè *Casaubonus ad Sveton. Calig. cap.* 57: *Non Romæ solùm Capitolium fuit, sed & aliis in locis; tandemq; eâ voce omnes arces promiscuè appellatæ videntur*. Ait tandem: *Non ab antiquo*. Ut mentem meam rectè percipias, habe tibi simile: Eodem modo coloni Capitolia dixêre, qvo *Helenus* & *Æneas* Urbibus, qvas extruxêre, *Trojæ* nomen dederunt. Nam ut hoc fiebat *in memoriam Trojæ veteris*: Ita illud in memoriam Romæ ac Romani Capitolii. Jam ut jocul re esset concludere: Hanc urbem *Æneas*, hanc *Helenus*, hanc rursum alius, *Trojam* nominavit: Ergò *Troja* idem significat, qvòd *urbs*. Ita nemo hic potest: Tolosani, Carthaginenses & alii arces suas Capitolia dixêre: Ergò *Capitolium* significat arcem; adeoq; *fabula* est, qvod *de capite invento* memorant. Nemo, inqvam. Ut proindè valdè nutet conjectura *Scaligeri*.

§. 9. *Nec dubitavêre cuncti* | Vide notam ad illa hujus *cap.§.7: Templum erexit.*

§. 10. *Donec aberat libido*] Eam qvi non coercet, & honori & vitæ suæ gravissimus hostis est. Præter Tarqvinium *Sardanapalus, Dionysius junior, Hieronymus Syracusanus, Ap. Claudius Decemvir, Childericus Francus, Andronicus Comnenus*, & alii qvàm plurimi testari possunt. De *Tarentinis*, qvorum libidinem cœleste Numen, ut olim *Sodomitarum*, fulminibus vindicavit, consulendus *Athenæus lib. XII. c. 7.* Et

Quis genus Assaraci, quis Trojæ nesciat urbem?
Abductamq; Helenen, & tanti incendia belli?

Ut Virgilianos versus *lib. I. Æn.* leviter immutatos huc transferam. Hæc eadem libido tot millia Britannorum in *Romanos* concitavit. *Tac. lib. XIV. Ann. c. 31.* Hæc invisum reddidit *Philippum* Achæis. *Polyb. in Exc. Peir. p. 43.* Hæc eadem pervertit *Bacchiadas*, nobilissimam familiam Corinthi. *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 228. & Vales. ad illum locum pag. 38. & 39.* Hæc Parthorum dynastiæ causa fuit *Vales. ad Amm. p. 262.* Hæc eadem mucrones in *Victorinum* acuit. *Treb. Pollio in Victorino, pag. 186.* Denique *Rodoaldus*, Longobardorum Rex, cùm matronæ Longobardæ stuprum intulisset, à marito adulterii vindice interfectus est. Adde *Piccart. Orat. VI. p. 106.* Errat igitur, qvisqvis versus illos *Senecæ* in Thyeste,

... Ubi

... Ubi non est pudor
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides;
Instabile regnum est,

oraculum esse negat. Qvid enim est oraculum? Nempe voluntas divina, hominis ore enunciata. Et qvid aliud magis inculcant sacræ literæ qvàm istud. Sed sciendum est, etiam *Regi nocere libidinosa verba.* Nam *Alahis*, ut est apud *Paulum Diaconum lib. V. c. 10.* gravis esse cœpit, cùm Sacerdotem, qvi rerum potito benè precaretur, scurrili scommate excepisset: *Intrare jussum, si munda fœmoralia haberet.* Et illo respondente, mundis acrecens lotis sese indutum esse; alteram conditionem adjecisset: *Si ea etiam munda essent, quæ fœmoralibus tegerentur.* Id ipsum *Caligulæ* etiam exitio fuit, cum *Cassio Chæreæ*, Tribuno cohortis Prætoriæ, signum petenti (die Losung/oder das Wort) PRIAPUM aut VENEREM daret: modò, ex aliqvâ causâ agenti gratias, osculandam manum offerret, formatam commotamq; in obscœnum modum; ut scribit *Svetonius in Caligulâ. c. 56.*

§. 11. *Matrona dedecus ferro expiavit*] Meminit hist oriæ de Lucretiâ & Sex. Tarqvinio *Diod. Sic. in Exc. Peir. pag. 252.* Exempla virginum honestissimarumq; fœminarum, qvæ ab impudicitiâ vel stupris voluntariâ morte se vindicarunt, etiam apud Christianos, congesit *Hugo Grotius in lib. II. de I. B. ac P. c. 19. §. 5. p. 292. in fin.* Cui adjice exemplum, qvod refert *Procop. in Arc. Hist. p. 35.*

NOTÆ AD CAP. VIII.

§. 1.

Qvâdam fatorum industriâ] Judicat ex eventis mortalium tarditas, nec forsan adeò infulsè; cùm divinæ Providentiæ ratio videatur, ut mira magnatum rerum fundamenta jaciat; eaqve per latentia incrementa ad fastigium perducat.

Variis ingenio ut Reipubl. ratio & utilitas postulabat] Vita tota gaudet varietate, si *Socrati* credimus, qvi *organo* comparavit. Undè singulari providentiâ factum, ut nihil ferè in toto orbe sibi simile existat. Qvâ de re fusè *Isidorus lib. IV. Ep.* 114. Adde etiam de hac varietate *Eumen. Paneg. IV. c.* 19. *Euphorm. Icone Anim. c.* 2. *pag.* 49. *Salmas. de Usur. p.* 527. 644. *Merul. part. I. Cosm. lib. I. c.* 7. *p.* 20. *Rittersh. in Oppian. lib. II. Halieut. v.* 196. Certè si omnes fuissent Romulo vel Tullo Hostilio similes, non ad id magnitudinis pervenisset Respublica Romana; qvò pervenit. Nam qvi toti bellicosi sunt, solida fundamenta imperii nunqvam jaciunt. Qvod exemplo *Spartanæ* Reipublicæ, qvæ *tota* erat *militaris*, confirmat *Polybius*. Sin omnes cum *Numâ* coluissent pacem tandem, illâ ipsâ consenuissent, accessio insuper alieni imperii futuri. In qvam sententiam nonnihil vide dictum *Alcibiadi apud Thucydidem l. VI.* ubi inter alia: *Longa pace*, inqvit, πάντων τῶν ἐπιτηδείων ἐμπειρίαν *rerum omnium peritiam consenescere.*

§. 2. *Vt*

§. 2. *Vt invaderet regnum*] Suprà qvoqve *lib. I. c.* 2. §. 4. violentum initium regni Romani facit, cùm de Numâ scribit; eò ferocem populum redegisse, utqvod vi & injuriâ occupaverat imperium, religione atq; justitiâ gubernaret. Sed vide qvomodo Romulum defendat *Albericus Gentilis lib. II. de armis Romanis c.* 2. Qvicqvid sit, non de Romanis solùm, qvòd *Ciceronem* judicasse *Lactantius* scribit, sed de omnibus Monarchis *Lipsius lib. IV. Polit. c.* 14 §. 79. pronunciat: *Si Principes justitiam sequi velint, ac suum cuiq; restituere, qvod vi & armis occupaverunt; ad casas & egestatem reversuros.* Ut *Freinshemius* suprà ad dictum *cap.* 2. §. 4. sapienti risu prosequatur eos, qvi ab aliis majorum suorum acqvisita, ab aliis iterum perdita, longo pòst intervallo jure repetunt. Cujusmodi petitio fuit *Artaxerxis* apud *Dionys. in Exc. Peir. p.* 768. Adde *Vales. ad Amm. pag.* 263. Talis qvoq; petitio fuit *Artabani* apud *Tacit. lib. VI. Ann. c.* 31. *Saporis*, apud *Amm. lib. XVII. p.* 95. Qvibus velim addas responsum *Pauli III. Pontificis Romani*, qvi qværenti de jure Pontificatus, totq; Principatuum titulo: *O te*, inqvit, *hominem scholasticum, & omnium rerum ignarum; qvi imperii jus quæris, qvod jam à tot annis contra omnium vim possidemus, ac ferro defendimus!* Sicut refert ejusdem *Freinshemii* socer *Oratione habitâ in jubilæo, Anno M. DC. XVII.* è præfatione qvadam *Pithœi*. Vide illam, *à Conringio* editam in *Tract. de Germ. Imp. Rom. p.* 125.

§. 3. *Ut*

§. 3. *Vt ferox populus Deorum metu mitigaretur*] *Plutarchus de genio Socratis p.* 580. Viri civilibus, & qvibus nec esse est vitam suam adversus contumacem & dissolutam turbam instituere, non inutile putat; si multitudinem superstitione qvasi freno compescant, & ad utilia torqveant. *Polybius lib. VI. c.* 54. hoc Consilium in Romanis apertè laudat: *Sed nullâ re*, inqviens, *æquè præstare cæteris populis Romanis arbitror, ac opinione illâ, quam de Diis habent. Atqui adeò quæ res apud reliquos mortales vitio vertitur, ea ipsa continere Romanam Rempublicam mihi videtur: Superstitionem dico. Enim verò si ex solis Sapientibus constitui posset Respublica, esset fortasse totum illud genus non necessarium: Nunc cùm omnis multitudo sit levis, plena illicitarum cupiditatum, irâ æstuet præcipiti; & avi vim iracundiâ impellatur; hoc restat, ut terroribus nec manifestis & ejusmodi terribilibus figmentis vulgus cohibeatur. Idcircò videntur mihi veteres non temerè nec sine gravi causâ istas de Diis opiniones & de pœnis apud Inferos in vulgus induxisse: contra autem temerè ac sine ratione, qui nunc vivunt, illas rejicere.* Hæc ille. Sed omninò mihi placent, qvæ contra superstitionem disserit *I. Lipsius lib. I. Monit. & Exempl. polit. c.* 3. Etiam ultima Polybii de pœnis apud inferos, qvas inter figmenta veterum sapientum recenser; defluxerunt ab impiæ philosophiæ, si tamen philosophiæ nomen meretur, turbido alveo. Unde etiam Senecam bibisse animadverto, cujus ista sunt *Consolat. ad Marciam* cap. 13: *Cogita, nullis defunctum malis affici. Illa, quæ nobis terribiles inferos faciunt, fabulæ sunt. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne; nec oblivionis amnem, nec tribunalia; nec reos ullos in illâ libertate tàm laxâ; nullos iterum tyrannos. Luserunt ista Poëta, & vanus nos agitavêre terroribus.* Item Ciceronem pro A. Cluentio: *Quid tandem illi mali mors attulit? Nisi forte ineptiis ac fabulis ducimur; ut existimemus, illum apud inferos impiorum supplicia perferre.* Præcipui autem hujus sententiæ Epicuræi. Alii sacris literis convenientius; de qvibus olim *ad illa Salustii Catil. c.* 52. §. 8. *Credo falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur.*

§. 4. *Vt acueret ratione virtutem*] Hanc ipsam rationem maximi fecit cautissimus sui seculi, peritissimusq; rei militaris Dux, *Narses*, apud *Agathiam* lib. I. pag. 22: *Et si enim hostes multitudine se jactant & gloriantur; at nos certè ordinis militaris præstantiâ longè ipsis, si sapimus, erimus superiores.* Adde, qvæ de maturitate præstantissimorum ducum dixi *ad Val. Max. lib. IX. cap.* 8. Certè ut *Cicero lib. II. de Orat.* judicat: *Hæc duo invictos faciunt viros: Animus acer & præsens*, hoc est, ut noster hîc loqvitur, *virtus*; *& acutus idem atqui versutus*, hoc est, *ratio*; ut idem noster. Aliqvin sine ratione nihil potest virtus; qvod exemplo majorum nostrorum *Seneca. lib. I. de Ira c.* 11. pulchrè ostendit: *Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innas-*

scun-

ſcuntur innutriunturq́; quorum unica illis eſt cura, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magnâ ex parte non tegumenta corporis proviſa ſunt, non ſuffugia adverſus perpetuum cœli rigorem: Hoſtamen Hiſpani Galliq́; & Aſia Syriaq́; molles bello viri, ante quam legio viſatur, cadunt, ob nullam aliam rem opportunos, quàm ob iracundiam. Agedum, illis corporibus, illis animis, delicias, luxum, opes ignorantibus, da rationem, da diſciplinam: Vt nihil amplius dicam, neceſſe erit, nobis certè Romanos mores repetere. Hâc ipsâ ratione, inter pauca memorabili prælio victum *Baſilium Magnum*, Moſcovitarum Ducem, à Polonis Anno M.D.XIV. cùm in eos octuaginta millia equitum duxiſſet, cenſet & exponit *Iovius lib. XIII. Hiſt.*

§. 4. *Vrbem coloniâ extenderet, ponte jungeret, muro tueretur*] Vide, qvæ olim notavimus *ad illa Velleji Paterculi lib. II.* cap. 1: *Publicamq́; magnificentiâ ſecuta privata luxuria eſt.* Adde *Berneggerum ad Plinii panegyricum c.* 51. §. 3. Ferè univerſus populus Romanus hâc in parte laudabilis; qvod patet è *Lipſii lib. III. de Magnitud. Rom. c.* 2. 5. *& aliquot ſeqq.* Deniq; ab hac ipſa magnificentiâ ſummam apud Judæos gloriam invenit *Herodes*; ut eſt apud *Ioſephum lib. XVI. Antiquit. c.* 9.

§. 5. *Ornamenta & inſignia, &c.*] A Regnorum & Principatuum initiis legimus fuiſſe inſigni-

ſignia, qvibus Magiſtratus ſpectabiliores apparerent. Vetuſtiſsimum dignitatis ſignum erat *ſceptrum*, undè σκηπτοφόροι βασιλῆες, & σκηπτῦχοι Homero freqventiſsimè dicuntur. Tùm inventa *diademata, ſellæ curules, trabeæ, chlamydes purpureæ, pilei gemmis margaritisq́; exornati, latus clavus, &c.* Qvæ omnia maximam dignitatem conciliant, & plebis oculos cumprimis perſtringunt. Sic de *Cyro* legimus apud *Xenophontem lib. IIX. de Inſtitut. Cyri pag.* 215. cùm prodiiſſet in conſpectum è portis cùm *tiarâ rectâ, & tunicâ purpureâ ſemialbâ, & ſubligaculis* circum crura *colore byſſino* tinctis, & *toto purpureo candye*; omnes eum adorando ſubmiſsè veneratos eſſe; ſeu qvia fuiſſet imperatum, ut aliqvi venerationis hujus initium facerent; ſeu qvòd apparatus & decor Cyri eos obſtupefeciſſet. Simile de *Herode Agrippâ* proditum à *Ioſepho lib. XIX. Antiquit. c.* 7. Cùm proceſsiſſet in theatrum, amictus *veſte totâ ex argento*, mirabili opere contexto; qvæ radiis exorientis Solis percuſſa, & divinum qvendam fulgorem ſpargens, venerationem cum horrore excutiebat ſpectantibus. Inde acclamatio: *Naturâ mortali in eo quid excellentius videri.* Sed hanc adulationem cùm non repuliſſet, graves eum pœnas luiſſe, tum è dicto loco novimus; tum ex ipſis Apoſtolorum actis. Hic verò cum primis locum habet, qvod ſcribit *Agathias lib IV. pag.* 104. Regem non ſolùm facere regia inſignia, ſed juſtitiæ cultum. Verba Scriptoris ſunt: *Non oportet ſceptro & chla-*

myſ-

mydi exterioribusq; ornamentis appellationem Regis tribuere; sed ei, qui justitiam exercet, cupiditatis modum non excedit, cogitationesq; suas solo honesto metitur. Qvod etiam eleganti proverbio *Hebræi* monent: *Ne respicias dolium, sed quod est in dolio.* Adde *Lipsi. lib. II. Mon. & Ex. Polit. cap. 16.* Aliter *Alexander Severus*, qvi milites, qvos *Ostensionales vocant, nec pretiosis, sed speciosis claris vestibus ornabat* (ita Pal. & prima edit.) *nec multum in signa* (hoc est, vexilla, qvæ festis diebus in pompis ac solemnibus processib⁹, Imperatoribus præferebantur, multo auro argentoq; radiantia; ut ex *Herod.* & *Amm.* benè Salmasius p. 210. explicat) *aut ad apparatum regium auri sericique deputabat, dicens: Imperium in virtute esse, non in decore!* Hæc *Lampr.* in Alex. Sev. p. 120.

§. 6. *Nisi ut seipsa nosset Respublica*] Dixi jam suprà, qvæ huc pertinent, *ad cap. 6. §. 3.* Sed potes adjicere, *Servio Tullio* simillimum fuisse *Cyrum*; qvem *Xenophon lib. IIX. pag.* 225. scribit, *ordinis aptæq; collocationis omnis studiosissimum fuisse.* Nimirum, ut *ibidem p.* 276. Scriptor subjicit: *Arbitrabatur Cyrus, in familiâ quidem præclarum esse studium collocationis aptæ; quandoquidem hoc modo pater familiàs facilius ad manus habet, quibus opus: Sed multò pulchrius hoc esse in se se, tot exercituum Rege, omnia idoneâ collocatione distribui.*

§. 7. *Nonnihil imò vel plurimùm profuit*] Qvod *Senec. lib I. de irâ c.* 13. ait: *Febres quædam gravem valetudinis levant, nec ideò non ex toto illis carnisse*

ruisse melius est: Abominandum remedii genus est, sanitatem debere morbo: Idem ferè dixerit hic qvisqvam: *Abominandum commodum esse libertatem debere tyrannidi.* Sed sciendum est, placere posse summis viris, qvod hîc ait Florus; *& multa mala plurimùm nobis prodesse*, nec contra hujusmodi remedia murmurandum. *Lipsius lib. II. de Constant. c.* 7. huc tendit; ubi inter alia: *Ut sapientiam potentiamq; suam DEus ostenderet, melius judicavit* (Augustini verba sunt in Enchiridio c. 11.) *de malis bona facere; quàm mala nulla permittere. Quid enim eo sapientius aut melius, qui è malo bonum potest elicere, & reperta ad perniciem, vertere ad salutem.* Vide ibidem plura, & adde *caput* 11. ubi de Romanorum ac Hispanorum Tyrannide in multas gentes. Confer etiam *Plin. Paneg. c. 5. fin. & c. 6.*

NOTÆ AD CAP. IX.

§. 1.

Qvibus ultionem sui mandaverat] Tolerabilius, qvòd pagana, qvòd fœmina mandavit. Similiter *Germanicus* ultionem sui amicis mandat apud *Tac. lib. II. Annal. cap.* 71. At sapienter *Otho* apud *eund. lib. II. Histor. c.* 47. §. 4. dicens: *Mihi non ultione neq; solatiis opus est.* Qvæ si verè dixit, omninò *conficta* fuerit oportet *epistola*, qvam *nomine Othonis* scriptam *ad Vespasianum* extremâ obtestatione ultionem mandantis; & ut Reipubl. subveniret; optantis, *Svetonius* testatur *in Vespasia-*

no c. 6. citatus hîc à *Freinshemio*. Et *Socratis* Sapientissima vox absq; exemplo est, qvi apud Platonem negat, *se iis, à quibus accusatus sit aut condemnatus, habere, quod succenseat; nisi quòd sibi nocere se crediderint.* Plura de ultione *Hugo Grotius lib. II. de I. B. ac P. c. 20. §. 5. & notis ad illum. Berneggerus ad Svet. August. c. 10. §. 1. a.*

§. 1. *Bona diripit*] *Livius* lib. II. c. 5: *Bona regia diripienda plebi sunt data, ut contactâ regiâ prædâ, spem in perpetuum cum his pacis amitteret.* Videsis *Tacit. lib. IV. Hist. c. 7. f. & lib. III. Ann. cap. 41.* Vinculum, qvo & alii aliorum fidem obligarunt. *Diod. Sicul. lib. I. c. 21. de Typhone*, fratris Osiridis interfectore: *Dilancinato interfecti corpore in viginti sex frusta, cuiq; facinoris socio unum tribuit, ut omnes ita piaculo innecteret; sibiq; in regni defensione & custodiâ firmos haberet adjutores.* Nec absre *Polybius lib. I. c. 20.* ubi describit gravissimi belli principia, qvod *Carthaginenses, cum mercenariis* suis gerere coacti sunt. *At Mathos & Spendius, rati, ita facillimè accensum iri bellum, si contra jus & fœdus aliquid facerent, multitudinis perditæ audaciam juvabant. Igitur supellectilem Carthaginensium unà cum pecuniis diripiunt: Gesconem, & ejus comites, contumeliosè vinctos in carcerem conjici imperant.* Idem *c. 79. & 80.* de iisdem nebulonibus: *Caterum Matho, Spendius, & unà cum his Gallus Autaritus suspectam illam humanitatem habebant, quâ usus Amilcar erat ergà captivos. Itaque veriti, ne & Afri, & magna pars mercenariorum ea arte deliniti ostensam sibi impunitatem cupidè amplecterentur; habito concilio deliberant, quî possint aliquo insigni ad impietatem facinore edito multitudinem adversus Carthaginienses penitus efferare, &c.* Vide totum locum, qvi prolixus est; & miraberis versutiam qvâ suos circumvenêrunt. *Gnarus ejusdem Hannibal, nihil lubentiùs audivit, quàm quòd Galli equites, sumtis armis, Romanos invasissent; multos occidissent, nec paucos vulnerassent. Nôrat enim* (ut idem prudentissimus Historicorum *lib. III. c. 67.* scribit) *se cum omnes cæteros Gallos, vellent nollent, consensuros; cognitâ perfidiâ suorum in Romanos.* Nec diversum est, qvod de *Stenone Sturâ Sveco*, refert *Meursius lib. II. Histor. Danica p. 114.* Nam Anno M. D. I. iterum rebellans *Iohanni I. Regi Daniæ*, post occupatum Stocholmum, aliqvot cohortibus in vicina loca missis, plebem in præfectos regios, regni arcibus impositos, passim concitat; qvosq; illorum comprehendit, graviter excruciatos, in suorum aspectu necat. Inter illos & *Iohannem Falsterum*, maximâ crudelitate *Svecis discerpendum* dedit. Plura *Freinshem. h. l. & ad Curt. lib. VII. c. 6. §. 22.* Sed ut Bruti Senatusq; Romani factum nec tàm immane fuit, nec excusatione destituitur; qvòd id Reipublicæ utilitas postularet: Ita plerisqve aliis occinendum reor, qvod toties laudatus *Polybius lib. I. c. 88.* ait: *Hippacritarum oppidum, & Uticensium, in rebellione perstiterunt; nullum enim aditum neq; causam postulandi pacem habebant: Quoniam à principio ejus*

consilii neq; locum neq; spem ullam misericordiæ, aut veniæ fecerant reliquam. Adeò etiam in ejusmodi peccatis moderari sibi & inexpiabile nihil ultrò admittere longè præstat! Cui convenienter *Philo* de Mose: *Hoc ipso etiam illud docet, non præsens tempus spectare tantùm, cùm nihil in suo statu maneat; sed cuncta vicibus ac mutationibus subjecta sint; ita ut facile sit, eos, qui nunc sunt hostes, ubi ad colloquia & pacta ventum erit, rursum fœderatos fieri.* Verissimè dictum antiqvis, ita amicis utendum, ut non putentur nullæ supervenire posse inimicitiæ; & ita tractandas offensas, ut amicitia speretur, nimirum ut qvisq; intrà animum aliqvid recondat, qvo tutus sit, & non eo nimium nudato per verba & facta mox pœnitentiam agat nimiæ suæ vehementiæ; seq; accuset, ubi res sanari ampliùs non potest.

§. 2. *Ne potestas solitudine corrumperetur*] Duobus enim creatis, alter alterius insolentiæ (si res postulat) intercedere, & occurrere potest. Celebre *Q. Catuli* dictum *Cicero in Orat. post reditum in Senatu* ab exilio: *cap.* 4. commemorat: *Consulem unum non sæpè reperiri improbum; duos verò nunquam, excepto illo Cinnano tempore.* Id qvod etiam repetit in *Oratione pro domo suâ, cap.* 31. Adde *Suidam* in Ἕνα τινά. *Theodosius* ex ærariis *Carthaginis* & *Ravennæ* ad *decem millia pondo auri* depeculatus est; cùm sine collegâ summâq; auctoritate eas illi pertractare pecunias obvenisset. *Procop. in Arc. Hist. p.* 5. Pertinet huc exemplum memorabile, qvod refert *Justinus lib. II. c.* 15. §. 14. 15. 16. de Pausaniâ, & collega ejusdem Aristide: *& consilium eorum, qui Constantio Imperatori dissuaserunt, ne Gallum Cæsarem ad se evocaret; ne Ursicino in Oriente solo relicto, nemo esset, qui prohiberet altiora meditantem.* Auctor *Ammianus lib. XIV.*

§. 2. *Vel morâ*] Vult dicere: Annuum imperium placuisse, ut Consules temporis exiguitate deterriti, abstinerent ab iis perpetrandis, qvorum paulò pòst privati rationem reddere cogerentur. Ita *diuturnitate in superbiam* mutavit Vannius apud *Tacit. lib. XII. Annal. cap. 29. Vetustate imperii coalita audacia.* Idem *lib. XIV. c.* 1. Vide suprà *cap.* 1. §. 17. Cæterum ab hoc consilio stant omnium Politicorum atq; Historicorum judicia. Vide primùm *Aristot. lib. V. Polit. c.* 8. ubi *Peccantum* notate memini, apud *Athenienses* etiam *officia* non solùm fuisse *annua*, sed & *semestria*; & temporis qvoq; magis exigui. Sic *Scholiastem Demosthenis* referre, *claves arcis* Epistatæ creditas & pecunias omnes urbis: Ne verò tyrannidem affectaret, *uno tantùm die* præfecturam illi permisisse. Fuisse & *Florentiæ* legem, ne *Reipubl. vexillifer* in perpetuum crearetur; sed *annua* esset illa dignitas. Qvibus verba *Dionysii Halicarnassæi lib. IV. c.* 79. appone: *Pragravis est omnis Magistratus, qui certo temporis spatio limitatus non est; nec ullas administrationis rationes reddere cogitur, undè tyrannis nascitur.* Contrahenda igitur potestas intrà temp⁹ annuum. *Imperandi enim parendiq; vicissitudo &*

poteſtatis antequam corrumpat animum, depoſitio, cohibet ingenia contumacia; nec ſinit mores inebriari vimiâ licentiâ. Huic ſimilia ſvadet *Mecanas* apud *Dionem lib. LIV.* Huc etiam verba *Livii lib. IV. c.* 24. ſpectant: *Libertatis magna cuſtodia eſt, ſi magna imperia diuturna eſſe non ſinas.* Qvod neglectum, viam poſteà ſtravit Cæſari ad invadendam Rempublicam. Sed hæc qvomodo cum verbis *Othonis ap. Tac. lib. II. Hiſtor. cap.* 47. conveniunt? *Ne tempus computaveritis: Difficilium eſt temperare felicitati, quàm te non putes diu uſurum.* Vult enim dicere, ſe brevitatem imperii ſui facilè conjeciſſe. Potuiſſe igitur breve illud ſpatiũ temporis, qvod ſupererat, in omni genere intemperantiæ conſumere, adeoq; in flagitia ſimul & ſcelera ſeſe ingurgitare. Qvod ſanè fecerunt *ſervi illi Galbæ*; de qvibus idem *Tacitus, lib. I. Hiſt. c.* 7. *Servorum manus ſubitis avida, & tanquam apud ſenem feſtinantes*, hoc eſt, cùm viderent brevem fore rapiendi occaſionem, nec ampliùs redituram; ſocrunâ Galbæ avidè ſe implebant & undiq; per fas nefasq; corradebant divitias; rati, tàm pulchram meſſem ſimul deſinere, poſtqvam incepit. Similiter de *Valente* idem *lib. III. Hiſtor. c.* 41. ſcribit: *Aderant vis, & pecunia, & ruentis fortunæ noviſſima libido.* Eodem modo alii; ſed alii, & qvi cum Conſulibus noſtris comparari non poſſunt. Illos enim ſtimulat vel de ſperatio, vel ſecuritas; qvâ ſe ad rationem reddendam ſciunt cogi non poſſe; ut brevitate temporis ad omnem petulantiam aburan-

tur. Qvæ vitia rebus in civitate Romanâ longè aliter conſtitutis, in Conſularibus animis non poterant invenire locum.

§. 3. *Tantumq; libertatis novæ gaudium inceſſerat*] Sic enim eam commendavit Tarqvinii crudelitas, *ut hiemis aſperitas vernum tempus.* Vide ſimilem locum apud *Plin. in Paneg. c.* 5. *f.* Nec novum id in gentibus Europæis. Qvod enim *Mithridates* apud *Salluſtium lib. IV. hiſtor. c.* 2. ait: *Pauci libertatem, pars magna juſtos dominos volunt*; de *Orientalibus* magis qvàm Europæis intelligendum eſſe ſvadent ea, qvæ congeſsère *Berneggerus ad Juſtini lib. XXXIIX. c.* 3. §. 8. *Freinshem. in noſtri lib. II. cap.* 20. §. 4. *& ad Curtii lib. III. c.* 6. §. 17. *Gruterus ad Livii lib. I. cap.* 17. *Hugo Grotius lib. I. de I. B. ac P. cap.* 3. §. 20. *& notis ad illum locum.* Nimirum ab antiqvo hi prorſus ignorant libertatis bonum. At qvi deguſtârunt, ut *Europæi*, libertatis pericula majora putant, qvàm vitæ; & incredibili gaudio afficiuntur, cùm amiſſam recuperant. Cæterùm ut *optima quæq; exitio nonnunqvam vertunt; & mel, ſi nimium es, triſtis fiet amaritie*; qvod ait non nemo: Ita nimiam libertatem etiam pleriqve Europæorum concoqvere non poſſunt; ut proinde duriſsimâ ſervitute pejor ſit. Qvod intellexit *Fronto*, qvi de nimiâ libertate populi Romani *ſub Nervâ* Principe ſic judicavit: *Malum quidem eſſe, Principem habere, ſub quo nihil ulli liceat; pejus verò eum, ſub quo omnia omnibus!* ut eſt apud *Dionem*. Pertinent huc etiam verba *Mecæ-*

natis apud eundem *Dionem lib. L H. pag.* 542. Et qvod de *Lacedæmoniis* scribit *Polyb. lib. IV. cap.* 22. *Et T. Quintius Flamininus* apud *Liv. lib. XXXIV. c.* 40. Græcos monet, libertate modicè utantur; *Temperatã eam salubrem & singulis, & civitatibus esse: Nimiam & aliis gravem, & ipsis, qui habeant, effrenatam, & præcipitem.* Certè ipse Romanus senatus exemplo fuit, cui nuncium mortui Torqvinii plus obfuit, qvàm bellum adversum se molientis. Vide *Liv. lib.* II. *c.* 21.

§. 3. *Alterumq; ex Consulibus, tantùm ob nomen & genus regium, fascibus abrogatis, urbe dimitterent*] Qvod Augustino *lib.* II. *de Civit. Dei c.* 17. *& lib.* III. *cap.* 16. non potuit probari. Sit ita; Populum Romanum hoc facto justitiæ non litasse (qvamvis *Dionysius Halicar. lib. V. c.* 8. 9. *& seqq.* Populum Romanum facilè absolvente rationem abdicationis reddendo, qvòd *Tarquinius Collatinus* conjurationis adversus patriam reos justissimæ pœnæ subtractum iverat) tamen tot sunt exempla, qvæ à filiis, nepotibus, propinqvis & cognatis tyrannorum cavere jubent; ut metum Populi Romani de nihilo fuisse, adfirmare nemo qveat. *Memnon. c.* 3. *apud Photium* refert occiso *Clearcho* sævissimo tyrannorum, non fuisse sublatam tyrannidem; qvòd fratrem *Satyrum* reliqvisset, qvi paulò post *Republ. Heraclienſium* oppressâ, non Clearchum solùm, sed cunctos crudelitate superavit. Qvò spectat illud *Taciti* 4. *Histor. c.* 15. de *Brinione*, cujus pater in Romanos multa ho-

ta hostilia ausus, *Cajanarum expeditionum* ludibrium impunè spreverat: *Ipso rebellis familiæ nomine placuit.* Et qvod scribit *Liv. lib. XXIV. c.* 24. qvàm occiso *Hieronymo* tyranno, libertatem *Syracusanorum* invaserint *Andronodorus* & *Themistius* affines regiæ domus, licet infelici successu. Qvid deniq; *Julium Cæsarem* vindicavit, nisi *Pedii* & *Octavii* cognatio? Nimirùm, ut nonnunqvam morbi corporis per successiones sæpè traduntur; & exintervallo redduntur eædem notæ, iidem nævi in nepotibus, qvi in filiis desiisse videbantur (qvod pulchrè observat *Casaubonus ad Theophrasti charact. δυσγενείας, de fœditate p.* 316.) Ita non rarò animi morbi, superbia, crudelitas, & dominandi libido in filios, nepotes, ac pronepotes; sed & in affines cognatos & agnatos redundant & diffunduntur. Dabo unum & alterum ex Romanâ historiâ. *Claudii* omnes erant *superbi*, vehementes, & *plebis inimicissimi.* De *Appio Claudio*, qvi primus inter Patricios allectus est, *Liv. lib. II. cap.* 23. his verbis: *Appius Claudius vehementis ingenii vir, imperio Consulari rem agendam censebat, &c.* Et cap. 27: *Appius in sitâ superbiâ animo, quàm asperrimè poterat, jus de creditis pecuniis dicere.* Et cap. 29: *Appius & naturâ immitis & efferatus hinc plebis odio.* Hujus duo filii, *App. Claudius*, & *C. Claudius*; qvorum illum *d. libr. cap.* 56. vocat, *jam inde à paternis certaminibus invisum infestumq; plebi.* Qvi cùm Consul esset creat°, *Latorius* in ejus accusationem *familiæq; superbissimæ ac crudelissimæ in plebem Ro-*

manam exorsus, non Consulem, sed Carnificem ad vexandam & lacerandam plebem creatum esse contendit. Vide ibi plura, qvibns consentanea scribit *Dionys. lib. IX. c. 53. 54. 55. & seqq.* De *C. Claudio* sic idem *Dionysius lib. X. c. 35.* solus *contradixit C. Claudius, Appii Filius; qui paterna vestigia sequebatur.* Et cap. 9: *Viderunt C. Claudium innato, & à majoribus propagato in plebem odio laborare; paratumq; totis viribus, plebejorum conatus impedire.* Hujus C. Claudii è fratre Appio nepos, *Appius Claudius* Decem vir, ut *Livius lib. III. c. 33.* scribit, *novum quidem ingenium sibi induerat, ut plebicolarepentè omniq; aurâ popularis captator evaderet, protruci sævoq; insectatore plebis.* Sed notandum, *novum ingenium induisse*: Suum enim non erat; nec diu pòst vulpes rediit ad suum. Ideò *Livius c. 36.* pulchrè: *Ille* (scil. annus) *finis Appio alienæ personæ ferendæ fuit: Suo jam inde vivere ingenio cœpit.* Et qvæ ibidem seqvuntur, immanis superbiæ ac crudelitatis exempla. Filium Decem viri, App. *Claudium idem l. IV. c. 36.* descripsit, *impigrum juvenē, & jam indè ab incunabulis imbutum odio Tribunorum plebisq;.* Et hujusdem filius, Decem viri nepos, itidem majorum suorum vestigia presisse legitur apud eundem, dicto *lib. IV. c. 48.* ubi inter alia ipse: *Vetus se ac familiare consilium domo afferre, &c.* Et collaudat eum mox Q. Servilius Priscus, *quòd non degenerâsset ab stirpe Claudiâ.* Idem Claudius oppugnavit Tribunos plebis, qverentes, non dari sibi per hyemem militiæ reqviem; ut

est *lib. V. c. 2.* ubi rursus *Livius* vocat *virum imbutum jam à juventâ certaminibus plebejis.* Alter Decem viri nepos ex App. Claudio Crasso Tribuno militum A. 329. App. Claudius Crassus, *legem oppugnavit de plebejis consulibus* A. 385. oratione plenâ odiorum in plebejos, apud toties laudatum auctorem *lib. VI. c. 40.* qvæ sic incipit: *Neq; novum, neq; inopinatum mihi sit, Quirites, si, quod unum familiæ nostræ semper objectum est à seditiosis Tribunis, id nunc ego quoque audiam: Claudiæ genti jam inde ab initio nihil antiquius in Republ. Patrum majestate fuisse: Semper plebis commodis adversatos esse.* Hujus Appii Claudii Crasi Nepos è filio C. Claudio Crasino, *Appius Claudius Cæcus*; qvem cum totâ familiâ *P. Sempronius Sophus* apud eundem *lib. IX. c. 34.* perstringit hunc in modum: *Eu, Quirites, illius Appii progenies, qui Decem vir non ante continuando abstitit magistratu, quàm obruerunt eum malè parta, malè gesta, malè retenta imperia. Hæc est eadem familia, Quirites, cujus vi atq; injuriis compulsi, extorres patriâ, sacrum montem cepistis: Hac, adversus quam tribunitium auxilium vobis comparastis: Hæc, propter quam duo exercitus Aventinum insedistis: Hæc, quæ fœnebres leges: Hæc, quæ agrarias semper impugnavit: Hæc, connubia Patrum & plebis interrupit: Hæc plebi ad Curules Magistratus iter obsepsit: Hoc est nomen multò quàm Tarquiniorum infestius vestræ libertati.* Et cap. anteced: *Permulti jam anni erant, cùm in patrios Magistratus Tribunosq; plebis nulla certamina*

fuere.

fuerant : Cùm ex eâ familiâ, quæ velut fatalis tùm Tribunis ac plebi erat, certamen oritur. P. Clodius Pulcher, Cæci F. qvàm intoleranter landæ fuerit superbiæ, legimus *apud Diod. Sic. in Exc. Peir. p.* 271. 273. Hujus P. Clodii Pulchri pronepos, Cæci abnepos, *Ap. Claudius Pulcher*, Cos. anno 610. collegâ Q. Cæcilio Metello Macedonico, ita describitur à *Dione Coccejo in Exc. Peir. pag.* 617 : Πρὸς τὸ γένος ὠγκωμένος καὶ τῷ Μετέλλῳ φθονῶν, &c. ἐπῳδύμενός τινας ἐπινικίων πρόφασιν λαβών. Id est : *Splendore generis elatus, ac Metelli gloriæ invidens, materiam triumphi undecunq; petere concupivit.* Et qvæ *ibidem*, ac *p.* 618. seqvuntur. Idem *Dio* ejusdem in censura τραχύτητα, & *acerbitatẽ* notat *p.* 620. sed qvam collega *Q. Fulvius Nobilior* cedendo multò tolerabiliorem reddiderit. Atq; ita unum totius gentis ingenium fuit, qvæ ab A. 250. qvo in Urbem recepta est; usq; ad annum 710. & initia servitutis, honoribus ac dignitatibus floruit. Unum *P. Clodium* excipit *Svetonius in Tiberio, c.* 2. cùm ait : *Notissimum est, Claudios omnes, excepto duntaxat P. Clodio, qui ob expellendum Vrbe Ciceronem, plebejo homini, atq; etiam natu minori, in adoptionem se dedit, optimates assertoresq; unicos dignitatis ac potentiæ Patriciorum SEMPER fuisse; atq; adversùs plebem adeò violentos & contumaces, ut ne capitis quisquam reus apud populum mutare vestem aut deprecari sustinuerit : Nonnulli in altercatione & jurgio Tribunos plebis pulsaverint.* Atqvi apud *Livium lib. VI.* & hæc leguntur : *Quod ad eum*

eum diem nunquam usu venisset, ut in tanto discrimine non & proximi vestem mutarent. Appio Claudio in vincula ducto, C. Claudium inimicum, Claudiamque omnem gentem sordidatam fuisse. De cætero *Ap. Claudius Pulcher*, Cos. anno 699 novum *Ciceronis nomen* præ suo Lentuliq; contemserat; qvam superbiam irridet *Cic. lib. III. Epist. Fam.* 7. & vocat *Appietatem*, tanqvam Claudiæ familiæ insitam. Vide ibi *Manut. p.* 331. Jam oppressa Repubi. cùm cæteræ ab antiqvo nobiles familiæ depressæ fractæq; ferè jacerent omnes; hujus superbiæ ita favit Fortuna, ut totum Romanum imperium ad illius flagra deduceret. Ex hâc enim ipsâ, & Appii Cæci filio, *Tiberio Claudio Nerone* oriundi sunt *tres continuâ serie Imperatores : Tiberius Claudius Nero*; ejusdemq; è fratre pro nepos, *C. Cæsar Caligula*; & è fratre nepos, *Tiberius Claudius Aug. Germanicus*; in cujus filio, *Britannico*, tota stirps extincta est, qvæ *ferè* per *sexcentos* annos in Republ. superbiit.

Juxta hoc exemplum sanè qvàm memorabile, collocarem gentem *Calpurniam*, cujus pleriq; ferocis, iracundi, & impotentis animi fuerunt; nisi jam id laboris in se recepisset *Ianus Rutgersius lib. IV. Var. Lect. cap.* 5. Tamen præteritus abeo *Cajus Piso*, qvi cum Cæsare graves inimicitias exercebat, oppugnatus judicio repetundarum propter cujusdam Transpadani supplicium injustum; ut est apud *Sallustium in Catil. c.* 49 Puto autem

tem intelligi *C. Pisonem*, Cos. anno 686. collegam *Manii Aquilii*, cui plurimùm negotii *in Galliâ* fuit; ut ex *Cic. lib. I. ad Atticum* constat, cui *pacificator Allobrogum* dicitur. Nec ab eodem mentio facta *L. Pisonis*, Prætoris Hispaniæ, interfecti à *Termestino*; qvòd pecunias *acriùs*, qvàm tolerarent barbari, exegisset; auctore *Tacito lib. IV. Ann. c. 45. Lepidos* ad ultima usqve tempora *pessimos* fuisse, docet *Rutilius in Itin.* Vide *Barth. ad illum locum p.* 107.

§. 4. *Ius provocationis adversus ipsos dedit*] *Ipsos*, id est, *Consules*; ut hîc rursus sit *emphaticum*, & pulchrè confirmetur sententia nostra de loco *Flori suprà lib. I. cap. 1. §. 9.* Nota Scriptorum inter sese differentiam. Qvidam volunt, nullam provocationem fuisse à Rege ad populum. *Scipio Gentilis de Princip. Rom. thes. 3.* & confirmat hoc ipsum, qvod refert *Florus*. Nam si *ante legem Valeriam* non potuit *ad populum* provocari *à Consulibus*; fit consequens, *idem* obtinuisse *in Regibus*, ratione connexi manifestâ, qvòd *Consules in* nullum aliud *jus successerunt*, qvàm in *regium*. At contra præter *Ciceronem* & *Senecam* (qvos *Gentilis* citat) *Livius lib. IIX. c. 33.* ubi *M. Fabius* à *Papirio Dictatore* provocans ad populum: *Videbo*, inqvit, *cessurus ne provocationi sis, cui Rex Romanus, Tullus Hostilius, cessit.* Et *Valerius lib. IIX. cap. 1. §. 1. Marcus Horatius interfecta sororis crimine à Tullo Rege damnatus, ad populum provocato judicio, absolutus est.* Vide tamen, qvæ hac de re disserui *lib. II. Animadversionum Pomponianarum c. 3. sub fin.* Sed cum primis de *legibus Valeriis*, qvibus *stabilita populi libertas*, vide sis *Stephanum Pighium in A. V. 244. pag. 69.*

§. 4. *Ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit*] Inter irritamenta invidiæ *Pisonianæ* numerat *Tacitus lib. III. Ann. c. 9. §. 3.* fuisse *domum foro imminentem, festo ornatu.* Qvo de loco vide *Forstnerum (edit. vet.) ad Tacit. p. 235.* Adde ejusdem *Taciti* locum *lib. XV. Annal. c. 69.* & *Clapm. lib. III. c. 18.* Apud *Tacitum lib. III. Histor. cap. 70.* Sabinus Cornelium Martialem ad *Vitellium* mittit, cum mandatis & qvestu, qvòd pacta turbarentur. Cur enim è rostris *fratris domum imminentem foro*, & irritandis hominum oculis, qvàm Aventinum & penates uxoris petisset? Ibidemq; *speciem Principatus* hoc vocat. Plura *Piccartus dec. 3. c. 1.* Nihil autem *Valerio Poplicolæ* hâc in parte concedit *Octavianus Fregosus*; de qvo dixi ad *Valerii lib. VI. c. 5 §. 3.*

§. 5. *Virgis cecîdit, & securi percussit*] De hoc facto jam olim sententiam meam dixi *ad ista Velleji Paterculi lib. I. c. 10*: *Fulvii Censoris frater, & quidem consors, Cn. Fulvius senatu motus est ab iis Censoribus.*

§. 8. *Quasi contagione quâdam per singulos itum*] Ad eundem locum communem *illa §. 6.* sunt referenda: *Prima ad versus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro sociis, tum*

tùm gloriâ & imperio. Et qvod infrà *lib.* II. *c.* 9. §. 4. dicit: *Serpſit tamen latiùs in proximos bellum.* Deniqve qvod *lib. III. c.* 5. §. 8. habet: *Sed hic terror Aſiæ, Europam quoq; Regi aperiebat.* Nimirum ut *Iuſtinus lib. I. c.* 1. §. 8. loqvitur: *Proxima quæq; victoria inſtrumentum ſequentis eſt.* Qvam in rem pulchra congeſsit *Freinshem infra lib. II. c.* 1. §. 2. Nec aliorſum narrationem *Brunneri de Gallis lib. I. p.* 18. traho: *Hoc ipſum primo æſtu, & torrente victoriæ conſecuti, ut vicini populi omnia mallent, quàm Gallica arma experiri, ipsâ jam nominis claritate domiti, & ad parendum inclinati. Timebantur ergo, etiam ubi gladium nunquam ſtrinxerant; & ſua pro illis fama pugnabat.* Eqvibus patet cauſa, cur unâ victoriâ reportatâ cætera omnia faciliora ſint.

NOTÆ AD CAP. X.

§. 2. *Hunc tamen quamvis & armis & fame, &c.*] Aliàs ſecundum *Virgil.* 1. *Æneid. verſ.* 533:

Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.

Sed Romana gens nunqvam plus animi, plus ſuperbiæ, plus roboris oſtendit, qvàm cùm in extrema pericula conjecta eſt. Qvemadmodum apes, cùm fuci aliqvam partem cibariorum abſumunt ſarciendo damno fiunt agiliores: Ita populi Romani fortuna ſemper in malis major reſurrexit. Poſſem & comparare cum *Amiantho* lapide, qvi ſem-

ſemper *inſigne* pervicax & *conſtans.* Undè *M. Columna*, Cæſaris *in Veronâ* Præfectus, anno 1516. numum percuſsit, in cujus alterâ parte *talaris tunica inter ignes illæſa* permanet; qvia ſcilicet ex *asbeſtino*, ſeu *Amiantho lapide* conflata eſt: qvo Columna, contra omnes hoſtium conatus ſemper conſtantem manſurum ſe oſtendit; ut explicat *Luckius.* Aliâ ſimilitudine uſus *Horat.* 4. *Carm. Od.* 4:

Gens, qua cremato fortis ab Ilio.
Jactata Tuſcis æquoribus ſacra
Natosq; maturosq; Patres
Pertulit Auſonias ad Urbes.
Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes animumq; ferro.

Talis conſtantia *Terentii* poſt pugnam Cannenſem. *Dio Cocc. in Exc. Peir. p.* 599. Qvid de *Germanis Principibus* dicam, poſt totinfelicia bella ſemper novam *expeditionem in Palæſtinam* ſuſcipientibus? *Brunner. vide Tom. III. ann.* cumprimis *pag.* 585. Vide plura apud *Lipſium lib. IV. de Magnit. Rom. c.* 5. & illud *Polybii lib. III. cap.* 75. adde: *Quippe Romani quâ publicè quâ privatim tùm maximè ſunt terribiles, quando præſentis alicujus periculi metu acri tenentur.*

§. 2. *Vltrò cum pænè victis amicitiæ fœdera feriret*] *Sapè* (ut *Vibus Virius* apud *Livium l.*

*XXV I. cap.*13. ait) *& ipsi virtutem mirantur hostes.* Sive ut *Cicero* in L. Pisonem: *Habet hoc virtus, ut viros fortes species ejus & pulchritudo etiam in hoste posita delectet.* Hinc *Lysimachum*, Getarum Rex, *Dromichætes* bello captum hospitem suum fecit; paupertatisq; simul Geticæ ac comitatis testem factum perpulit, ut talibus amicis qvàm hostibus uti mallet, sicut è *Peiresc. Excerpt. Diodori Siculi* observat *H. Grotius lib. III de I. B. ac P. cap.* 14. §. 9. Hæc eadem *Alexandrum M.* permovit, ut *Porum*, Indorum Regem, à sese victum & captum, in gnum suum remitteret. Verba *Curtii lib. II X. c.* 4. §. 44. *& seqq.* hæc sunt: *Magnitudinem animi ejus interritam, ac ve fortunâ quidē in fractam, non misericordiâ modò sed etiam honore excipere dignatus est. Ægrū curavit haud secus, quàm si pro ipso pugnâsset. Confirmatum contrà spem omnium in amicorum numerum recepit; mox donavit ampliore regno, quàm tenuit.* Hæc eadem *Antiochum*; ut *Scipionis Africani filium* à sese captum tàm liberaliter benigneq; haberet; ut videretur pax cùm populo Romano manere; *hospitium q; privatim cum Scipionibus esse*, teste *Livio lib. XXXVII. c.* 34.

§. 4. *Ponte reciso transnatat Tiberim, nec arma dimittit*] Non absimilis virtus *Cassii Scævæ*, nisi qvòd scutum abjicere coactus est, cùm in mare se daret, apud *Val. Max. lib III. cap. 2. ex. 23.* De *Botone* vide *Brunn. lib. XI. p.* 198.

§. 5. *Mucius Scævola Regem per insidias in castris ipsius aggreditur*] Similem historiam de

de *Agesilao*, Themistoclis fratre, refert ex *Agathargide* Samio *Plutarch. in Parallelis.* Citat & *Photius p.* 478. Ad hoc factum pertinet egregius discursus *Casaub. Epist.* 170. *ad Frontonem Ducæum.* Stoici rectè docent, probatq; multis sapiens *Epictetus*: facta mortalium, qvæ mirati vulgò solemus, ex altâ firmâqve persvasione mentis (ὁρμὴν ipsi appellant) proficisci: neq; aliud posse fingi tàm arduum, tàm durum aut dirum, qvod non alacriter suscipiat, &, qvod in se fuerit, intrepidè ac constanter det effectum sive vir, sive fœmina, sive etiam puer, cui fuerit mens firmiter persvasa, sic opus esse facto. Igitur omnem laborem & difficultatem esse in persvasione illâ informandâ & constabiliendâ; qvo semel facto, nihil jam mirum videri debere, si *Calanus* aliqvis *Indus*, si multæ *Græcorum civitates*, si plurimæ hodieqve mortuis maritis *mulieres barbaræ incendio voluntario* vitam finiant: si *Mucius* aliqvis aut *Theodotus*, sui periculi oblitus, per medios hostiles exercitus perrumpat, & per tela per hostes haud dubiam in mortem vadat, qvò Duci inimico jugulum petat, & morti illius ipse qvoq; immoriatur: si *Herostratus* aliqvis cupiditate famæ, qvàm levis, Deus bone! rei, & frivolæ, ædem sacram nobilissimam, futuri securus, incendat: si aliqva *Arria* viro suo ad mortem sibi conscisc endam præeat exemplo, & simul dicat: *Pæte, non dolet*: si alia fœmina, qvò sibi gravem vitam adimat, aut *caput in parietes impingat*, qvia alia ad lethum nulla paret via; aut

 pru-

prunam candentem in os immittat: si *Castellus* aliqvis (ut de hodiernis exemplis unum ponam) ætate pænè puer, malitiâ senex recoctus, in Regem suum, Regem gloriosissimum & optimum audet conspirare, audet exitium illi machinari, audet sacram ejus majestatem pro nihilo ducere, audet deniqve securi & procerum suorum coronâ cincti os augustum cultro temerare. O vim admirabilem persvasionis.

§. 5. *Aggreditur*] Sine scelere tamen. Nam qvi hodiè (verbis *Heinsii in Orat. de secundâ Popp. Rom. ætate*) magnorum Principum capita vel secanda locant, vel ipsi scelesti qvidam mancipes & execrandi conducunt; dum *Mucii videri volunt*, imò appellantur etiâ; næ illi plurimùm fallunturi. *Scævola* enim non ut supplex, aut advena, aut transfuga, receptus ab *Hetrusois*; nec rationem ullam habere potuit meriti, in se à *Porsenna* collati; cùm publica staret hostilitas, & ferè oppressa patria teneretur. Vide *Albericum Gentilem de Armis Rom. c. 4. & Hug. Grot. lib. III. d. I. B. ac P. c. 4.* §. 8.

§. 5. *Frustrato circa purpuratum ictu*] Hinc cauti *Principes suis vestibus induebant ministros*, ipsi modico incedentes cultu; ut tùm periculum effugerent, tùm insidiatores in insidias conjicerent. Vide *ad illa Vell. lib. I. c. 2.* notam nostram: *Quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quæsiverit, quibus ab ignavis vitæ quæri solet?*

§. 5. *Ardentibus focis injicit manum*] Hinc *Scævolam* dictum volunt. Ne qvid dissimulem: licet ad annales provocare videatur *noster* §. 3. & multi sint, qvi referant idem, *Liv. lib. II. c. 12. Valer. Maxim. lib. I. c. 3. Seneca l. de provid. c. 3. Ep. 24. & 66. & 98. lib. VII. de Benef. c. 14.* mihi *fabulosa* videtur hæc *narratio*, & ab *adulatoribus* conficta *in gratiam Muciorum Scævolarum*; vel ab ipsis, qvi, cum ambitione vanâ, nostris qve temporibus non in solitâ *ab illo prisco Mucio descendisse videri volebant*, finxerunt hanc cognominis originem. Vide de hujusmodi figmentis *Plutarchum in Numâ* (ubi de *Clodio* historico) *pr.* At profectò ipsorum *diversissima gens* est ab illius *Mucii* domo, qvi *Porsennam* interficere cogitabat. Ille *patricius*; isti omnes *plebeji*: & qvò minus credam à Patriciis ad plebejos transiisse, illud me movet, qvòd *P. Mucium Scævolam* apud *Valerium lib. VI. c. 3. Tribunum plebis* invenio A. U. 268. vicesimo qvarto post istud factum. Nec enim credibile illo seculo (qvo familias plebejas alto supercilio despiciebant patriciæ, &, qvêis poterant, premebant modis) ex illustrissimâ domo qvenqvam eò humilitatis voluisse descendere, ut plebejus fieret. *Primum* qvem invenio *ad plebejos* transiisse, *L. Minutius* est; qvod Scriptoribus diligenter notatum ad A. U. 315. Ipse *Pighius in Annalibus* hunc Pub. Mucium Scævolam, Tribunum plebis, *non audet inserere* Muciorum Patriciorum familiæ; qvem alioqvin propter temporum rationem debuisse hu-

hujus ipsius Mucii filium facere. Sed viro antiqvitatis peritissimo id ipsum in animo erat, diversos esse plebejos ab illis. Sanè non *Scævolam*, sed *Cordum* cognominat *Dionysius*. Qvod cùm adeò manifestum sit, primùm cadit illud, Mucium istum *Scævolam cognominatum*, cùm hoc *Muciorum plebejorum* nomen sit: & collapso isto, magis magisq; *suspecta* fit narratio *de manu ignibus impositâ*; undè posteà Scævola dictus sit. Certè *Dionysius Halicarnassæus* de hâc ipsâ re ne ἓν qvidem: qvod *silentium instar auctoritatis* esse debet; cùm is omnium accuratissimus Romanæ antiqvitatis vindex ne minimum qvidem præterire soleat, multò minus præteriturus tàm cognitu dignum, nisi confictum deprehendisset. Jam *Annales* cum Floro nemo mihi crepet, qvos scimus *bello Gallico* periisse [*Liv. lib. VI. c. 1.*] ut in priorum temporum historiâ ex posterioribus convinci non possimus. Qvicqvid sit, non multùm ab hac narratione abludit *fabula Pontificiorum* Scriptorum, *Sophronii in Prato spirituali c. 149. Martini Poloni, & Sabellici lib. V. de Leone I.* Pontif. Rom. *Ille*, inqviunt, *cùm totis quadraginta diebus ad sepulchra Apostolorum oraſſet, ut sibi peccata remitterentur; audiit B. Petri responsum, impetraturum omnium peccatorum remissionem, præter peccati ordinationis: Vnde, quia ordinationis munus manuum impositione peragitur, dexteram, futuram aliqvando ruinæ causam, abscidit, & abjecit: sed impar querelis populi, qvòd à sacrificiis abstineret, eandem manum à Deo precum assiduitate petitam impetravit.* Videtur etiam hæc Scævolæ historia pertinere ad illud stultum iræ genus; de *qvo Pontanus part. I. Att. Bell. p. 45.*

§. 6. *Vt scias, qvem virum effugeris, idem trecenti juravimus*] Expressit *Jornandes* hanc ipsam lectionem: *En, ut scias qvem virum effugeris, idem trecenti juravimus.* Ut proindè retinere illam malim, qvàm doctorum virorum emendationem amplecti. Vult dicere: *Cùm trecenti sint è nobilitate Romanâ, qui conjurarunt in caput tuum; facilè conjicis, qvantum virum effugeris, qui primus hoc decus suum esse voluerit.* Dubium, plus animositatis, an versutiæ habeat hæc vox. Ita virtutem suam magni facit, ut stratagemate simul circumveniat Regem; & illius extollendæ magis videri vult narrare conjurationem cæterorum, qvàm ut proditionis beneficio *Porsennam* sibi deliniat. Ita *Florus* singulari artificio *majorem* laudem *Mucio* adstructum it, qvàm *Dionysius* & *Livius*; qvi hoc Regi aperuisse ajunt, ut videretur beneficiũ Porsennæ hâc proditione remunerari. Simili callidirate *Amrus Saracenus*, dux Abubecri Chalifæ secundi & Muhammedis successoris *in Palæstinam* missus, vitæ periculum effugit. Etenim à *Præfecto Gazæ*, qvem Heraclius Romanorum Imp. ibidem constituerat, ad colloqvium admissus, certior fit à puero, qvi Romanam linguam callebat, *Præfectum Romanum* de eo in discessu tollendo consilium cepisse. Credere enim, duce sublato, bellum confectum esse. *Amrus*, his auditis accedit Præ-

fectum, &, *Ne morare me*, inqvit, *ut revertar ad populi Saracenici Principes, quorum decem sunt. Interest enim eorum, ut sciant, quæ inter nos collocuti sumus; atq; adeò tecum ipsi transigant præsentes!* Romanus cùm audiret, plures esse; spemq; concepisset novam, omnes circumveniri posse, respondit: *Fac ita, & rursus cum illis compare!* Ita dimissus abiit, nec rediit unqvam. *Elmac. lib. I. Hist. Sar. c. 2.*

§. 7. *Vna ex obsidibus Regi data*] De obsidibus fœminis videndi *Casaubonus* & *Berneggerus ad Sveton. August. c. 21. §. 4. lit. p.* qvorum posteriori *Tacito* hanc reddit rationem: *Efficacius obligari animos eorum quibus obsides imperatæ fuerint fœmina: cùm infirmum charumq; sexum hostili sævitia ac ludibrio nemo facilè credatur expositurus.* Unde *Cleonymum Spartanum* videri sibi secundum naturam feciſſe, scribit *Athenæus lib. XIII. cap. 8.* qvòd obsides à *Metapontinis* ducentas genere nobiliſsimas, & eximiâ specie virgines acceperit. Cæterùm ut *Etruscos* civium suorum hostes *Cœlia*; sic *Æthilla Trojana* aversata Græcos, qvæ *filia Laomedontis & Priami soror* fuit. Hanc *Protesilaus* cum aliis captivis ex Ilio navibus avehens, *Mendem* inter & *Scionem* post varias tempestates vix naves appellit; cùmq; aqvatum *Protesilaus* cum suis omnibus longius à litore ad interiora regionis loca percurreret; tùm inter cętera *Æthilla* reliqvas allocuta captivas: *Si*, inqvit, *cum Græcis in Græciam abducimur, aurea nobis, quæ ad Trojam pertulimus adversa, videantur.* Perſvasit itaq;, ut navi-

vibus ignes immitterent. Sic Græci vel invitis eâ in regione permanere coacti sunt, & *urbem novam* condere *Scionem* appellatam. Refert *Conon*, antiqvus Scriptor, *apud Photium, num. 186. pag. 167.*

§. 8. *Superq; ipsum mutuo vulnere expiravit*] Stupore dignum, qvod apud *Liv. l. XXII. c. 51.* legitur: *Præcipuè convertit omnes substratus Numida mortuo superincumbenti Romano vivus, naso auribusq; laceratis: cùm manibus, ad capiendum telum in utilibus, in rabiem irâ versus, laniendo dentibus hostem, exspirâsset.* Similiter *Seneca lib. de Provid. c. 2.* his usus verbis: Jam *Petrejus & Juba concurrerunt, jacentq; alter alterius manu cæsi.* Vide ibi *Lipsium.* Simile apud *Victorem Tunnunensem* in anno V. post Consulatum Basilii.

§. 8. *Planè quasi adulterum ad inferos usq; sequeretur*] Flori simia, *VVassenbergius in bello Svetico*, agens de memorabili ad *Luzam* pugnâ, qvâ *Gustavus & Papenhemius*, celebratiſsimi seculi noſtri Duces occubuerunt, hunc locum ita imitatur: *Planè quasi ad judicem alter alterum post mortem sequeretur: qui fortes æquè armisq; pares cognitâ utriusq; causâ irrefragabili sententiâ separaret, nimiumq; fortasse divideret.* Sed si cuiqvam, huic *VVassenbergio* contigit, qvod ait *Seneca pater lib. I. Controv.* in procœmio: *Nunquam par fit imitator auctori. Hæc natura est rei. Semper citrà veritatem est similitudo.* Vellem sanè, in describendis memoriæ noſtræ rebus, stylum suum minus

„nus licentiosâ evagatione effudisset. *Floridictio*
„*poëticæ propior est; imò opus ipsum vix aliud, quàm*
„*declamatio. Infrà grandiloquentiam istam subsidere*
„*debet commentariorum simplicitas.* At tantò *excu-*
„*satior Florus*, qvòd post maxima ingenia, *Polybi-*
„*um, Sallustium, Livium, Dionysium* (cùm omni-
„bus exploratis de posteritatis judicio securus es-
„se posset) res Romanas hoc ornatu vestivit; imò
„*supremâ historiâ suâ centum quinquaginta annis*
„*posterior fuit.* Hic calentibus etiamnum *campis*
Lûzensibus, & maximis viris calamum suum com-
pescentibus, *intempestivè exultat*, sive potiùs *furore*
quodam concitatur. Etenim ut *Lucianus* ait:
Quicunq; scriptorum in istum Corybantem poëticum
impingunt, de statu mentis dimoventur. Hinc idem
saluberrimo futurum Historicum præcepto im-
buit: *Maximè freno credemus & ratione utemur;*
illud scientes, qvòd & in verbis non mediocre malum
est, inani gloriâ inflatum esse, turgidumque. Proin-
de satiùs fuerit sententiâ super equo insidente dictio-
nem humi currere ephippio adhærentem, ne à vehe-
mentiâ cursus superetur. Esto: *VVassenbergium*
Florum expressisse; qvod qvid erit aliud, qvàm
historiæ suæ fidem suspectam facere? nam, ut de
Floro *Barthius l. LX. Adv. p.* 2878. verissimè scribit,
non tàm historiam quandam aut compendium gesto-
rum, quàm victoriarum Pæanem *desaltavit; etiam*
in cladibus anquirens præconia sententiolis vibran-
dis, & erigendis infortuniis, malúq; moribus interfin-
guendis ex memoria.

NO-

NOTÆ AD CAP. XI.

§. 1.

ÆMulatione & invidiâ] Et æmulatio qvidem collisit *Athenienses*, & *Spartanos*; ut est apud *Iustinum lib. III. cap. 2. §. 4. Seleucum* & *Lysimachum*, ut scribit *idem lib. XVII. cap. 1. §. 8.* Invidia *Achæos* & *Ætolos*, apud *Polyb. lib. II. c. 45. Inalpinos* & *Gallos*, apud *Brunnerum lib. I. pag. 48.* ibi: *Invidia deinceps alios Gallis hostes subornavit; Inalpini populi vicinas eorum propè se opes invalescere, dudum iniquis animis senserant: Iam verò post Romanam victoriam res illorum, & multò maximè spes in immensum auctas etiam cum suo periculo rebantur. Itaque jam palàm felicitatem eorum maledicentiâ admordebant*, hostilem animum *linguâ professi, eundem mox manu probaturi, &c.* Vide sis eundem *Brunn. lib. XIII. pag. 471.* Utraq; verò inter se commisit *Lugdunenses* ac *Viennenses* apud *Tac. lib. I. Histor. c. 65.* Et sanè neutra ferè sine alterâ, ut à scriptoribus rectè conjungantur. *Plinius* in Paneg: *Æmulatio maximè nascitur ex conjunctione, alitur æqualitate, exardescit invidiâ, cujus finis est odium.*

§. 2. *Donec Postumius ipse Dictator signum in hostes jaculatus est* Qvo facto sæpè fortitudo per totum exercitum diffusa labensq; belli fortuna restituta est. Vide *Freinshem. hoc l. Lipsl. IV. de Milit. dial. 5.* Simile refert *Paulus Æmilius lib. IV. de Rebus Gestis Francorum*, cùm bello sacro

Ro-

Robertus Viscardus, Dux Normannorum, *aureum vexillum in hostes* frequentissimos jecisset, dum id *repetunt Normanni*, impetus furentium factus, hostes dissipavit. Simile quid de *purpureo signo Draconis* leges apud *Ammian. lib. XVI. pag.* 81. *edit. Vales.* Item *Brunnerus lib. XIII p.* 545. modò citatus: *Paulò post, re in idem discrimen adductâ cædis fugæq;, Meranius Princeps usurpatum sæpè à maximis Ducibus exemplum repetiit; raptum è signiferi manibus vexillum in medios jacturum se hostes minatus, jam præcipites ad fugam stitit, & ignavum metum generoso altero accipiendi dedecoris expunxit: dextrâ cruentum ferrum, lævâ vexillum præferens, suosq; increpans ut desertores, momento omnia restituit.* Aliàs quàm soliciti fuerint viri fortes de recuperandis armis suis. Vide notam *Bernegger. ad Justin, lib. XXIII. c. 2. §. 4. lib. XLIV. c. 2. §. 5.*

§. 4. *Ea denique atrocitas fuit prælii, ut interfuisse spectaculo Deos, fama tradiderit.* Prudentissimus Scriptorum, *Polybius lib. I. cap.* 47. meritò tidet historicos, ut ignavos, & in ficeros, qvi non verentur id genus aniles ineptias libris suis inserere. Verba ejus sunt: *Vbi exitum non inveniunt, nec quomodo mendacium deponant, Deos & Deorum filios, in historiam rerum gestarum, veram & seriam narrationem professam, inducunt: Alpium siquidem juga adeò inaccessa atq; aspera esse fingunt, ut vix ab expeditis peditibus, nedum equis, exercitibus, elephantis, superari queant. Ad hæc, loca ita deserta nobis describunt, ut nisi DEus, aut Heros aliquis Hannibali occurrisset, qui viam indicaret, omnes incerti, quò se verterent, fuerint perituri.* Et cap. seq. *Verùm ignari horum omnium, Heroëm quendam ajunt Pœnis apparuisse, & viam ipsis indicâsse: In quo simile illis usu venit ac Poëtis, qui tragœdias componunt. Nam quoniam hi argumenta falsa & absurda initio proponunt, semper in fabularum exitu Deo indigent, & machinâ. Illis quoq; Scriptoribus ut idem eveniat, necessum planè est; ut q; Heroas aut Deos fingant visos, postquam semel principia à verisimilitudine aliena & falsa posuerunt.* Qvamobrem sapientior Floro nostro, & aliis, *Frontinus*; qvi *l. I. c.* 11. stratagema Ducis hoc fuisse scribit. Cæterùm geminum apud *Leunclavium lib. IV. Histor. Musulman.* legitur: *Ajunt enim Turcæ, tempore Orchanis appulisse insignem mari classem, cum numeroso Christianorum exercitu, qui mox in terram exscenderint; cùmque Turcicas invasuri copias essent, internecione deletos fuisse, Turcis interim prorsus auctorem stragis ignorantibus, nisi quòd hostem fugientem conspicerent. Tandem à nonnullis, qui fugâ periculo se eripuerant, cognitum; visam Christianis fuisse turmam equitum, scutulatis equis insidentem, qui eorum in acie cædem edidissent.* Hæc ille. Nec aliorsum referenda, qvæ iidem *Turcæ* de Heroë qvodam *Chederle*; & qvidam *Pontificiæ* vel *Græcæ religionis* de *D. Georgio* fabulantur: Illum enim eundem fuisse perhibent, cum nostratium *D. Georgio*; eumq; comminiscuntur per longinqvas oras peregrinari solitum, ad fluvium postremò venisse;

cui-

cujus *aquæ* bibentibus præstarent *immortalitatem*; Hinc eum *Chederlem* mortis legibus solutum huc illuc in eqvo præstantissimo (qvi similiter ejusdē aqvæ hausto mortalitatem exuerit) divagari; gaudentem præliis, adesse in bello melioribus, aut iis, qvi ejus opem imploraverint, *cujuscunq; tandem sint religionis*; ut scribit *Busbequius Epist. I. Legat. Turc*: Ubi qvod ait de *S. Georgio*, confirmatur *Epistolâ Anonymi ad Clement. III.* scriptâ anno 1190. de expeditione *Saracenicâ* Friderici Barbarossæ, apud *Reusnerum*, *l. I. Ep. Turc. p.* 43. Adde de S. Georgio *Brunn. lib. XIII. p.* 560. 561. De S. Petro, in acie viso, *eundem lib. eod. p.* 491.

§. 5. *Hactenus pro Libertate*] Ita Tarqvinium à suis pulsum non Porsenæ, non Latinorum potentia, reducere potuit. Nimirum hæc sunt documenta Regibus ad modestiam; & ut cogitent se qvoq; subjectos, si Deo ita visum, humanis vicibus. Verissimè *Salustius Orat.* 1. de Ordinandâ Republ: *Cuncta imperia crudelia magis acerba, quàm diuturna esse* Qvod ipsum *Seneca lib. I. de Clem. c.* 11. confirmat: *Cùm Reges consenuerint, liberisq; ac nepotibus tradiderint regna; tyrannorum execrabilis ac brevis potestas est.* Et Nero apud *Tac. lib. I. Hist. c.* 16. *quem sua immanitas cervicibus publicis depulit.* Simillimum, qvod de *Achæis* refert *Polybius l. II. c.* 41. paruisse Regibus ad *Gygem* usq;: Hujus filios aversatos, qvoniam non pro legitimo Rege, sed pro hero inter illos se gerebat; *populārem statum* reduxisse, *ac pro viribus retinuisse.*

Qvan-

Qvanqvam autem *quæ olim acciderunt, accidere adhuc possunt*, verbis *Livii lib. XXIIX. cap.* 41. nec absurdum, *obviâ in multis nostrorum temporum similitudine, ab iisdem causis* (ut *Tac. lib. IV. Ann. c.* 33. loqvitur) *pares exitus animo præcipere*: tamen apud multos recentiora majorem stimulum relinqvunt. Igitur è *Meursii lib. III. Hist. Danicæ pag.* 177. in medium produco hoc valde memorabile de *Christiano II. Rege Daniæ*. Cùm Reges *Galliæ, Angliæ, Scotiæ* fœderatos sibi haberet: *Fridericum* & *Iohannem Saxones* avunculos: tùm sororium *Ioachimum Brandeburgicum*: *Maximilianum* qvoq; Imperatorem, & per hunc *Austriacam domum* universam matrimonio contrahendo devincire animum induxit. Erat huic ex *Philippo* filio neptis, *Isabella*; cujus fratres *Carolus* & *Ferdinandus*, avo posteà in imperio suo ordine successerunt. Eam sibi cùm uxorem petiisset, sine negotio impetravit. Atq; ita, raro sanè summi Dei beneficio consecutus illud fuit, ut *potentiâ Reges Daniæ universos* (qvotqvot ante ipsum unqvam extitissent) *superaret*. *Daniam*, *Sveciam* ac *Norvegiā* à parente suo acceperat: *Gallia, Anglia, Scotia* fœdere; *Hispania, Hungaria & Bohemia* atqve *Imperium totum, Belgiumque* affinitate obstringebatur: *tria regna* possidebat, *sex obnoxia* sibi habebat, fœdere aut matrimonio. Qvibus adde tùm *Germaniam*, tùm in eâ separatim *Marchionatum Brandeburgicum*, & *Saxoniam*: adde *Belgii ditiones decem & septem*. Tanto tamen *fastigio detur-*

ba-

„*batus*, nec restitui tot potentium amico-
„rum opere qvirus, actis miserè *in exilio an-*
„*nis novem*, *in carcere viginti septem*, in qvo
„tandem qvoqve obiit, Reges Principesq; o-
„mnes sat exemplo suo docuit, modum affecti-
„bus imperare: & cavere, ne, præcipites domi-
„nandi, in transversum rapiantur. Qvippe Deus
ita regna ordinavit, ut, obseqvii fideiq; qvantum
à subditis Reges poscant, tantum qvoq; æqvitatis
& amoris illis debeant; nec minorem sibi qvo-
qve rationem juramenti, qvo se illis obligarunt,
habendam esse arbitrentur. Tùm ostendit, se per-
juria qvidem severissimè vindicare; sed potissi-
mùm in iis, qvos ad summum dignitatis gradum
evectos, in hac terrâ qvasi Deos esse voluit. Hæc
Meursius.

§. 6. *Pudet, sed triumphavimus*] Ne pu-
deat illius seculi, cùm Romanorum essent angu-
stæres, sed illius, qvo jam terrarum Dea gentium-
qve Roma templis & aris coleretur. Tùm enim
Valerii lib. II. c. 8. verbis, *cujuslibet gloriæ cupidi ex*
deserto & montibus, myoparonumq; piraticis rostris,
laudis inopes, laureæ ramulos festinabundâ manu de-
cerpserunt. Major *Caligulæ* vesania, qvi (ut est apud
Svet. in ejus vitâ c. 43. *& seqq.*) cùm *expeditionis Ger-*
manicæ impetu cepisset, *deficiente belli materiâ pau-*
cos de custodiâ Germanos trajici, occulique trans Rhe-
num jussit; *ac sibi post prandium quàm tumultuo-*
sissimè adesse hostem nunciari. Postremò *Galliarum*
procerissimum quemque, ac nonnullos ex Principibus
legit,

legit, ac sepositi ad pompam: coëgitq; non tantùm
rutilare & submittere comam; sed & sermonem Ger-
manicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Idem
de eodem Cajo inter alia *Ioh. Antiochenus in Exc.*
Peir. 804. 805. retulit hisce verbis: *Suscepta Ger-*
manicâ expeditione, ὡς καὶ τὴν πᾶσαν Κελτικὴν καὶ Βρετ-
τανικὴν κοχλαμένην, αὐτοκρατωρ τε πολλάκις καὶ Γερμανικὸς
καὶ Βρεττανικὸς ἐπικλήθη. Hoc est, *quasi* totam *Germa-*
niam ac Britanniam subegisset, appellatus est sæpiùs
Imperator & Germanicus ac Britannicus. Succesor
ejus *Claudius* qvantum ab eâdem veterum Ro-
manorum magnanimitate degeneraverit, non si-
ve risu notavit è Romanis Scriptoribus *Camde-*
nus in Britanniâ p. 343. ibi: *A. Plautium Claudius*
statim transmissis legionibus cum omni imperii mole,
& elephantis subsecutus est: *primùmq; transmisso*
Tamisi Britannos, qui in ripâ advenientem excepe-
runt, signis collatis fugavit, facileq; Camalodunum
cepit. Ob qua Britannici *nomine filio imposito, sa-*
piusq; ipse Imperator salutatus (*contrà Romanorum*
institutum; *neq; enim sapiùs quàm semel licebat uno*
de bello id nomen assumere) *sexto, quàm profectus erat*
mense, Romam rediit. Tantum erat vel tantulam
Britanniæ partem debellâsse, ut hinc Claudio annuos
ludos, arcus triumphales, & in urbe, & Gessoriaci
Galliæ, splendidissimumque triumphum decreverit
Senatus; *ad cujus spectaculum etiam provinciarum*
præsidibus, & quibusdam exulibus in urbem com-
meare permissum: *Navalis corona fastigio Palatinæ*
domus, quasi Britannici maris domiti insigne, fixa sit;

coronas aureas contulerint provinciæ, &c. Tanqvam rarum notat *Tacit. lib. XIV. Ann. c.* 37. victoriam *Svet. Paullini* de Britannis: *Clara & antiquis victoriis par eâ die laus parta. Quippe sunt, qui* paulò minus *quàm octoginta millia* Britannorũ *cecidisse tradant, militum quadringentis* fermè *interfectis, nec multò amplius vulneratis.* Imò eò usq; mores Romani prolapsi erant, ut triumpharent, qvi victi erant. Docet *Plinius in Paneg. c.* 11. cùm ait, *Hostis non pulsi fugatique præcipuum fuisse indicium, si triumpharetur.* Ubi Lipsius: *Tangit palàm Domitianum, cujus hæc demens vanitas, ut cùm malè pugnasset ipse aut legati, tum deniq; Romæ triumphum instruerit quasi victor.* De Cattis *Tacitus* in Germ. cap. 37: *Proximisq; temporibus* (Domitiani) *triumphati magis quàm victi sunt.* Idem in Agric. cap. 39: *Derisui fuisse falsum ejus* (Domitiani) *è Germaniâ triumphum.* Et de Dacis Orosius: *Pravissimâ jactantiâ elatus, sub nomine superatorum, de extinctis legionibus triumphavit.* Etiam *Trajani* tempore qvàm insanierit S. P. Q. R. ut *victorem Indiæ* faceret, qvi *ex Indiâ cum magnâ* exercitus *clade* redierat, dixi suprà *ad Prologum* §. 8. De *Alexandro Severo*, qvi *de Persis* triumphavit, cùm victus esset, ad *Valer. Max. lib. II. c.* 15. §. 3. Triumphum petebat, qvi portæ nunqvam extulerat pedem. *Cicer. lib. VI. ad Att. ep.* 8. *& lib. VII. ep.* 2. Claudius Imp. *Corbuloni* concessit *insignia triumphi*, cùm bellum negasset. *Tac. lib. XI. Ann. c.* 20. Ita *Muciano* etiam *triumphalia* data, cùm expeditio in *Sarmatas* finge-

geretur. *Tac. lib. IV. Hist. c.* 4. Item *lib. IV. Ann. c.* 23. ubi de bello *Tacfarinatis*, in multos annos tracto: *Nam priores duces, ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant. Iamq; tres laureatæ in urbe statuæ, & adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* Similiter cùm *Parthi Cæsennium Patum* A. U. 814. ad infamem *deditionem* compulissent, *Tacit. lib. XV. Ann. c.* 18. ait: *Romæ tropæa de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur: decreta ab Senatu, integro adhuc bello, neq; tum amissa, dum aspectui consulitur, spretâ conscientiâ.* Senatus *Macrino* dedit *Parthici* nomen, sed ipse verecundatus est accipere, qvòd *à Parthis victum* se noslet. *Dio lib. LXX. p.* 900. Pertinet huc *ep.* 7. *Plin. lib. II.* Adde *Scalig. ad Euseb. n.* 2291. Ita *Gallienus* in communi calamitate ac ruinâ imperii Romani, *velut triumphabundus* incedebat. *Ibant gentes simulatæ, ut Gothi, Sarmatæ, Franci, Persæ: ita ut non minus quàm ducenti singulis globis ducerentur. Hac pompâ homo ineptus eludere se credidit populum Romanum. Præterendum non est haud ignobile facetiarum genus. nam cùm grex Persarum* (ita legit Casaub. p. 207.) *quasi captivorum, per pompam* (rem ridiculam) *duceretur; quidam scurra miscuerunt se Persis, diligentissimè scrutantes omnia, atq; uniuscujusq; vultum mirâ inhiatione mirantes. A quibus cùm quæreretur, quidnam agerent illâ solertiâ? illi responderunt: Patrem Principis quærimus!* Hæc usq; adhuc *Treb. Pollio in Gall. p.* 179. In illis *Tacitii lib. XIV.*

*Ann.c.*64. simile acumen: *Quæ rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuêre.* Qvasi dicat: Rerum non secundarum præcipuum insigne, si gratiæ Diis agerentur; ceu hodiè à qvibusdam, *Te DEum laudamus*! canitur. Inferioris tandem ævi Imperatores, licet *nullam* unqvam *de Germanis victoriam* reportassent, tamen *Germanici* nomen adsciscebant; ut olim *Africani, Asiatici, Macedonici*, à devictis illis gentibus, & terris in potestatem Romanorum redactis cognominabantur. Qvæ qvidem res *Theudobertum*, Francorum Regem, adeò in Romanos inflammavit, ut nisi morte interceptus fuisset, exitiabile bellum eâ de causâ ipsis intulisset. Neq; enim, ut scribit *Agathias lib. I.* tolerandum censebat, qvod Imperator *Iustinianus* in edictis Imperatoriis *Francici* & *Alemannici*, nec non *Gipedici* & *Longobardici*, aliosq; hujusmodi titulos sibi vendicaret, perindè ac si omnes hasce gentes subjugasset. Sic *Fridericus* cladem acceptam fuco oblevit, victoriamq; qvam *ferro* non potuit, liberali sibi *calamo* asseruit. *Brunner. lib. XII. p.* 427. 428. De Hispanorum stultitia *Barlæus in Orat. Paneg. de victâ Hisp. classe, An.* 1640. *p.*31. Similem *Turcorum* consvetudinem triumphandi leges apud *Bizarum lib. XI. Hist. Rer. Pers. p.*310. *lin.* 11. sed eam non tam vanitate, qvam ratione retentam. Adde *pag.* 311. *lin.* 45.

§. 7. *Tibur nunc suburbanum*] Elegantes *Cic. Verr. IV. c.*3. de Siciliâ: *Sic populo Romano jucunda suburbanitas est hujusce provinciæ.* Adde *Verr. VII, c.*60.

§. 7. *Æstivæ Præneste deliciæ*] De æstivis veterum deliciis, vide *Freinshemium ad Curt. lib. V. c.* 8. §. 1. Posteriores Romanos plerumq; in *Campaniam* per æstatem secessisse, multi Scriptores docent. Qvod & *Themistius* in Oratione qvâdam *Byzantinis* objicit, qvi amore deliciarum hoc genus, veteribus Romanis nihil cesserunt. Siqvidem pro *Campaniæ* orâ fuit iis *Propontis* vicina, *Creta*, aliæq; adjacentes insulæ. Legendus *Nicetas Choniates in Rebus Isaaci Angeli.*

§. 7. *Nuncupatis in Capitolio votis petebantur*] Vota nuncupata *Sexto Pompejo de V. S. Cincio l. II. de off. Icti*, qvæ Consules, Prætores, cùm in provinciam proficiscuntur, faciunt. Ea in tabulas præsentibus multis referebantur. At *Santra*, ut ibidem extat *l.* 2. *de verbis antiquis*, satis multis collegit, nuncupata *non directò nominata* significare; sed *promissa & quasi testificata, circumscripta, receptaq;*, qvod etiam in votis nuncupandis esset freqventius. Dicitur etiam *nuncupata pecunia*, qvam ibidem *Cincius* exponit *nominatam, certam, nominibus propriis pronunciatam.* Item *nuncupatum testamentum*, qvando tabulas testamenti testaror tenens ita dicit: *Hæc uti in his tabulis cerisve scripta sunt ita lego, ita do, ita testor: Itaq; vos Quirites* testimonium *perhibetote*! qvæ *nuncupatio* & *testatio* vocatur. Consulendus *Sigonius l.* 2. *de Iure antiquo Provinciarum. c.* 4. Hæc, qvæ ad hunc locum notata sunt, scias te debere *Virdungo*. Ego de

nuncupatis votis adire te velim *Torrentium ad Horatium lib. IV. Carm. od. 2. sub f.*

§. 8. *Fæsulæ*] E cujus urbis ruderibus surrexisse volunt vicinam *Florentiam*, temporibus *Caroli M.* quos refutat *Alciatus ad Tac. lib. I. Ann. not. ult.* Nam, inqvit, *Florentinæ Coloniæ* Frontinus meminit, qvi deductam ait *ab Octaviano, Antonio, & Lepido, Triumviris.* Celebrat eandem *Plin. lib. XIV. cap. 3. Tacitus. d. l. Ptolomæus, & Scholiastes Græcus.*

§. 9. *Coriolos quoq; (proh pudor!) victos*] Subscribo in discrepantibus doctorum virorum sententiis *Vossio lib. I. de Analogiâ cap. 12. pag. 49.* ubi disputat de nominibus urbium *in virili genere* adversus Scioppium: *Rectius*, inqvit, *Coriolus virile dixisset, propter illud Flori: Coriolus quoque (pro pudor!) victus, adeò gloriæ fuit. Hanc lectionem reperi in principe omnium editione.* Ac Vinetus *etiam se sic in vetustis codicibus invenisse testatur.* Puto, *primum mutâsse* Philippum Beroaldum. *Nam primus is, qui inventâ typographiâ medicam huic scriptori manum admôrit; sed sapius nil minus, quàm medicam.* Beroaldi *editionem secuta cætera, in quibus nunc legitur: Coriolos victos. Nempe, qnia Livius semper Coriolos vocat; ut etiam Val. Max. lib. IV. c. 3. & Plin. lib. III. cap. 5. Sed Græci singulo appellant numero, genere tamen muliebri.* Nam iis est Κορίολα, vel Κόριολα; *ut videre est ex Dion. Hal. lib. IV. & Stephano in Ethnicis.* Hæc *Vossius.*

§. 10. *Nam*

§. 10. *Nam sex fuere rostratæ*] χαλκεμβόλους vocant *Plutarch. in Antonio, Appianus in Mithridatico*; qvòd nimirum rostra sive ἐμβολαὶ facta essent *ex ære.* Undè & *æratas naves* Virgilius vocat. Vide *Lazarum Bayfium in lib. de Re Nav. p. 69. Lil. Greg. Gyraldum de Navigiis, pag. 258.* Formam earum exhibent multi numi; *& rostrorum*, Columna rostrata *Duilii* apud *Pighium in Annalibus tom. II. A. U. 493.*

§. 14. *Rediit ad boves rursus triumphalis agricola*] Fuit iste L. Qvinctius L. F. L. N. *Cincinnatus*, è Trojanâ *Quinctiorum* familiâ oriundus. Qvod referendum ad assertionem politicorum: *Agriculturam nihil officere nobilitati.* Talis etiam ducentis annis pòst *C. Atilius* M. F. M. N., *Regulus, Serranus*, ut ajunt, dictus, qvòd, cùm ad imperium populi Romani suscipiendum vocaretur, *serens in agro* inventus sit. *Cic. pro Roscio. Val. lib. IV. cap. 4.* Unde *Plinius lib. XIIX. c. 3.* vocat *triumphalem aratorem.* Alludit *Symmachus lib. VII. epist. 15.* ad filium: *Adde te rusticantium numero, & paulisper Catones atq; Atilios æmulare, quos vomeris stiva ad Consulares misit secures.* Qvin in maximis elogiis ponebant titulum *boni agricolæ. Cato proœmio de re rusticâ*, ad filium: *Virum bonum cùm laudabant, ita laudabant: bonum agricolam, bonumq; colonum videri; amplissimè laudari existimantes, quem ita laudabant.* Suspicor etiam hinc *Cn. Iulium Græcinum*, virum ob hoc unum à *Caligulâ* interfectum, *qùod melior vir esset, quàm esse*

quenquam tyranno expediret, ut scribit *Sen. lib. II. de Ben. c. 21.* filio suo *Cn. Iulio, Agricolæ* cognomen *velut honorificum* imposuisse, qvòd ipse *gloriâ rusticationis* admodum delectaretur: ut è *Columella aliquot locis* constat, qvietiam *duos ejus libros de vineis* citat; imitatus in hoc veteres illos Qvirites, qvi à disciplinâ rutis nomina ferebant; ut *Fabii, Cicerones, Lentuli, &c. Plin. lib. XIIX. c. 3.*

NOTÆ AD CAP. XII.

§. 1.

GEns una *Fabiorum*] Historiam *trecentorum Fabiorum* narrat *Dio Cocc. in Exc. Peir. p.* 579. Cum hac verò gente, qvæ trecentos misit in bellum, *quoad amplitudinem*, comparari qveat *familia* Britannica *Medcalforum*; qvam numerosissimam totius Angliæ *Camdenus in Britanniâ p.* 593. scribit. *Christophorum* enim *Medcalf*, virum Eqvestris dignitatis & familiæ hujus primũ, *trecentis equitibus* ejusdem familiæ & cognominis eodem amictu stipatum *Iustitiarios Assisiarum* excepisse, *Eboracumq;* deduxisse. *Quoad fatum* succurrit familia *Veneta Iustinianorum:* Nam in expeditione contra *Emanuelem*, Imperatorem Byzantinum susceptâ, A. C. 1158. præter propter, omnes ad unum partim ferro, partim veneno, partim morborum sævitia periere. Unus ex eâ superstes, *Nicolaus* nomine, qvi *monasticum* habitum indutus ad *D. Nicolai litorale fanum* sacris operabatur, *Alexandri III. Pontificis* auctoritate, ex religioso illo cœtu egressus, ad conjugium transiit, ductaq; *Annâ, Principis Vitalis* filiâ, *novem liberos* suscepit; *sex* virilis, *tres* fœminei sexus. Ex uno filiorum ortus est *Petrus Iustinianus*, qvi hæc memoriæ prodidit *lib. II. Histor. Venetæ.* Adde ex abundanti *Phil. Carol. notis ad Trigam Solæc. Polit. p* 55. *& seqq.*

§. 2. *Scelerato signata nomine*] *Vales. ad Exc. Peir. Dionis p.* 81. Sic & apud alias gentes infamibus appellationibus loca notata sunt. Apud *Cretenses* locus qvidam IMPUDENTIÆ vocabatur. *Nic. Damasc. in iisdem Exc. p.* 433. De campo inter *Basileam* & *Argentoratum*, vide *Reines. lib. II. Var. Lect. c.* 16. *p.* 269.

§. 4. *Cremati suo igne Fidenates*] Hujusmodi desperationis exempla congessère *Bernegerus ad Iustin. lib. XIII. c.* 6. §. 1. 2. 3. *Freinshem. infra ad lib. II. cap.* 18. §. 15. *lit. b. Virdungus ad Agricolam Tac. c.* 38. *p.* 227. Habes & exemplum apud *Piccartum Dec. XI. c.* 6. *p.* 312. Vide notas meas *ad Val. M. lib. III. c.* 2. §. 7.

§. 5. *Cum iis, quos adduxerat, pueris*] Norat enim iste furcifer liberorum eam esse charitatem, ut omnia extorqveat, omnem pertinaciam frangat. Historiam de isto ludimagistro refert *Dio Cocc. in Exc. Peir. p.* 579. Adde *Vales. in not. p.* 82. Ex hac notitiâ fluxerunt illa multorum consilia, qvi obsides legêre adversariorum vel suspectorum liberos. Videndus *Forstnerus not. Polit. p.*

298. *ad illa Tac. lib. III. Annal.* cap. 43: *Nobilissimam Galliarum sobolem liberalibus studiis ibi operatam (occupaverat) ut eo pignore parentes propinquosq; eorum adjungeret.* Adde *not. ad Velleji lib. II. c.* 7. §. 1. ub disseruimus, liberorum caritatem reddere amiciores Reip. *Eryc. Putean. lib. II. Hist. Med. p.* 95. 96. *Fortius Alfonsus Peresius Gusman. apud Lips. lib. II. Mon. & Ex. c.* 7. *p.* 55. *&* 56.

§. 6. *Eam vir sanctus veram sciebat victoriam, quæ salvâ fide & integrâ dignitate pararetur*] Videatur ad hunc locum & satisfaciet, qvanqvam avido sititori, fons ille multæ doctrinæ & eruditionis, *Piccartus, Dec.* 10. *Observ. c.* 2. *sub fin.* Addendus *Scip. Amirat. lib. II. disc.* 13. *Freinshem. in Curt. lib. IV. c.* 1. §. 12. *Gruterus discurs. cap. in Tacit.* 25. §. 14. *& seqq.* Qvæ verò nos post illos observavimus, ad illa *lib. II. c.* 6. §. 40. adferemus: *Certum est, ad profligandam provinciam maximè profecisse singularem ducis sanctitatem.*

§. 7. *Fidenæ, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatæ, & discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more processerant*] *Liv. lib. IV. c.* 33. de hâc ipsâ re: *Concusserat primo statim congressu hostem; cum repente patefactis Fidenarum portis, nova erupit acies, inaudita ante id tempus, insuetaq;: Ignibus armata ingens multitudo, facibusq; ardentibus tota colluccens, velut fanatico instincta cursu in hostem ruit, formâq; insolitæ pugnæ Romanos parumper exterruit.* Du-

Dudum est, cùm ad marginem Livii mei notavi legendum videri: *angvibus armata ingens multitudo.* Idem cùm sentire videam *Gruterum*, lætor hac auctoritate. Idem *Livius de Falisciis lib. VII. cap.* 17. *Indè terror maximus fuit, quòd Sacerdotes eorum facibus ardentibus, angvibusque prælatis, incessu furiali militem Romanum insvetâ turbaverunt specie.* Ubi *Gruterus* non potest credere, veros fuisse angves, sed *vittas colore angvineo*, qvæ vento agitatæ visæ vivere, qvod sic interpretetur *Florus* hoc loco. Ego valdè dubito, an *Florus* mentè *Livii* rectè ceperit. Nec n. *primò* verisimile mihi videtur, Livium duobus in locis *poëticè* maluisse *loqui*, qvàm propriè; & angves dicere, qvi angves non erant: *Deinde*, qvidnî potuerint esse veri angves, qvos utiq; præferebant fanatico instinctu discurrentes? In horrendo Bacchanalium festo, qvo, qvicqvid eratinsaniæ ac furiarum ne fariis modis olim exercebatur,

Pars è divulso raptabant membra juvenco,
Pars sese totis serpentibus incingebant,

ut *Catullus* ait in *Nuptiis Pelei. Prudentius*, lac illud Musæ Christianæ, etiam *dentibus discerpsisse* memorat *lib. I. contrà Symm. v.* 130.

--- Virides discindunt ore chelydros,
Qui Bromium placare volunt, quod & ebria jam tunc
Ante oculos Regis Satyrorum insaniafecit.

Qvem

Qvem memorabilem Poëtæ locum cùm *Victor Giſelinus* ab aliis confirmari neſciat, hal eat qvod *Georg. Fabricius* ſcribit: *Vidiſſe ſe Romæ propè in ſepulchri fracto marmore fanaticam Bacchantium turbam*; qvi angves ore geſtarent, *& caprum ducerent.* Et illud *Galeni lib. I. de antidotis*: *Opportunum itaque tempus eſt, quod iis medium intercedit, quodque Andromachus ipſe ſignificavit, quo tempore, & qui Libero Patri ſacra faciunt*, Viperas lacerant, *vere quidem finiente, nondum tamen æſtate incipiente.* Qvi locus dubitare non ſinit, *veros fuiſſe angves*; & qvod iſti fanatici furentesq́; *in Bacchi feriis* poterant facere, idem potuere fanatici furentesqve *Fidenates & Faliſci*, ut ſuo verbo Liviano proprietas conſtet. Porrò ſimile apud *Tacitum lib. XIV. c.* 30. §. 1. legimus, ubi de expeditione *C. Svetonii Paullini*, adverſus Monam inſulam: *Stabat pro litore diverſa acies, denſa armis virisque, intercurſantibus fœminis: in modum Furiarum, veſte ferali, crinibus dejectis, faces præferebant; Druidæque circum, preces diras ſublatis ad cœlum manibus fundentes, novitate adſpectus perculêre milites, ut quaſi hærentibus membris, immobile corpus vulneribus præberent.* Adde ſimile exemplum apud *Tac. lib. IV. Hiſt. c.* 22. Qvi & de *Ariis* Svevicâ natione, *in Germ. c.* 43 Cæterùm *Arii ſuper vires*, inqvit, *quibus enumeratos paulò antè populos antecedunt, truces, inſitæ feritati arte ac tempore lenocinantur. Nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt: ipsâque formidine atque umbrâ ferelis exer-*

exercitus, terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente novum ac velut infernum aſpectum: nam primi in omnibus prælüs oculi vincuntur. Illa *Iſidori* huc refer: *Ruſſata, quam Græci phœniceam vocant, nos coccinam, reperta eſt à Lacedæmoniis ad celandum corporis ſimilitudine ſanguinem, quotiens quis in acie vulneraretur; ne contemplanti adverſario animus augeſceret.* Hæc annotavit *Salmaſ. ad Trebell. p.* 334. Porrò ſuum judicium idem *Tacitus* in illis *lib. III. Ann. c.* 45. latere voluit: *Viderent modò adverſos, & adſpicerentur: id ſatis ad victoriam.* Conſentiunt Scriptores magno munero. Parmenio apud *Curt. lib. IV. c.* 13. §. 5. in oratione, qvâ ſvadet hoſtes nocturno tempore invadendos: *At interdiu primum terribiles occurſuras facies Scytharum Bactrianorumq́; hirta illis ora, & intonſas comas eſſe; præterea eximiam vaſtorum magnitudinem corporum. Vanis & inanibus militem magis quàm juſtis formidinis cauſis moveri.* Qvanqvam autem Alexander tùm Parmenionem audire nollet; tamen ipſe poſteà non aliâ ceruſsâ pinxit dignitatem ſuam, & ornamenta militum, cùm *l. IIX. c.* 8. §. 15. ait: *Utinam Indi quoq; DEum me eſſe credant. Famâ enim bella conſtant, & ſæpè etiam, quod falsò creditum eſt, veri vicem obtinuit. An me luxuriæ indulgentem putatis arma veſtra auro argentoq; adornaſſe? Aſſvetis nihil vilius hâc videre materiâ, volui oſtendere, Macedonas invictos cæteris nec auro quidem vinci. Oculos ergò primùm eo-*

eorum sordida omnia & humilia spectantium capiam. Nam hoc ipsum velle *Alexandrum*, qvod cogitabat *Parmenio*, docet in explicatione horum verborum *Freinshemius*. Fulgore armorum fugati hostes. *Brunn. lib. XIII. p.* 548. Hinc & armorum splendorem præcepit *Onosander in Strateg. cap.* 28. Nec verba *Diod. Siculi lib. XXI. cap.* 2. abludunt: *Multa belli vana. Ignorantia enim ac fraus sæpè non minus efficiunt, quam strenua in armis opera.* Et illa *Vegetii lib. III. cap.* 26. *Subita conterrent hostes, usitata vilescunt.* Item *Onosandri* in Strategico: *Multæ per oculos species in animos delapsæ perterrere adversarios solent.* Sed addam de exemplis unum & alterum. *Polyb. lib. II. cap.* 29. *Romanos stupore quodam perstellebat, quâ ornatus Gallici exercitus, quà tumultus ipse, & clamor. Nam præter buccinatorum tibicinumq; propè infinitam multitudinem, universo exercitu ululatum simul tollente, talis tantusq; exortus est clamor, ut non tubæ solùm ac milites, sed etiam resonantia è proximo loca vocem perse viderentur edere, &c.* Hinc illud consilium *Arabum, Parthico* ornatu irrumpentium in *Syriam*. Vide *Cic. lib. III. ep.* 8, & ibi *Manutium pag.* 345. Nec absre *Justinus lib. XIIX. cap.* 1. §. 6. *Romanos vincentes jam inusitata ante elephantorum forma stupere primò, mox cedere prælio coëgit*, Eâdem de causâ *Galli* apud *Cæsarem de Bello Gallico lib. II. c.* 31. dicebant: *non se existimare Romanos sine Deorum ope bellum gerere, qui tanta altitudinis machinationes tantâ celeritate promovere*

re & ex propinquitate pugnare possent. Ex hâc ipsâ causâ *Americani Hispanos* stupuerunt ut Deos, inusitatâ eqvorum formâ, & machinarum strepitu deterriti. Adde *Freinshem. ad Curt. lib. IX. c.* 8. §. 14. Hoc igitur cùm nosset Alexand. M. jamjam prælium initurus, *consistere aciem paulisper jussit, ut hâc morâ consvescerent oculis turbam hostium sustinere*; ut scribit *Justin. lib. XI. cap.* 9. §. 7. qvòd sciret communi vitio naturæ fieri, ut invisis, latitantibus atq; incognitis rebus, magis exterreamur, qvæ sunt verba *Cæsaris lib. II. de Bell. Gall. c.* 4. Vide plura apud *Freinshem. ad nostri l. IV. c.* 12. §. 16. *l.* 7. & *Indice in voce, Inusitata.* & *ad Curt. lib. IX. cap.* 1. §. 15. *Gruterum ad Livii lib. VII. c.* 17. & *lib. XXVI. cap.* 51. & *lib. XXXIV. c.* 12. & *discurs. in Tac. c.* 12. & 13. *Lipsi. l.* 5. *Polit. c.* 16. *Virdungum in Agric. Tac. c.* 26. Vide insuper *not. ad hunc. lib. c.* 16. §. 12.

§. 7. *Sed habitus ille feralis eversionis omen fuit*] Veteres superstitiosi, qvi omnium observationibus sè totos addixerant, etiam genus *vestitus*, sive habitum & *colorem* eò vel inprimis trahebant. De *Crasso* vide *Plutarchum*, *Dionem* & *Appianum*. Hodie etiam *Turcæ* plurimùm ejusmodi ominibus tribuunt. *Niger* enim *color* apud eos infaustus habetur. Itaqve apparere ibi aliqvem *in veste nigrâ* fœdi sæviq; ominis est, adeò ut *Busbequius* scribat, aliqvando *Bassas* & miratos, & seriò *conquestos* fuisse, *quòd ad* ipsos *cum veste nigrâ* accessissel. Hæc *Virdungus*.

§. 8. *Ni-*

§. 8. *Nisi captâ urbe remearet*] Nota hîc stultitiam votorum, & juramentorum, de qvâ plura *Freinshemius tum ad hunc locum, tum ad c. 16. §. 7.* Apud eundem nostrum *lib. III. c. 10.* occurrit simile factum *Helvetiorum*, qvi mœnia sua incenderunt, qvasi sacramento, ne redirent. Similis temeritatis fuisse legitur *Didacus de Haro*, qvi eâ in pugnâ qvâ infeliciter *Alphonsus* VIII. cum Rege Maurorum propè *Alarcos* congressus est, qvatuor de se arrogantissimè jactavit: *Primum* erat, nullo in periculo se Regem suum deserturum: *Secundum* nullâ necessitate se castra Domini sui hostibus traditurum: *Tertium*, omnes se obsides suos redempturum: *Quartum*, si semel calcaribus eqvum in Saracenos admitteret, nunqvam se respecturum retro. At justâ irâ Dei *eodem die* in omnia *quatuor* impegit. Victo enim Christianorum exercitu, fugientibus aliis, ipse qvoqve *profugit* in castrum Alarcos, *ubi* cùm victualia deesse animadverteret, exiens iterum de castro, impetum in Arabes fecit, ut *evadere* commodè posset. In eo desertus à suis, *retrò respiciens*, ac pudibundus in arcē rediit. Eâ à Mira momelino obsessa duodecim milites obsides dedit, ipsēq; sequenti die tradita hostibus arce infelicissimus evasit, ut è *Rod. Santii part. III. Hist. Hispan. cap. 34.* refert *Piccart. dec. 3. Observ. pag. 167. 168.* Talis *Asdrubal.* Vide *not. ad lib. II. c. 15. §. 16.* Pari ferè audaciâ *Isabellam Claram Eugeniam*, Belgarum Prin-

cipem in *obsidione Ostendanâ* votum feciſſe ajunt: *non se prius interulam mutaturam, quàm capta foret Ostenda!* Capta qvidem est Ostenda, sed non nisi post tertium obsidionis annum. *V. Forstn. not. polit. p. 164. in Tac. Adde notam ad Val. l. III. c. 7. §. 1. & seqq.* Hæc vota plerunq; *resecrantur*; de qvo verbo *Vales. ad Amm. p. 292.*

§. 9. *sed cuniculo & subterraneis dolis*] De his cuniculis vide, qvæ congessit *Freinshem. ad Curt. lib. IX. c. 8. §. 14. Æn. Tact. c. 37.* ibiq; *Casaub.* Cuniculis ferè captum *Thoronium*, scribit *Brunn. l. XIII. p. 593.* adde historiam suffossarum à Narsete Cumarum valdè memorabilem apud Agathiam lib. I. p. 15.

§. 11. *Hoc tunc Vejentes fuere, nunc fuisse quis meminit?*] Omninò legendum è *Nazariano* cùm Grutero: *hoc tunc Veji fuere, nunc fuisse quis meminit?* Maximè illustrat utrumq; *Propert. lib. IV. eleg. 11.*

Et Veji veteres, & vos tum præda fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arva metunt.

Ita *Scalig.* editio habet, qvod non placet. Non enim cùm *A. Cornelius Cossus* Lartem Tolumnium devicit, hoc est, A. U. 325. sed cùm *Vejos* Camillus cepisset, cuniculo & subterraneis dolis, hoc est, A. U. 357. præda Romanorum fuere. Præterea comparat Poeta antiqvam *Vejorum* gloriam cum

eâ conditione, qvæ suâ ætate miserrima vel nulla erat; ut proinde in antecedente disticho, qvod de splendore loqvitur, nullum inveniat locum: *& vos tum præda fuistis. Lipsius lib. II. Antiq. Lect. c.* 20. commendat lectionem codicis Vaticani:

Et Veji Veteres & Volscum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.

Qvod admitti posset, ut hoc modo in seqventi disticho non tàm de *Vejentibus*, qvàm *Volscorum oppidis* dicat, campos suâ ætate esse, qvi olim regna fuerint. Et in priori sensus esset, *ex aureâ sellâ dixisse jus*, Regum ac dominantium ritu. *Regum* enim *sellas aureas* fuisse vel arguit *Pindari* χρυσόθρονος & κοιρανίη; vel *aurea sponda* Didonis. *lib. I. Æneid. v.* 702. Sed non video, qvod videre se putat *Lipsius*, si de unâ Vejorum urbe sit sermo, *nimis indecentem* esse repetitionem: *& vos tùm regna fuistis*. qvam lectionem tum alii complures, tùm hoc loco è manuscripto amplectitur *Freinshemius*. Qvidni enim decentissima potius sit, prolata per admirantem interrogationem: *Veji veteres & vos fuistis regna, qui nunc boum pascua*? Non ab simili illa interrogatio *Cæsaris* ad irruentem *Brutum*, apud *Sveton. in Cæsar. c.* 82. Καὶ σὺ τέκνον; καὶ σὺ τέκνον; *& tu inter istos es, & tu fili*? Ut me absolvam, propter consensum tot editionum & manuscriptorum veterum, & confirmatam sermonis venustatem, dico me istam ultimam amplecti: *Et vos tùm regna fuistis*: ut loqvatur de *solis Vejis*.

§. II. *Qua reliquiæ, quodve vestigium*] Ita cecidit *Persepolis*, de qvâ *Curt. lib. V. cap.* 7. § 9. eleganter: *Hujus vestigium non inveniretur, nisi Araxes amnis ostenderet*: Qvem eundem sensum expressit versu *Janus Vitalis Panormitanus*, de Româ:

Albula Romani restat nunc nominis index.

Ita cecidere Hierosolyma; de qvibus *Josephus lib. VII. de bello Jud. c.* 1. scribit: *Ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui adeam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent.* De aliis *Achajæ* Urbibus *Seneca* ep. 91: *Non vides, quemadmodum in Achajâ clarissimarum Urbium jam fundamenta consumta sint, nec quicquam extet ex quo appareat, illas saltem fuisse.* Adde similem locum de Româ, *Lipsii lib. III. de Magnit. Rom. c.* 2. *sub f.*

§. II. *Laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus*] *Seneca* pater *lib. I. controv.* 1. *Quis crederet, jacentem supra crepidinem Marium aut fuisse consulem, aut futurum*? Et *Seneca* filius *ep.* 91. ubi de incendio Coloniæ Lugdunensis: *Quis hoc credat? ubiq; armis quiescentibus, cùm toto terrarum orbe diffusa securitas sit, Lugdunum quod ostendebatur in Galliâ, quæritur.* Idem *Drepanius Paneg. XII. c.* 33. innuit his verbis: *Tantum res credita est habere novitatis, ut nisi frequenter isset in literas, apud posteros videretur facti fides laboratura.* Plura *Vales. ad Amm. p.* 261. Sed profectò

talium apud Sapientes nunqvam laborat fides. Ipse *Seneca* ibidem multis docet, *maxima & firmissima mutari, minui, tolli, aboleri; omnium instabilem & incertam felicitatem esse.*

AD CAPUT XIII.

§. 1.

Hinc sive invidiâ Deûm] Olet hoc paganicam impietatem, sicut illud *Herodoti in Polymniâ lib. VII. Vides, ut prægrandia animalia DEus ferit, nec sinit insolescere, parva verò nihil ladit? Vides ut magna sæpe ædificia, magnasq; arbores fulminum tela percutiunt? Gaudet enim DEus eminentissima quæq; deprimere: unde & ingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties DEus iis, quibus invidet, metum inculit.* In superioribus habent Græca: Ὁρᾷς, ὡς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ Θεὸς, καὶ ἐᾷ φαντάζεσθαι τὰ ὄμικρὰ καὶ μιν κνίζει. Quæ Reinesius *lib. III. Variarum c. 5. p. 417.* Henricũ Stephanum probat malè reddidisse: *Parva verò nihil ladit.* & Sylburgium: *Parva ne vellicat quidem.* Ipse vertit: *Vides, ut DEus fulminet in sublimia & grandia; humilia verò & minuta non angant eum, non commoveant; ut de iis curet adeò.* Κνίζει enim ait, usurpari de molestâ corporis uredine, qvalis ab urticâ inducitur; & hinc transferri ad animum, scrupulo, solicitudine, offensione & affectu qvovis ingrato offensum turbatumq;. Tamen *Valesius ad Ammian. lib. XIV. p. 38.* conatur ista *Herodoti* contra *Plutarchum* defendere. Eadem impietate *Livius lib. X. cap. 9. Fortunam ipsam vereri, ne cui Deorum nimia jam in se, & constantior* qvàm velint humanæ res, *videatur.* Et ab eodem turbido fluit alveo querela Macedonum apud *Curt. lib. X. c. 5. §. 10.* super obitu Alexandri Magni: *Tàm viridem, & in flore ætatis fortunæq;, invidiâ DEûm ereptum esse rebus humanis.* Dubito, annon hanc ipsam invidiam *Narses* apud *Agathiam lib. I. p. 21. 22.* intelligat: *Nos nunc eo solùm nomine victos nos existimantes, quòd non continuè vicerimus, ut præteritarum rerum gloriam amissuri, animum despondemus: cùm potius gaudere nos hoc casu conveniat. Nam hoc ipso nimia fortunæ prosperitas castigata est, & nimiam, cui obnoxii eramus, invidiam subterfugimus.* Nam ita loqvi paganos ipsos *ad illa Velleji lib. I. c. 10. not 3.* fusè docui: *Deos immortales precatus est, ut, si quis eorum invideret operibus ac fortunæ suæ, in ipsum potius sævirent, quàm in Rempublicam.* At ipse *Agathias lib. cod. p. 6.* sapientiùs: *Summam illam bonitatem omnisq; mali profligatricem (Deum) cadibus bellisq; gaudere, nec ipse dixerim, nec id affirmanti acquiverim. Hominum verò animi in plus habendi cupiditatem & injustitiam prolabentes, bellis omnia & tumultibus miscent; atq; hinc interitus, multaq; gentium interneciones eveniunt, innumeræq; aliæ calamitates oriuntur.* Vide plura apud *Gruter. ad dictum Liv. locum & in notis ad Vellejum*, qvem modò citavimus.

§. 1. *Rapidissimus procurrentis imperii cursus*] Eâdem translatione *Seneca epist.* 101. ubi de Cornelio Senecione: *In ipso procurrentis pecuniæ impetu raptus est*, hoc est, dum & celeriter & insigniter ditescit, ac se collocupletat, dum res familiaris ejus & grande & velox incrementum capit, morte interceptus est; ut observat *Virdungus*.

§. 3. *Ea certè fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitùs, ut scire volentibus immortalibus Diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur*] Egregium membrum, *& moriar, si quid eo gravius, sapientius, & argutius in toto Floro.* Res adversas experimenta virtutum esse judicavit etiam *Plinius lib IX. epist.* 26. ibi: *Nequaquam par gubernatoris est virtus, cùm placido, & cùm turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus, inglorius subit portum: at cùm stridunt funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus & Diis maris proximus.* Magis verò compar illud ejusdem in Paneg: *Crediderim tamen, per hunc Ægypti statum tuas fortunam virtutes experiri, tuamq; vigilantiam explorare voluisse. Nam cùm omnia ubiq; secunda merearis, nonne manifestum est, si quid adversi cadat, tuis laudibus tuisq; virtutibus materiam campumque præsterni.* Simili ritu dicendi *Erycius Puteanus in Hist. Insub. p.* 271. de Berengario, Rege Italiæ: *Sanè admirabile humanæ conditionis exemplum in hoc viro existere fata voluerunt, quem sapius è sublimi præcipitem deturbarunt,*

barunt, ut eveherent; tanquam experirentur, an dignum tanto fastigio animum servârit. Quæ ita nos excitant, ut Principibus ac Regibus nihil magis commendemus quàm infractum animum.

---- - Regium hoc ipsum reor
Adversa capere: quoq; sit dubius magis
Status, & cadentis imperî moles labat;
Hoc stare certo pressius fortem gradu:
Haud est virile terga fortunæ dare.

ut canit *Seneca in Oedipo actu* 1. Adde *notam ad §. 8. hujus cap.* Etiam oratoris virtus cognoscitur in adversâ conditione. *Quintil. de Orat. c.* 37.

§. 4. *Galli Senones* Vide de his populis *Eryc. Putean. comm. in Hist Insubr. p.* 15.

§. *Eod. Ad hoc ipsâ corporum mole, perinde armis ingentibus*] Exscripsit *Sallustium*, cujus hoc fragmentum *Quintil. lib. II. X. c.* 3. citat: *Mithridates corpore ingenti, perindè armat*[9]. Ubi qvondam legimus, *perinde animatus.* Et secundum hanc lectionem locum communem instituimus, moti auctoritate *Lipsii ad Vell. lib. II. c.* 18. Sed revocamus omnia, cùm munitior sit *vulgata*, approbata *Grutero ad* dictum *Velleji* locum, & ex hoc ipso Flori confirmata. Ne imponere tibi videar, *Florum exscripsisse Sallustium*, confer *lib. IV. c.* 1. §. 12. & 13. & *Sallust. Catil. cap.* 61. nec assentiri possumus iis, qvi Sallustiana ab aliis adsuta suspicantur Floro: Convincuntur enim ex hoc altero. Porrò nullum

ἄτροποι, corporum moli respondere arma. *Diodor. Sicul. lib. XVII. c.* 88. de Poro: *Crassitudine autem tantâ, ut thorax ejus duplo excederet loricas aliorum, qui robore excellerent.*

§. 5. *Positis inter Alpes & Padum*] Consulendus etiam de his Alpibus ac Pado suprà commendatus *Puteanus p.* 6. 7. 8.

§. 5. *Clusium*] Urbs Etruriæ, Porsenæ regia, hodiè *Chiusi*, secundum *eundem p.* 5.

§. 6. *Missis ex more Legatis*] Legendi *Lipsius lib. IV. Admirand. c.* 3. *Piccart. dec.* 10. *c.* 10. *H. Grotius notis in l. III. de I B. ac P. cap.* 13. §. 7. Plura *ad illa lib. II. c.* 6. §. 5. conferemus: *Dum prius more legitimo queri malunt.*

§. 6. *Sed quod jus apud barbaros?*] Hieronim, qvoniam *plurimùm gladiis ac potestate valent ferri*, anteire se judicant; ut alicubi *Arnobius* loqvitur. *Brunnerus l. I. p.* 34. hanc ipsam rem è *Livii lib. V. & Plutarchi Camillo* narrat eleganter: *Commotiores Romani quærere, quo jure alienum agrum peterent cum tantis minaciis? & quid omninò Gallis in Etruriam accessio esset? Ridenda visa Gallis de jure disputatio, inter pueros agitanda potius, qui par impar luderent; se enim interstrepentibus armis legum vocem exaudire non potuisse. Et Brennus Rex manu ad capulum admotâ, Eo quid ille satis pertus Legislator videretur, vicissim quærebat; deinde, quo tandem jure præmia fortium virorum ignavi possiderent? Nam fertilis soli opulentiam militare stipendium*

dium esse, quod Natura imperatrix armatæ virtuti numeret: Sic ipsos Romanos ditatos esse, suaq; omnia non scripto juri, sed stricto gladio debere; proinde & se manus extendere, ejusdem juris viriumq; conscientiâ; adversantium legum nodos gladio se soluturos. Ita *Tiridates* apud *Tacit. lib. XV. Ann. c.* 1. inqviens: *Id in summâ fortunâ æquius, quod validius.* Par animus *Bajazeti*, Amurathis filio apud *Dubravium lib. XXV.* Nam cùm Legati à *Sigismundo*, Rege Hungariæ, ad eum veniissent, de injuriâ qverentes, qvòd à nemine Hungarorum lacessitus aliena invaderet, *Bulgaros* infestans, regno Hungariæ subjectos; suspendi in parietibus jussit diversi. generis arma, tela, sagittas, acinaces, clypeos, sariissas, atq; in conspectum Legatis admisis *Dum*, inqvit, *ista, quæ cernitis, nobis super sunt; super est jus quoq; non ad Bulgariam modo sed ad Croatiam, Dalmatiam, & ipsam Hungariam.* Sed profectò non barbaris tantum, sed & Græcis, Romanisq;, ac Christianis etiam ingeniis (nisi tamen suæ professionis nomen mentiuntur) insita lubido invadendi imbecilliores. *Lysander* apud *Plutarch. in Apophthegm. Lacon.* Argivis de finibns agrorum cum *Spartanis* disceptantibus, *gladium* ostendens, *Hunc qui tenet*, inqvit, *optimè de finibus disputabit.* Eodem jure in omnes nationes usum *Alexandrum M.* ostendit verum & animosum responsum piratæ, qvi ab Alexandro interrogatus, *quo scelere compulsus mare haberet infestum? eodem*

inqvit, *quo tu orbem terræ. Sed quia id ego exiguo navigio facio, latro vocor; quia tu magnâ classe, Imperator.* E Romanis citat *H Grotius notis ad prolegomena sua in libb. de I.B. ac P.* dictum *Cn. Pompeji ad Mamertinos*, ex eodem Plutarcho: *Non desinetis nobis hominibus gladio accinctis leges recitare?* Eadem *Tiberii* apud *Tac. 3. Ann. c. 69.* sententia: *Minui jus, ubi gliscat potestas.* E Christianis habemus *Burcardum Comitem*, apud *Æneam Sylvium in Apopht.* qvi qværenti *Leonhardo Benevolenti*, qvo *jure* Picinin[9] agrum Senonensem invasisset: *Militari*, inqvit. Ut nihil dicam de nostro seculo, qvo vix est, qvi non in armis jus ferat; sine injuriâ potentiam levem atq; inopem esse arbitrantur. Deniq; in universum de omnibus nationibus & seculis omnibus *Thucyd. lib. I.* in Orat. Atheniensium: *Semper ita moris fuisse, ut inferior à potentiore subjugaretur.* Volunt qvidem maximè secundum naturam hoc esse, ut Galli nostri; & apud *Stobæum Serm. 43. ex Thucyd. lib. V. sub f.* inde contra Melios argumentantes Athenienses: *Sic inter homines comparatum esse, ut æquis quidem viribus instructi de jure disceptent; valentiores autem quæ fieri possunt injungant, & inferiores ea non detrectent.* Scilicet qvia pisces,

Ἀλλήλους ὀλέκουσι, κερείονα φέρτερος ἀλκῇ
Πέφνων, ἀλλήλοις δ' βορὴ, καὶ δαῖτες ἔασι.

Se mutuo perdunt, imbecilliorem præstantior viribus
Occidens: sibi invicem verò pabulum & epulum sunt.

sicut scribit *Oppianus lib. V. Halievt. v. 55. 56.* ubi *Rittershusius* plura in hunc sensum; nisi qvòd ab eo prætermissum est, idem de piscibus tradere *Hesiod. l. I. ἔργων. v. 275.* Sed profectò multi etiam è gentilib[9] à regiâ & præscriptâ divinitùs honesti & justitiæ viâ nunqvam ita deflexerunt, ut huic argumentationi acqviescerent. *Vis lexq; naturæ non uti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit*; sunt verba *Plinii in paneg. c. 38.* Adde *Senecam* passim. E Christianis istos qvi ὁ χερὶ τὸ δίκαιον ἔχουσι (*jus in manibus gerunt*) seu, qvibus *injustum* (Ovidii sunt) *rigido jus dicitur ense*, latronibus annumerat *Augustinus de Civ. Dei lib. IV. c. 4.* hâc aureâ sententiâ: *Remotâ justitiâ quid sunt regna, nisi magna latrocinia; quia & ipsa latrocinia quid sunt, nisi parva regna?* Sed & pulchertimè *Otho apud Brunnerum lib. XI. p. 309.* in Orat. pacificatoria. *Quid tu antequam classicum caneres, mollium remediorum ad componendam litem vel attulisti, vel admisisti? quæ tribunalia? quos in causâ arbitros postulasti? Tàm iniqvus herclè miles est, qui jus omne in manu, quàm insscitus Medicus, qui artem suam in ferro portat; carnificem dicam, si urit secatq;, nondum deficiente aut certè nihil proficiente oleo: quemadmodum & miles, cùm ferrum ex libidine cœcoq; furore stringit, latro est. Multa tulerit feceritq; necesse est, qui jure videri vult tot hominum millia armâsse, patriâ certè & Deo judicibus; quibus nec una gutta humani sanguinis vilis est.*

§. 7. *Ad*

§. 7. *Ad Alliam flumen*] Eum hodiè *Caminato & Rio di Mosso* vocari, notarunt passim Itali.

§. 7. *Hunc diem fastis Roma damnavit*] Inter *atros* retulit. Quo epitheto indicari inauspicales inominalesq;, qvales sunt *postridiè Calendas, Nonas & Idus*, ex *Agellii lib. V. c.* 17. jam omnibus notum est. Diebus *atris* nemo sacrificabat. *Diod. in Exc. Peir. p.* 720. Contra superstitiosam istam dierum observationem vide *P. Merulam, part. I. Cosm. lib. II. c.* 14. *p.* 56. Stultè igitur *Brunn. lib. XI p.* 48. Cæterum *Seneca* pater *lib. I. Controvers. p.* 47. appellat *furvos*, ibi: *Detestabili parricidio furvum diem.* Græci ἀποφράδας vocant. *Euphormio Ded. Part. IV.* ait: *Fœdus dies, seculoq; pudendus.* Ad hæc *Cic. lib. IX. ep. ad Attic.* 5. scribit: *Majores nostri* funestiorem *diem esse voluerunt* Allienſis pugnæ, *quàm* Urbis captæ, *quod hoc malum ex illo: itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Similis Ciceroniano locus apud *Tac. lib. II. Hist. c.* 33. exstat: *Is primus dies Othonianas partes afflixit.* De hocipso die vide discursum egregium *Lipsii ad Tac. lib. XV. Ann. c.* 41. contra Scaligerum. Hunc verò diem Allienſem *Dion. Halic. lib. I. c.* 75. attribuit *anno quarto* desinenti *Olympiadis XCVII.* Athenis summum magistratum gerente *Pyrgione. Livius lib. V. & Tac. l. II. Hist. cap.* 91. faciunt ad d. XV. Calendas Sextiles, hoc est, postridiè Idus. *Plutarchus in Camillo* περὶ τὴν παυσέληνον; qvæ qvomodo inter sese conveniant, pluribus docet *Josephus Scaliger*

liger lib. V. de Emendat. Tempor. cap. de pugnâ Alliensium.

§. 8. *Tùm igitur, aut nunquam aliàs, apparuit vera illa Romana virtus*] Pub. Syr. Mimus:

Et calamitas virtutis est occasio.

Seneca Consolat. ad Marciam c. 6. ait: *Ne gubernatoris quidem artem tranquillum mare, & sequens ventus ostendit. Adversi aliquid incumbat oportet, quod animum probet.* Idem *Agell. lib. VII. c.* 3. innuit his verbis: *Adversa res se domant, ac docent, quid opus sit facto.* At contrà (ut ibidem adjicit) *secunda res lætitiâ transversum tendere solent à rectè consulendo atq; intelligendo.* Et *Seneca* idem *l. de provid. cap.* 4. sapienter: *Cùm omnia, quæ excessêre modum, noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est. Movet cerebrũ, in vanas mentem imagines vocat, multum inter falsum & verum media caligine fundit.* Qvod utrumqve exemplo Romæ nostræ ostendens *Silius lib. IX.* inqvit:

----- Nam tempore Roma
Nullo major eris: mox sic labere secundis
Vt solâ tladum tuearis nomina famâ.

§. 9. *Ibi, de vovente Pontifice, diis se manibus consecrant*] Devotionis formulam tradit *Joseph. Scaliger in Conjectaneis ad Varronis lib. IV:* JANE, JOVIS PATER, MARSPITER, QVIRINE, LASES, DIVI NOVENSIDES, DII IN-

INDIGETES: DIVI, QVORUM EST POTESTAS POPOLI ROMANI QVIRITIUM, MEIQVE, DIIQVE MANES, SUB VOS FLACCO VENERORQVE: VENIAM PETO, OBSECROQVE, UTI POPOLO ROMANO QVIRITIUM VITAM SALUTEMQVE PROSPERETIS. UTI EGO AXIM PRÆ ME FORMIDINEM METUMQVE OMNEM, CELESTUM INFERUMQVE OMNIUM DIRAS SICUTI VERBIS NUNCUPASSO: ITA PRO REPOPLICA POPOLI ROMANI QVIRITIUM, VITAM SALUTEMQVE MEAM DIIS MANIBUS TELLURIQVE DEVOVEO. Hoc igitur modo pro reliqvis Romanæ Reipubl. se devoverunt *Senatores* isti *decreputi*, qvorum exemplum postea secutos *Curtium* & *Decios*, ex historiâ Romanâ vel tonsoribus constat. Videndus præter alios *Casaubonus ad Svetonii Calig cap.* 14. & *ad illa Spartiani*, in Hadriano: *Aliis eum devotum pro Hadriano asserentibus.* Ut verò pleraqve alia, sic hoc ipsum à Græcis habuêre. Nam qvi pro alio devovebantur, & alieni fati vicarii, suâ sponte mortem obibant, ii ἀνθύψυχοι dicebantur; qvòd animam pro animâ redderent, sicut de *Alcestide* narrat *Euripides*, & de *Admeto Dictys Cretensis*, ibi: *Adfuit & Eumelus Pheraus, cujus pater Admetus quondam vicariâ morte conjugis propria fata protulerat.* Hinc ἀνθύψυχοι dictæ *aves Diomedeæ*, qvæ qvotannis sanguine suo manibus Diomedis parentabant, ut docet *Salmasius ad dictum Spartianum p.* 37. Originem superstitionis impiæ tetigi *Dissertat. II. §. 8. ad Val. lib. I. c. 6. 7. 8.* Qvanqvam autem jure pro tali habenda sit, tamen in eâ magnifaciendus an mus, qvi ex devotione pro salute patriæ æternitatem sibi pollicebatur, adeoqve summum gaudium capiebat ex ipsâ morte. Commendat hunc affectum *Seneca ep 76.* hunc in modum: *Vide, quanta vis honestî sit? pro republ. morieris; etiam si statim facturus hoc es, cùm scieris tibi faciendum esse. Interdum ex re pulcherrimâ magnũ gaudium, etiam tempore brevi & exiguo capitur: & quamvis fructus operis peracti nullus ad defunctum exemptumq; rebus humanis pertineat, ipsa tamen contemplatio futuri operis juvat: & vir fortis & justus cùm mortis suæ pretia ante se posuit, libertatem patriæ, salutem omnium, pro quibus dependit animam, in summâ voluptate est, & peri ulo suo fruitur. Sed ille quoq; cui etiam hoc gaudium eri itur, quod tractatio operis maximum & ultimum præstat, nihil cunctatus desiliet in mortem, facere rectè pieq; contentus.*

§. 10. *Sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt: ut cùm venisset hostis, in suâ dignitate morerentur*] Fuisse hoc studium veteribus, ut extremo discrimini jam propinqvi qvàm augustissimè vestiti morerentur, & qvàm decentissimè, docui *ad Val. Maxim. lib. II. cap.* 1. & *lib. IV. cap.* 5. Consulendi etiam *Berneggerus in Justinum lib. XIV, cap.* 6. §. 9.

Freins-

Freinshem. in Curt. lib. V. c. 9. §. 1. *Svetonius in Augusto c. 99.* Supremo die petito speculo, *capillum sibi comi*, ac *malas labentes corrigi* præcepit; qvod ab hoc more esse docet ibidem Casaub. Atqve indè cùm *Xerxen* explorator suus, missus ad Græcos, docuisset, se offendisse *Lacedæmonios* τὰς κόμας κτενιζομένους, sese pectentes, *collegit desperasse Lacedæmonios de salute*, & jam ὑπερφιάσμῳ curam habere; ut est apud *Herodotum in Polymniâ*. Arguit hunc ritum memorabilis etiam historia, qvam è *Plut. de virt. mul.* refert *Brunnerus lib. III. Ann. pag.* 334. 335: Conspirarant in necem Mithridatis *Galatæ*, & inter conjuratos adolescens erat, cui *Bepolitano* nomen fuit; insigni formâ eâq; morum venustate, ut Regem ipsum pœniteret, qvòd duo tanta animi & corporis decora gladio subjecisset extinguenda. Igitur cùm jam ad supplicium abreptus fuisset, de satellitum ministrorum turbâ misit, qvi *parci juberet formoso* illi, si etiamnum superstitem invenissent. Favit Regis pœnitentiæ fortuna. *Lictor* qvi in illum animadversurus erat, *cupiditate vestium captus*, qvas adolescens pro cæterâ elegantiâ suâ & natalium splendore cultissimas ferebat, dùm eas sibi puras servare à sanguine laborat, eoq; studiosissimè diffibulat, & ab humero rejicit, intervenere in tempore felices nuntii, Bepolitanum inclamantes, cum mandatis, ut ab illo manum ferrumq; abstineret: *Ita illi carnificis avaritia, quod malum aliis exitio esse solet, saluti fuit.* Patrum memoriâ anno 1587. cùm *Mariæ Scotorum Reginæ*, fatalis dies illuceseret, inq; caput ejus Anglica securis acueretur; *comtius & ornatius, uti festis diebus* solebat, sese apparavit; ut est apud *Camdenū p. 3. hist. Elisabethæ Angliæ Reginæ.*

§. 11. *Partim in doliis defossa terræ recondunt*] Loqvitur de mysteriis, qvæ non nisi initiati aut spectare aut audire poterant, Consulendi *Muretus* ad illum versum *Catulli*:

Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.

Et *Casaubonus sect. XIII. Exercitat. 16. adversus Baronium*; qvorum indicinam debemus *Virdungo*. Talia *opertanea sacra* posterioribus temporibus fuerunt *Bonæ Deæ*, qvæ *religiosissima Populi Rom.* vocat *Paterculus lib. II. cap. 45.* eodem modo usus vocabulo, qvo Florus noster. Videtur autem Diabolus hîc qvædam æmulatus, qvæ in sacrâ Judæorum Republ. fuerant. Nam *unguentum* illud *sacrum* qvod *Moses* conficere jussus est, *Iosias* in templo recondidit *sub humum in loco abdito secretoq;*; qvem diu antea summâ curâ Rex *Salomon paraverat*, cùm ex vatum responsis didicisset, olim futurum, ut templum ab Assyriis solo æqvaretur. In eodem specu *arcam* i&t *fœderis* testem, & *Aaronis baculum*, tùm *lapides Urim & Thummim* cum *residuo Manna* posuit; ut è Thalmudicis Scriptoribus docet *Cunæus lib. I. de Republ. Hebr. c. 14.* Idem postea in Christianâ Republ. obtinere voluerunt Sancti Patres circa mysterium, de qvo neq; in familiaribus colloqviis neq; in catechesibus, neq; in concionibus temerè verba faciebant coràm paganis

nis, catechumenis, & aliis qvibusvis nondum initiatis. *Palladius in vitâ Chrysostomi* pro magno crimine narrat, qvod tumultu excitato contrà virum sanctum ab ejus inimicis irruptio facta sit in Ecclesiam; & qvidam non initiati oculis usurparint, qvæ erat illis nefas videre. Vide *Casaub. in l. c.*

§. 12. *Nudo pede fugientia sacra comitantur*] Κακοζηλίαν diabolicam & hîc animadvertes. Jusserat Deus, *Mosen*, cùm illi appareret in rubo, *excalceare se*, locum n. terram sanctam esse, in qvo staret, sicut legimus *Exod.* 3. Agnovit certè pro κακοζηλίᾳ *Justinus Martyr*, qvem laudat *Casaubonus ad Sveton. Aug. c.* 100. ubi pluribus docet, solitos gentiles in plerisqj religionis superstitionisqj ritibus obeundis *calceos ponere*. Adde *Vales. ad Ammian. pag.* 387. In Pontificatu ritus iidem. *Brunn. lib. XII. p.* 275. Ad hunc ritum *Gevartius lib. II. Elect.* 12. trahit illos *Statii* versus de *Atalanta* Parthenopæi matre, contra mentem Lactantii Placidi:

Tristibus interea somni turbata figuris
Torva sagittiferi mater Tegeatis ephœbi
Crine dato passim, plantisqj ex more solutis
Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas,
Purgatura malum fluvio vivente soporem.

Nam, inqvit, duplicem ritum tangit: *nudi pedalia sacra*, & *solutionem crinium*. Veteres enim vota facturi, aut magicis rebus intenti, observabant, ut & *nudis pedibus* essent & *passis crinibus*. Qvod mos

firmat multis auctoritatibus. Addo illud *Solini* de Britomarti: *Cretes Dianam religiosissimè venerantur, βριτόμαρτιν gentiliter nominantes; quod sermone nostro sonat virginem dulcem. Ædem virginis præterquam nudus vestigia nullus licitè ingreditur.* Qvod *Scalig. ad Cirin. pag.* 70. ideò putat factum, qvia *Diana nudis pedibus* erat, *cùm fugeret Minoëm*. Imò verò qvia id honoris plerumqj tribuebant iis, qvos volebant religiosissimè cultos. Et huc pertinet illud ipsum *Varronis Pseudapolline*, qvem ibidem *Scaliger* citat: *Quod in ejus Dei templa calceati introëunt.* Nam in oppido, in qvo est *ædes Apollinis, qui ibi ad Herculis introëunt, nemo se excalceatur.*

§. 12. *In ultimis religio publica privatis affectibus antecellebat*] Qvibus rerum divinarum cura commissa est, honorem & veneration-
nem maximam deberi non exempla paganorum
sed Imperii Christiani vindices, *Constantinus*,
Theodosius, *Carolus*, omnes *Magni* cognominati,
Robertus Galliæ, *Henricus II.* Angliæ Reges satis
docere possunt; de qvibus vide *Lipsi. l. I. Monit.*
& Exempl. Polit. c. 2. Cumprimis qvod de *Rudolpho I. Habsburgico* narrat, huic nostro minimè dissimile est; ac refertur idem à *Brunnero lib. XV. Ann. Bojorum p.* 861. Sed videndum, *ne nimis sagi-*
nando transfiguremus *in monstra Pontificum*. Difficillimum est, in officio permanere viri boni nimiâ potestate auctum; siqvidem, ut *Catulus apud Dionem lib. XXXVI.* ait: *magni honores immodicæq;*

poteſtates etiam optimorum animos ad faſtum attollunt, atq; corrumpunt. Sanè antiqva liberalitas id tandem effecit, ut poſterioribus temporibus Imperatori, Regibus atq; Principibus nihil reſtiterit aliud, niſi *Romano Pontifici SERVIRE*, & ad juſſa ejus humiliter capeſſenda maturè ſe componere. Freqvens in Baronio: *Sacerdotem quemlibet majorem eſſe Rege: Sacerdotes & Epiſcopos habere jus antiquandi Leges Imperatorum contrariis Legibus: Papam ſolum poſſe dare Imperium. Imperatorem debere Romano Pontifici inſervire, ut ejus auctoritas ſarta tecta ſervetur.* Qvin eò usq; ventum, ut *commendet Euphemium*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, qvòd aliqvando Imperatorem *Anaſtaſium* de fide ſuſpectum compellârit: *Si ſecus feceris, reſectâtuâ comâ in triumpho te ducam cum populo.*

§. 13. *Iuventus, quam ſatis conſtat vix mille hominum fuiſſe, arcem inſedit*] Cautionem adhibere debet, qvi obſidionem metuit, ne inutili turbâ ſeipſum expugnet. Sic *Baſſa Buruſaus* apud *Leunclavium lib. XII.* cives convocat, eosq; qvi annonas habebant, nec ab aliis rebus neceſſariis deſtituebantur, in arcem admittit: reliqvos verò ut exeant, & capitis ſalutisq; ſuæ gerant curam, hortatur. Sed maximum huic conſilio annexum eſt incommodum: Qvid ſi enim hoſtis tormenta urbi & arci obſeſſæ admovens corpora emiſſorum concivium, liberorum & conjugum obſeſſis loco pluteorum objiciat, aut torqvere eos incipiat? Docent hiſtoriæ, qvàm multi ſpectaculi atrocitate victi, pravorum conſiliorum ſvaſores & auctores exſtiterint. Vide *Caſaubon. ad Æneam Tact. cap.* 10. qvi & ibidem: Solent, qvi ad tolerandam obſidionem ſeſe comparant, omnem inermem atq; inutilem turbam, ut ſenes decrepitos, liberos tenerioris ætatis, uxores, ægrotos, & ſimiles perſonas, in amicam urbem transferre, tantisper ibi cuſtodiendos; qvod ὑπεκτίθεσθαι *Æneas* dicit. *Euripides in Hecubâ* ὑπεκπέμπειν, & λάθρα ἐκπέμπειν. *Virgilius* hunc in modum: *Furtim mandarat alendum.* Propriè ὑπεκτίθεσθαι, eſt, clàm periculo eximere, ut in *Electrâ Sophoclis, &c.*

§. 13. *Arcem Capitolini montis*] Qvam hîc pro ipſo Capitolio videtur accipere. Alioqvin *diverſa* fuit *arx Capitolina* à Capitolio, ſive *templo Capitolino*; ut è *Lipſio ad librum Senecæ de Conſtantiâ Sapientis c. 6.* docuit olim *Virdungus.*

§. 13. *Obteſtata ipſum quaſi præſentem Iovem*] Qvippe opinio erat Romanorum, *illum locum à Iove tam manifeſto ac præſente, quàm cœlum & ſidera inſideri*; ut loqvitur *Plinius in Paneg. cap.* 1.

§. 13. *Ita ille virtutem eorum numine ſuo tueretur*] Nota hîc ſapientiam gentilium, qvi cenſebant *manum movendam cum Minervâ*, hoc eſt, gratiæ Divinæ accedere debere ingenium, atqve

qve industriam. *Hierocles* ad Pythagoram: *Non ita solùm honestis accedendum est, tanquam ea ipsi per nos nullâ Dei ope possimus obtinere: neq; rursum ita nudâ precum ratione contenti esse, ut nihil ad ea paranda, quæ petuntur, adjiciamus.* Convenienter *Euripides* in Hippolyto:

Τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ θεὸς συλλαμβάνει

Nam qvi laborat, hunc simul Deus juvat.

Et in Electrâ:

Ἀργὸς γὰρ ὢν θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα,
Βίον δύναιτ' ἂν ξυλλέγειν ἀπὸ πόνου.

Ignavus haud qvisqvam Deos in ore habens
Vitam fovere sine laboribus qveat.

Eadem mens *L. Metelli*, Pontificis Maximi, apud *Ovid lib. VI. Fastorum v.* 441. ubi agit de incendio templi Vestæ & lachrymis Vestalium:

Attonitæ flebant demisso crine ministræ,
Abstulerat vires corporis ipse timor.
Provolat in medium, & magnâ, succurrite, voci,
Non est officium flere, Metellus ait.
Pignora virgineis fatalia tollite palmis,
Non ea sunt voto, sed rapienda manu.

Et apud *Sveton. in Aug. c.* 16. objicit Antonius Octavio ignaviam simul & δεισιδαιμονίαν, qvòd, qvandoin acie stare debebat, lateret, supinusq; cælum intueretur, vota solùm Diis fundens. Adde *Rittershus. lib. III. Sacr. Lect. cap.* 11. *Berneggerum ad Sveton. Aug. c.* 28. *notam nostram ad Iustin. lib. XXIV. c.* 5. §. 12.

§. 14. *Apertamq; urbem trepidi ne quis subesset dolus*] Simile apud *Curtium lib. IX. cap.* 1. §. 27. legimus: *Clausæ erant* (scilicet urbis Sophitis) *portæ, sed nulli in muris turribusq; se armati ostendebant; dubitabantq; Macedones, deseruissent ne urbem incolæ, an fraude se occulerent.* Et apud *Robertum Monachum lib. IX. Histor. Hierosolym.* exstant seqventia: *Christiani obsessuri Caphaliam, cùm animadverterent, neminem exire, vel in turribus aut propugnaculis apparere, sed ubiq; altum silentium esse: misère, qui omnia diligenter explorarent. Hi cùm propius accessissent, reperiunt apertas portas, domos ab incolis desertas. Tunc scuta vultibus proponentes, cum aliquâ adhuc trepidatione portas subeunt.* Qvâ ipsâ prudentiâ *Alexander M.* apud *Curt. lib. VIII. cap.* 11. §. 22. Aornum petram fugâ *Indorum* desertam aggressus non est, donec *Balacrum*, qvi specularetur, præmisisset. Prudentiam voco: Nam innumerabilibus declaratur exemplis, sæpè cæsos ad internecionem hostes, qvi pervaserant civitatem, ut scribit *Vegetius lib. IV. de Re Militari c.* 25. Adeundus *Æneas Tacticus cap.* 2. Confirmat, qvod *Appianus lib. IV. de Bello Civili* memorat de duobus Romanorum millibus, qvæ *Xanthii* patente portâ in urbem admisêre, ac post dejectâ cataractâ miserrimum in modum conciderunt. *Casaubonus ad Æn. Tact. c.* 39: Cataractas Græci ἀκαταρρήκτια appellant, & χαλκῆ ἐλάς; ut

apud *Appian. lib.* ἐμφυλίων *quarto*, de dicta *Xanthiorum* urbe loqventem; ubi habes memorabile exemplum hujus utilitatis, qvam affert cataracta. Cui simile *Thuanus lib. LXXVII. Histor.* memoriæ prodidit de *Antverpiensibus*, qvorum urbem cùm Dux *Andinus* ad d. 16. Cal. Febr. Anno 1583. irrupisset, objectis catenis, & repagulis platearum, ita exceptus est, ut mille & ducentos è suis, vel (ut alii volunt) mille qvingentos desiderârit, captis insuper mille qvadringentis.

§. 14. *Prætextatos Senes*] *Prætextati* apud Romanos dicuntur, & qvi puerilis sunt ætatis, & qvi gessêre Magistratum. De *prætextis puerorum* vide *Pancirollum lib. I. Thes. Var. Lect. c. 15.* De *prætextâ Magistratuum ita Virdungus* olim: *Toga prætexta fuit toga alba illa quidem, sed cui purpura (ut inquit Macrobius) prætexta*, id est, *qua in ora habebat purpuram. Unde eam Græci Scriptores* περὶ πόρφυρον *vocant*, hoc est, *circum quaq; purpuram habentem.*

§. 15. *Manlius nocte subeuntes clangore anseris excitatus à summâ rupe dejecit*] Mira fortuna, inqvit *Vegetius l. IV. c. 26.* Viros, qvi universum orbem erant missuri sub jugum, *avis una servavit.* Item *Lucretius*:

Romulidarum arcis servator candidus anser.

Vide *notam ad Prol.* §. 2. Porrò non absimile est, qvod *Lipsius* refert *Cent. I. ad Belgas ep. 44.* de *cane*, qvem vir princeps habebat, Dux belli contra Hispanos: *Ejus castra noctu adorti animosè ad 4000. circiter Hispani, certi & destinati rectà ad Principis illius tentorium ire, & vivo eo, an mortuo? potiri. Et absq; cane erat, fecissent. Nam veniunt, fallunt vigiles, aut opprimunt; nec longiusculè jam ab ipso tentorio, cùm ille sagax in vultum dormientis insilit, scalpit pedibus & excitat: qui audito demum strepitu ægrè se è manibus propinquantium eripuit.* Adde *Camer. Cent. II. Horar. subs. cap. 93. 94.* Huc referenda omnia exempla, mîris modis ab insidiis liberatarum urbium. Cujusmodi valdè memorabile refert *Piccart. Dec. 2 c. 2.* de Ilerdâ, *temulentiâ tibicinis* cujusdam servatâ.

§. 16. *Quanquam in summâ fame, tamen ad speciem fiduciæ panes ab arce jaculatus est*] Præcipuum existimatur in Duce, si celare possit inopiam suam. Id fecisse *Thrasybulum*, Milesiorum Ducem, scribit *Herodotus lib. I.* nam *Halyatten* obsessorem sic eluisse, cùm frumentum, qvod *Mileti* habebat, omne in forum comportaret, & cives omnes juberet epulari. Qvod videns caduceator, ab *Halyatte* missus, persuasit illi, superesse copias diuturnæ obsidioni suffecturas. Qvod ipsum cùm aliis refert *Frontinus lib. III. c. 15.* Plura nuper attulimus *ad Val. M. lib. VII. cap. 4. §. 4.*

§. 17. *Mille pondo auri recessum suum venditantes*] Idem fatum Urbis fuit post annos septingentos nonaginta octo. *Flavio Honorio Augusto. VIII.* & *Flav. Theodosio juniore III.* Coss. A. C. 409. *Zosimus* enim *lib. V. Hist.* refert, *Alaricum*, diu-

 tiùs

tiùs obsedisse *Romam*, & Qvirites nuper rerum Dominos fame ac peste afflictatos, tandem his conditionibus transegisse; ut solverent *quinq; millia librarum auri, triginta argenti, quatuor sericarum, tria vellerum coccineorum, tria itidem piperis.* Hanc summam ut persolverent, manus injecêre *templis*, qvòd fiscus exhaustus esset; & *aurea argenteaq; simulacra* in massam conflârunt. Ad hanc ignominiam *D. Hieronymus* sic exclamavit: *Quis credat Romam in gremio suo non pro gloriâ sed pro salute pugnare: Imò verò ne pugnare quidem; sed auro & cunctâ suppellectile vitam redimere?* Sed ita profligare hostes suos didicerat à plerisq; Imperatoribus, qvos, dum Trajanum suum laudat, unâ operâ *Plinius in Paneg. c.* 12. perstringit: *Accipimus obsides ergò, non emimus, nec ingentibus damnis, immensisq; muneribus paciscimur, ut vicerimus.* Trajani successor, *Hadrianus* à multis Regibus pacem redemit, ut in ejus vitâ scribit *Spartianus.* Confer *Casaub. ad Spart. pag.* 14. *Vales. ad Amm. pag.* 284. *Virdung. comm. nondum edito in Tac. lib. I. Hist.* Ut à Germanicis nationibus *Caracallus* pacem redemerit, docet *Dio in Exc. Peir. pag.* 751. Similiter à *Gothis* posteriorum qvàm plurimi; & cùm pecuniam negâsset *Philippus*, hostes expertus est. *Iornandes cap.* 16. *Philippo regnante, Gothi, ut assolet, distracta sibi stipendia ferentes aegrè, de amicis facti sunt inimici. Nam quamvis remoti sub Regibus viverent, Reipubl. tamen Romanæ fœderati erant, & annua munera percipiebant.* Ita *Gallus*

Scythas pepulit Romano solo, captâ *Philippopoli*; ut auctor *Zosimus lib.* I. Huc pertinet, qvod de *Attilâ* refert Suidas: *Mediolano capto, cùm Attila vidisset de pictos Romanos Imperatores in aureis thronis sedentes, Scythas autem interfectos, & ad pedes ipsorum prostratos: pictorem quærens, jussit loco interfectorum pingi Romanos Imperatores, sacculos ferentes, & aurum fundentes ad pedes ipsius.* De Imp. *Theodosio* videndus est *Ioh. Antioch. in Exc. Peir. p.* 851. Idem de *Anastasio* ibid. *p.* 852. Ita *Persæ* & *Gothi* temporibus Justiniani pecuniam annuam accipiebant, sicut è *Procopii lib. II. Persic. & lib. IV. Gothicorum* observat *Grotius notis ad lib. I. de I. B. ac P. c.* 3. §. 22. Sed eam turpitudinem expressius describit in *Arcanâ Historiâ*, & *Nic. Alem. in illam p.* 53. 54. Adde *Procop. ipsum pag.* 36. *& Baron. in A. C.* 539. *n.* 10. *& in A. C.* 540. Qvidam tamen animosiores, & nondum omnis Martiæ virtutis obliti, ferro qvàm auro barbaras nationes compescere maluerunt. *Ammianus Marcellinus lib. XXV. p.* 319. de *Saracenorum* incursibus in *Iuliani* copias: *Hos Saracenos ideò patiebamur infestos, quod salaria munera q; plurima à Iuliano ad similitudinem præteriti temporis accipere vetiti, quæstiq; apud eum, solùm audierant: Imperatorem bellicosum & vigilantem ferrum habere, non aurum.* Vide ad eum locum plura notata *Frid. Lindenbrogio.* Confer ipsius *Iuliani orationem* ad milites, *lib. XIV. p.* 269. Qvâ eadem magnanimitate *Fridericus Barbarossa* Legato Magno *Melach*, Satrapæ

Sel-

Soldani, promittentis Imperatori ſecurum tranſitum per infeſtiſsimas terras, ſi *trecentos centenarios auri*, & *terram Armeniorum* Turcis poſsidendam daret, reſpondit: *Non eſt imperii noſtri & Chriſtianorum & militiæ S. Crucis, viam auro & argento emere. Auxilio Salvatoris, cui militamus, iter ferro eſt aperiendum!* ut ſcribit *Tageno, Decanus Bathavenſis apud Reuſnerum lib. V. Epiſtol. Turcic. p.* 299. & 300. Simile dictum *Henrici* vide ſis apud *Brunn. lib. VII. Ann. p.* 424. Etipſius *Barbaroſſæ* apud eundem, *lib. XII. pag.* 384. confer *lib. XIII. p.* 558. 565. ſpectat etiam hucreſponſum *Alphonſi Gutzmanni*, datum *Johanni Sanctii IV.* fratri; & *Hiſpanorum*, datum *Bruto* apud *Piccartum Dec.* 1. *c.* 1. qvorum poſtremum refert *Val. M. lib. VI. c.* 4. *ex.* 1. ext.

§. 17. *Mille pondo*] Qvæ ſumma ſecundum *Budæum lib. V. de Aſſe* efficit aureorum ſolatorum centum millia. Secundum *Gruterum* in margine *Livii ſui ad l. V. c.* 48. centum & duodecim millia coronatorum; aut paulò ampliùs. Notum autem non tam Hebræos, Chaldæos, & Syros (de qvibus videndus *Caſp. Vaſerus lib. II. de Antiquis Numis Hebræorum c.* 3) ſed & Romanos *aurum argentumque librâſſe*; hoc eſt, ex *pondere* ſummam ejus collegiſſe, ut nos ex numero, & nota. *Cic. II. Philipp.* ait: *Tanti numorum acervi conſtruuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniæ*; loqvens de ſuo ſeculo. Reperi olim apud *Lucam Pa-*

Petum Ctum lib. V. de Ponderibus Romanis pondus hoc modo in ſcriptum: D. JUNIUS. L. F. SILANUS. Q. URB. L. LUCRETIUS. L. F. TRICIPITINUS. Q. URB. S. C. Qvod cùm miſiſſem Viro Clariſsimo, *Thomæ Reineſio*, ut inſereretur *auctuario Inſcriptionum*, qvod brevi vulgabitur; reſcripſit, pertinuiſſe videri, *ad ſuppellectilem ærarii* Populi Romani, cui Qvæſtores poſt Ædiles præerant, pecuniarum adpendendarum causâ factum. Sed & poſt *Gruterum*, in *Collegio Ieſuitarum Romano* duo pondera ærea à paſtinatoribus effoſſa ſunt; qvibus prominentibus literis argenteis inſcriptum: TEMPL. OPIS. AUG. II. TEMPL. OPIS. AUG. V. Penſat enim alterum libras duas, qvinq; alterum: ſed minus noſtra ſacomata, ſive libramenta ferè unciâ excedit; majus unciis duabus: qvæ huc pertinent, & in *ede* qvidem *Opis* fuerunt, qvòd *ibi pecuniæ deponerentur*; ut obſervavit *Alexander Donatus lib. II. de Urbe Rom. c.* 10. Reperimus etiam in multorum Cæſarum numis, qvorum epigraphe: MONETA. AUG. *tres virgines cum lancibus, ſubjectis auri cumulis*; qvibus nempè lancibus aurum pendebatur. Qvales & ipſum ſe vidiſſe *Donatus ibidem* teſtatur.

§. 17. *Superbè victis increparent*] *Vinetus* cogitabat, *ſuperbè, væ victis, increparent.* Id tum à *Brenno*, Gallorum Rege, uſurpatum in proverbium veniſſe, diſertim ſcribit *Feſtus.* Utitur eo *Plautus in Pſeudolo act. 5. ſc. ult.* Sed aſſentior

Freins-

Freinshemio, qvi mavult ea sub intelligere, qvàm contra tot manuscriptorum consensum aliqvid tentare. Interpretationis loco vide *Liv. l. d. & Brunnerum lib. I. Annal. Bojor. p.* 40. Adjicit apud *Plutarchum in Parallelis Aristides Milesius*, Romanos ancillis stolâ indutis, à Gallis salutem redemisse. Verba sunt: *Atepomarus, Gallorum Rex, bello Romanos infestans professus est, non ante se recessurum, quàm Romani suas uxores Gallis cognoscendas misissent. Romani consilio ancillarum obsequuti, has pro liberis miserunt; & barbari nimio rei Veneræ abusu fatigati, in somnum soluti sunt. Retana* (*ea princeps consilii fuerat*) *capritico consensâ, in murum evadit, remq; Consulibus indicat. Ita Romani, factâ eruptione, vicerunt: Atq; hinc* festus ancillarum dies *sumsit initium.* Nonis Juliis factum, qvamvis historiam aliter narrans, scribit *Macrob. lib. I. Saturn. c.* 11. sicut observat *Puteanus Coment. in lib. I. Histor. Insubr. p.* 16.

§. 17. *Subitò aggressus à tergo Camillus*] Nota vitium Historiæ *Romanæ*. Neq; enim vel *Flori*, vel *Livii*, vel *Memnonis* (nam & is accedit apud *Photium cod. XXVII.*) vel aliorum similium narrationibus hîc credimus. Volunt, eo temporis articulo, qvo Romani Gallis aurum pendebant superveniſſe *Camillum*, & cæsis Gallis extorsisse aurum. Atqvi repugnat *Svetonius in Tiberio cap.* 3. qvi scribit, *Drusum Propratorem* primum illud aurum ex provinciâ *Galliâ* retulisse; qvem ipsum occiso *Drauso*, hostium Duce, sibi posterisqve sui

Drusi cognomen peperisse ait. Incidit hoc factum secundum *Pighii* conjecturam in A. U. 471. Secundò, suspectæ fiunt narrationes *Livii*, *Flori*, & *Memnonis* ex eo, qvòd *Justinus lib. XLIII. c. 5. §. 9.* scribit: *Massilienses* aurum & argentum publicum privatumq; contulisse ad explendum pondus Gallis, à qvibus Romanos suos pacem redemisse cognoverant. Hîc non videmus, qvî pecuniam contulerint jam certi de victoriâ Camilli? Necesse est igitur, altero Justini subsistente, alterum Romanorum Scriptorum falsum esse. Nos *Polybium*, majoris fidei & judicii Scriptorem, sequimur; qvi *lib. II. c.* 18. Gallos domum revocatos scribit, interveniente casu, qvòd *Veneti* fines ipsorum cum infesto exercitu essent ingressi, pace cum Romanis factâ urbeq; ipsis redditâ ad suas sedes rediisse. De *Camilli victoriâ* nehilum qvidem; qvòd nosset, *ab adulatoribus potentiæ Romanæ confictam* esse.

§. 17. *Vt omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret*] Tumor *poëticus*, ad qvem jure bonus Historicus erubescceret. Confirmat id, qvod *ad Prologum* suprà dixi, de *poëtico Flori stylo.*

§. 18. *Agere gratias Diis immortalibus ipso tantæ cladis nomine libet*] Facetè *Brunnerus lib. I. Annal. Bojorum p.* 51. hac de re: *Illustriorem à ruinâ surrexisse Romam Florus gloriatur; & tum demum dignam visa esse qua Deorum atq; hominum*

demis-

domicilium esset, ut illi etiam incendium gratularetur; qui si ex animi sententiâ loquitur, magnam rem Galli incogitantes imprudentesq; præstiterunt. Consentit Cicero: *Certum, Romana semper pulchriora post incendia. Verr. VI. c. 31.* Ridere etiam posis è *Senecâ lib. I. de Irâ cap. 13.* ubi de morbis: *Febres quædam genera valetudinis levant: nec ideò non ex toto illis caruisse melius est.* Abominandum remedii genus, sanitatem debere morbo. Vide *notam nostram Valerianam lib. IV. c. 4.*

§. 18. *Sed expiata potius & lustrata videatur*] Ineptire pergit. Idem si Romani Imperii hostis diceret, inter crudeles jocos numeraretur. Alludit autem ad expiationes veterum, de qvibus ita *Virdungus* olim ad hunc locum: *Totas plerumq; insulas (ut de Delo apud Herodotum & Thucydidem legimus) urbes, conciones, theatra, exercitus lustrabant: ad quam ritè peragendam admodum apta habebantur ova.* Ovidius in μαπιοτεχνίᾳ,

Et veniat, quæ lustret anus lectumq; locumq;:
Præferat & tremulâ sulphur & ova manu.

Juvenal. satyr. *VI:*

----- *Nisi se* centum *lustraverit* ovis.

Sed nihil tàm necessarium qvàm sulphur. *Plinius lib. XXXV.* idipsum innuit his verbis: *Habet & in religionibus locum sulphur, ad expiandas suffitu domos.* Plura de hâc superstitione *Brodæus lib. II. Miscell. & Casaubonus*, ad istud Persii:

--- *Frontemq; atq; uda labella*
Infami digito, & lustralibus antè salivis
Expiat.

Hæc *Virdungus.* Addo de istâ *saûvâ*, cujus *Persius* meminit, *Lindenbrogium in Cirin. p. 285.* Alia ad lustrationes veterum pertinentia observarunt *Turnebus l. IV. c. 15. & l. IX. Adversar. c. 10.* Idem *Casaubonus ad Theophrasti Characterem* περὶ δεισιδαιμονίας *p. 303. & l. I. Animadversionum in Athenæum c. 2. p. 4. & ad hunc locum Capitolini* in Marco: *Romam omni genere lustravit*; ubi docet è *Tertulliani libro de Baptismo, & Polyb. lib. IV. Histor.* usitatum lustrationis genus fuisse, ut vel *aspergine* circumlatæ *aqua* urbes expiarent; vel ipsas *victimas circum pomœria* aut muros urbis *ducerent.* Cui jungendus *Scaliger ad Cirin. pag. 76.* Athenienses ut urbem suam lustraverint, tradit *Helladius Besantinous apud Photium p. 545.* & adjicienda, qvæ notatu dignissima observavit *Reinesius lib. I. Var. Lect. c. 15. & eod. lib. cap. 20.* Cumprimis autem hîc alludit istud lustrationis genus, de qvo idem *Scaliger ad Ætnam. p. 125.* Adde *castigationes ejusdem in Festum*, voce, *Amtermini.*

§. 19. *Acrius etiam, vehementiusq; in finitimos resurrexit*] Vide notas ad *hujus libri cap. X. §. 2.*

§. 19. *Sic persecutus est duce Camillo ut hodiè nulla Senonum vestigia supersint*] En, qvàm mendacium mendaciis stipatum ingredi-

tur! Tàm facilè est Floro nostro, totam gentem exscindere, qvàm vulpes pyrum comest. At, qvod ad hunc locum *Virdungus* olim docuit, *Senonum* multis post captam Romam seculis plerique Scriptorum *mentionem faciunt*, *Polybius*, *Strabo*, *Cæsar*, *Plinius*, *Ptolemæus*, *Notitia provinciarum Galliæ*. Sed & hoc ex *Cæsare* constat, *Senones* iis temporibus nationem potentem, *magnaq; inter Gallos auctoritatis* fuisse. Qvin etiamnum hodiè *Archiepiscopatus Senonensis in Galliâ* adversus Florum restimonium dicit, qvi *septem Episcopatus* sub se habet. Hæc *Virdungus*. Cui velim addas *Casaub. ad Strabonis lib. V. p.* 101. *lit. D.* Ab his Senonibus *Freinshemius* rectè distingvit *Semnones* Germanos, de qvibus adite potes *Strabonem lib. VII. ibidemq; eundem Casaub. p.* 132. *l. D.*

§. 20. *Cùm singulari certamine*] Geminum exemplum provocatorum infelicium. Qvorum etiam complures succubuisse *Geloni*, scribit *Iustinus lib. XXIII. c.* 4. §. 12. Adde duellum *Iubellii Campani* & *Claudii Asselli* apud *Livium lib. XXIII. c.* 47. Item *Badii Campani*, & *Titi Quinctii* apud eundem *lib. XXV. c.* 18. Adi *Nicet. Choniat. in Ioh. Comneno pag.* 26. Qvibus simillimum refert *Brunerus lib. XII. p.* 406. *Thraso quidam Insuber equo in castra advectus, unde videri audiriq; poterat, equitandi imperitiam Germanis objectabat; id si convicium cuiquam videretur, ferro secum decerneret; vindicaretq; gloriam suæ gentis. Simul hastam coruscans, & docilem toto campo circumagens equum, ostentatis omnibus equisonum artificiis pro plausu risum collegit: suâ nihilominus sententiâ victor, quòd de palmâ sibi omnes concederent, multò ferociùs in nostros probra congerebat: quibus excitatus Albertus Tirolius Comes, ut erat inermis & nudo vertice, velitari duntaxat hastâ & clypeo arrepto, in equum insilit, & vanissimo gesticulatori infestus se offert, ostensurus ludificatio adversus veram virtutem quid posset. Nihil arma Longobardum, nihil quibus tàm impotenter triumphabat, volubiles in omnem partem flexus juvêre, quò minus eum Albertus excussum equo arietaret in terram: spolia tamen vitamq; quæ in arbitrio erant victoris, victo remisit, ut ad gloriam parùm momenti allatura.* Qvæ non adfero ut provocatos confidentiores faciam: Qvamvis enim duelli eventus, *velut æqvus judex*, *unde jus stabat*, *ei victoriam sæpè dederit*, verbis *Livii lib. XXI. c.* 10. dedit tamen non semper. Vide *Bernegg. Quæst. LI. in Tacit.*

§. 20. *Insidente galeæ sacrâ alite*] Rectè, sacrâ, qvæ, ut scribunt *Livius lib. VII. c.* 26. *Val. M. lib. III. X. c.* 15. *Agellius lib. IX. c.* 11. à Deo credebatur immissa. *Alitem* etiam *Apollinis* vocat *Apulejus de Deo Socratis p. m.* 94. *Silius Italicus Phœbeam alitem.* Nec aliundè explicandus *Manilius lib. I.*:

Et commilitio volucris Corvinus adeptus.
Et spolia & nomen, qui gestat in alite Phœbum.

Ælianus lib. I. cap. 48. *Corvum sacrum & Apollinis pedisequum esse dicunt: Idcircò*

divinationibus præditum fatentur. Ut taceam *Iornandem* & *MS. in Bibliothecâ S. Amandi* repertum; cujus lectionem exhibet *Pighius lib. IV. Annal.* At nihilominus ausi sunt eam deturbare, aliamq; succenturiare, qvâ nihil infandum magis somniavit ullus ægrotus. Observârunt namq; magnum & memorabile, qvod tot secula nescierunt, corvum illum minimè impransum venisse ad hoc duellum. Igitur alii legunt *saturâ*; qvòd ut polyphagum animal cibo se paverit: Alii, ut *Cœlius Rhodiginus*, *Satyrâ*; qvòd ut animal *sitibundum* è palude Pomptinâ prius biberit. Miror ego non observâsse etiam, qvòd ut animal stomachi benè morati statim concoxerit.

§. 20. *Insidente galeæ*] Non multum abludit, qvod *Callimachus de Attilâ* scriptum reliqvit: cùm ad expeditionem Italicam paratus, eqvum conscendisset, *corvum ab ortu solis advolantem humero dextro insedisse, deinde in sublime elatum, elapsum.* Qvo *omine* supra modum *lætum fidentemq;* per prærupta juga, qvæ vix ternos armatos interdum admittebant, perq; seditiosas militum voces ob difficultates Alpium, in Italiam conatum descendere. Citat *Puteanus Comment. in Hist. Insubr. pag.* 49.

§. 20. *Sacrâ alite*] Sacer etiam *Apollini Cygnus*, ut è *Cic. lib. I. Tuscul.* constat, ubi de *Socrate* morituro; sacri *gryphes, delphinus & lupus*, ut observat *Vossius lib. I. Instit. Orat. c. 5. n. 33.* ubi multa de animalibus, Numini alicui sacratis. Adde cor-

nicem & monetulam, qvæ in tulelâ *Junonis*; ut docet *Ioseph. Scaliger* ad illud *Tibulli lib. II.*

Huc veniat natalis avis prolemque ministret.

Tigrim animal, qvod sacratum *Soli*, vel ob pernicitatem; vel qvòd simul atq; in lucem editum est, *duos pedes orientem versus*, tanqvam adorabundum, *tollere* creditur, ut *Torrentius ad Horatium lib. III. Carm. od. 3.* Verba aliàs extant de Cornice: *Avis est* Cornix, *quam* concordiæ symbolon *in nuptiis invocarunt Veteres; tùm quod fœcundum thalamum tacitè exorârint à Junone Deâ nuptiali, cujus ea ales in tutelâ fuit.* Testis enim & ipse *Arist. lib. III. Hist. Anim. 6.* alitem hanc *non libidinosam, fœcundam tamen nimium*: adeò hieroglyphcium ut sit *conjunctionis amicæ, & appetitus casti naturalis*; non libidinem qvi oleat, sed propagationem sui similis. Felicitatis qvoq; omen exinde putaverim, qvòd ficubi compareat *corvus*, *nunquam sterilis, nunquam sinister* adsit; qvem tamen fugerit locum, futuri mali huic indiciũ post terga relinqvat. Adde iterum Philosophorum Deum *Aristotelem*; qvi *lib. IX. Histor. Anim. c. 22.* notavit. Tempore qvo apud Pharsala hospites Mediæ perierunt, *corvos locis Athenarum Peloponnesique defuisse*; qvasi sensum haberent aliqvem, qvò inter se rerum eventa significarent, aliosq; infortunatum hunc locum informarent: De Corvo *custode Coronidis* commentator *in Virgil. VII. Æneid*: Causam fuisse fati adulteræ *Coronidis*, qvam *Apollo*, postqvam pudicitiæ naufragium fecit, maturo jam

partu sagittis confixit, è cujus ventre *Æsculapius* medicæ artis repertor. Deniq; animalia Diis consecrata dicebantur ἀνίατα; ceu docet nos *Salmas. ad Inscript. vett p. 63.*

§. 20. *Retulit spolia: Et indè Corvini*] Non placet illud augmentum manuscripti Pighiani: *Retulit spolia: dictusque est ipse Corvus, & inde Corvini.* Supplevit è *Jornande*, qvi Florum cum superioribus non contulit, ubi simili modo: *torquem inter spolia detraxit: Inde Torquati.* Confirmat qvod *suprà* dixi de hoc ipso manuscripto, *ad cap. 5. §. 2.*

§. 21. *Lacum Vadimonis*] Ad eundem lacum à Romanis cæsos fuisse Etruscos A. U. 445. è *Livii lib. IX. c. 29. §. 6.* notavit noster *Freinshemius* in hunc locum Flori. Cui adjiciat, si velit, Studiosus Philologus, qvæ *Seneca* miratur *lib. III. Natur. Quæstion. c. 25.* Insulas nonnullas è pumiceosis & levibus lapidibus constantes in *Lydiâ* natare: aliam vehi in *Vadimonis* lacu, aliam in lacu *Stationensi.*

§. 21. *Ne quis extaret in eâ gente, quæ ineensam à se urbem gloriaretur*] qvod mirêre, non tàm immisericors Poëta, qvàm Historicus. *Silius* enim *lib. IV.* extare passus est *Chrixum* Bojorum Ducem, sociũ Hannibalis, de qvo ita canit *v. 148*:

Bojorum ante alios Chrixo Duce, mobilis ala,
Arjetat in primos, obicitque immania membra;
Ipse tumens atavi Brenni se stirpe ferebat
Chrixus, & in titulos Capitolia capta trahebat;
Tar-

Tarpejoque jugo demens, & vertice sacro
Pensantes aurum Celtas umbone ferebat.

AD CAPUT XIV.

§. 1.

CONTEMPTU VRBIS INCENSÆ] *Existimatio bona primò omnium deserit infelices*, ait *Boëthius lib. I. de Consolat. prof. 4. Ubi hæc sese subduxit, adest audacia, & quosvis armat in afflictos; Lips. lib. IV. Polit. c. 12.* Ut contra auctoritas omnes contineat in officio, sicut patet ex iis, qvæ disserit *Polybius lib. II I. c. 90. sub f.*

§. 1. *Ius civitatis*] Antemnatibus, Camerinis, Crustuminis, Sabinis, Romulus civitatem dedit, idq; Romanæ civitati fructuosum fuit: cur isti negant? Qvia vi extortum meriti nomen amittebat; nec exhaustis bello Gallico Romanis tutum videbatur, florentissimum populum in urbem recipere. Vide *dissert. nostram ad Valer. lib. III. cap. 1.*

§. 2. *Alter Consulum filium suum, quia contrà imperium pugnaverat, quamvis victorem, occiderit*] Loqvitur de T. Manlio L. F. A. N. IMPERIOSSO TORQVATO, qvi Consul III. A. U. 413. collegâ Decio Mure, devicit Latinos, Campanos, Sidicinos, Auruncos; deq; iis triumphavit a. d. 15. Cal Jun. ut est in tabulâ Capitolinâ. Eodemqve anno filium suum T. *Manlium Torquatum* extremo supplicio affecit. *Freinshemius*

ad hunc locum *duo* notavit: I. similem aliorum narrationem de *A. Postumio Tuberto* refutari à *Livio*. Nominat hujus sententiæ Scriptores, *Agellium* & *Diod. Siculum*. Qvibus velim addas *Val. Max. lib. II. cap.* 7. II. è *Livio* affirmat T. Manlio Torqvato ab hoc facto *cognomen Imperiosi* hæsisse. Hîc te doceo, Livium sibi sibi non constare, nam cognomen Imperiosi jam *ejus patrem* L. Manlium. A. F. A. N. *Capitolinum* tulisse, qvi A. U. 390. Dictator, Magistrum Eqvitum habuit L. Pinarium Nattam scribit expresse *lib. VII. c.* 4. ibi: *Acerbitas in delectu, &c. invisa erat: & ante omnia invisum ipsum ingenium atrox, cognomenq; Imperiosi grave libera civitati, ab ostentatione sævitiæ adscitum.* Et hoc ipsum confirmat tabula Capitolina apud *Gruterum pag.* 290. ubi agit de anno 390:

---MPERIOSSUS DICT.

NATALIS MAG. EQ. CLAVI. FIG. CAUSSA.

Supple priorem lineam cum Fastorum Scriptoribus: *L. Manlius. A. F. A. N. Capitolinus Imperiosus.* Et huc respicit *Seneca lib. III.* de Benef. c. 37. *Vicit patrem Imperiosum quidem Titus Manlius.* Ubi *per T. Manlium* intellige hunc *Manlium Torquatum* qvi securi percuti jussit filium suum, relegatus & ipse qvondam à patre suo; per patrem L. Manlium Capitolinum Dictatorem. Igitur concludo, T. Manlium Torqvatum à patre Imperioso jam habuisse hoc cognomen;

non ab immani facto, qvo filium sustulit. Nisi forte ita *Livium* conciliare volumus, cognomen illud jam cepisse in patre, confirmatum in filio.

§. 2. *Quasi plus esset in imperio, quàm in Victoriâ*] Id est, ut explicat *Virdungus*, qvasi plus esset in eo, ne imperium Ducum contemneretur, qvàm si victoriam aliqvam miles, ut tunc filius Consulis; de hoste reportâsset. Cæterùm, qvæ ad hunc locum communem pertinent, adduxi *ad Val. Max. lib. II. cap.* 7. *dissert.* 1. *& ad illa Sallustii in Catil. cap.* 9. *Quarum rerum ego maxima documenta habeo, quòd in bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant; quiq; tardiùs revocati prælio excesserant; quàm qui signa relinquere, aut pulsi loco cedere ausi erant.* Unum locum *Quinctiliani* adjicio, qvi *Declam.* 349. hunc ipsum Manlium respicit: *Illi verè fortes & viri fuerunt, qui cùm hoc meminissent, liberos à se Reipubl. causâ procreatos benè impendi crediderunt exemplo.*

§. 3. *Capite velato*] Qvod in cultu religioso, ut sacrificiis & adoratione, moris apud paganos. Vide *Plut. in Quæstionibus Romanis.* Item *Alexandrum ab Alexandro c.* 19. *lib. II. Joseph. Scaligerum Conjectaneis in lib. IV. Varronis de Ling. Lat.* ad illum locum: *Flamines, quod licio in capite velati erant*; ubi docet *velatos* fuisse dictos, qvi *caput cinctum licio laneo* habebant: Hinc *Virgil. lib. XII. Æneid.*

Velati lino, & verbenis tempora vincti

Idem literatorum Phœnix, ad versum istum *Propertii lib. III.*

Ante tuos cæsa pedes illa ipsa adoperta sedebit.

duo adorationis signa tradit, *velari* & *sedere*: De *velatione* notissimum vel ex eo:

Et caput ante aras Phrygio velavit amictu

Item ex hisce *Juvenalis*:

------ *Stetit ante aram, nec turpe putavit*
Pro cithará velare caput ------

Et hoc devotionis abjectissimæ signum, hoc pietatis non umbratilis monumentum: Vel veste incedere fimbriatâ purpureâ qvâ Flaminicæ utebantur pro palleolis; qvod decus religionis fœminarum proprium erat; non minus tamen masculis Tutulum, & Albogalerus; qvo tùm Pontifices sese, tùm Sacerdotes Jovis velabant. Qvibus omnibus objecta sensus in profana trahentia cavere volebant, juxta illud Virgilii,

Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.

De sedendi verò ritu (qvi è schola migravit in ritu Romanorum) adeundus est *Tertullianus de Oratione*. Hæc *Virdungus*, qvi & mox de DIS Manibus adire jubet *Festum* in vocabulo, *Manes*; & præter alios *Nonium Marcellum c.2.* Sed meo animo nemo accuratius de *Manibus* scripsit *Salmasio ad Solinum pag. 412.*

AD

AD CAPUT XV.

§. 1.

[*Immemores factæ sub Tito Tatio affinitatis*] Nihil mirum: Nam imperandi cupiditas rumpit omnia id genus vincula, qvod docui *suprà ad lib. I. c. 1. §. 8.*

§. 1. [*Quodam contagio belli se Latinis adjunxerant*] Nota, sæpè conjunctos Italiæ populos fuisse, ad premenda Romanorum incrementa. Qvale factum *Polybius lib. I. c. 83.* probare videtur; *Nunquam*, in qvibus, *ejusmodi principia contemnere oportet, neq; tanta cuiquam adstruenda est potentia, ut cum eo postea de tuo, quamvis manifesto jure disceptare ex æquo non queas.* Qvibus *Livius lib. XLII. c. 46.* convenienter: *Id agendum, ne omnium rerum jus ac potestas ad unum populum perveniat.* Qvod ipsum apud *Thucydidem occurrit l. I.* in Orat. Sthenelaidæ; *Non permittendum, ut vicinorum potentia plus nimio augescat.* Et *lib. VI.* in Orat. Alcibiadis, additâ ratione: *Valentiori non invadenti solùm homines resistunt; sed etiam, ne id possit, prævertere solent; quia inter impotentes & validos falsò quiescas: ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt.* Hoc ipsum Legati *Lacedæmoniorum* & *Athenienſium Gelonem* hortantur, ut ad animum revocet, ac sese contra *Xerxem* jungat, apud *Herodot. lib. VII. pag. 469.* *Ferto opem iis, qui Græciam à servitute vindicant, eamq; una cum illis liberato.* Coacta cuncta Græcia

erimus magna manus, pugnâq; pares invadentibus nos: Quòd si è nobis alii proditores fuerint, alii otiosi sedeant; id sincerum quod supererit Græcia, exiguum erit: unde periculum est, ne omnis Græcia pessum eat. Neq; eum speraveris Persam, si nos prælio superaverit, ad te non esse venturum: Quin imò hoc antè caveris. Nobis namq; opem ferendo te metipsum tutaris. Cui similia ob oculos ponnit *Achæi Antigono*, ut eum sibi jungant contra *Ætolos* & *Cleomenem*, Lacedæmoniorum Regem, apud *Polyb. lib.* II. *c.* 49. Et *Gothi Francis* apud *Agathiam lib. I. p.* 10. 11. Hoc ipsum *Romanos* primùm permovit, ut *Mamertinorum* causæ se miscerent, adversus *Carthaginenses*. Idem Polyb. lib. I. cap. 10. *Quòd viderent Pœnos non Africæ regiones duntaxat, verùm etiam in Hispaniâ pleraque loca juris sui fecisse: Insulis præterea Sardoi Etrusciq; maris omnibus potitos, anxii supra modum erant; nec si hoc amplius Siciliæ dominatum adipiscerentur, valdè sibi graves & formidabiles vicini forent: qui & circumdarent undiq; populum Romanum, & omnibus Italiæ partibus imminerent.* Hoc ipsum considerantes *Imperatores Byzantini*, & in iis *Michaël Palæologus*, omnem navârunt operam, qvò *Siciliæ* regnum à regno *Neapolitano* disjungeretur: cùm probè nossent, qvantoperè viribus *Caroli* Regis augescentibus sua ipsorum pericula crescerent; ut è *Johannis Villani lib.* VII. *c.* 57. scribit *Bernegger us in Tubâ pacis pag.* 45. Adde *Piccartum in Philos. Altd. Disp. L. th.* 21. 22. *& seqq.*

Prin-

Principiis obstandum, *non enim stat illis finibus, quibus ortum est, incendium*; ait *Brunner. lib.* XII. *p.* 303. Sed hæc, qvæ dixi, de principiis alicujus potentiæ intelligenda sunt; cùm jam nimium qvantum invaluit, stultè inclinaveris in parietem caducum. Prudenter *Aristophanes in Ranis actu* II.

Est cordati hominis catiq;
Multum aquæ cui navigatum, ut
Semper ad felicius se
Cautus inflectat latus.

Cicero improvidos *lib.* II. *ep.* 16. appellat, qvi *ab excitatâ fortunâ ad inclinatam & prope jacentem desciscunt.* Cùm primis autem nihil moliendum contra eos, qvibus fidem juravimus. Et hæc videtur præcipua causa *infelicium* expeditionum, *contra Romanos* susceptarum; qvòd *Sabini* arma induissent contemptis fœderum ultoribus Diis.

§. 2. *Quâ Nar ambit, fonteq; Velini*] In viâ Flaminia est civitas *Narnia* in montibus posita; qvibus subest *Nar*, fluvius *Umbriæ*; qvæ Umbria regio est Italiæ ad *Pœninum*, qvi Tiberino conjungitur. *Virgil. lib.* VII. *Æneid*:

Sulphureâ Nar albus aquâ fontesque Velini

Sulphureus auctoribus dicitur, vel qvòd sit sulphurei saporis, vel subviridis coloris; cujus tamen aqva, qvando hauritur, alba est. *Flaminia* autem, cui subesse dicitur, *duplex* est: alia hoc nomine dicitur Italiæ regio, qvæ & *Æmilia*; alia via lapidibus strata à *Flaminio* Consule, à *Româ*

usq;

usq; ad *Ariminum* urbem veterem in Flaminiâ, Galliam à Flaminiâ separantem.

§. 2. *Fontes Velini*] *Velinus lacus* est juxta agrum, qvi *Rosulanus* vocatur. *Varro* in eâ sententiâ est, lacum hunc à *Curio* Consule in *Nartem* vel *Narem* fluvium derivatum, esse diffusum. Post qvod tanta secuta est eo loco fertilitas, ut etiam *perticæ longitudinem* superaret *altitudo herbarum*. Qvin etiam *quantum per diem* demptum esset, *tantum per noctem* succresceret.

AD CAPUT XVI.

§. 1.

NOn pro se, sed, quod est speciosius, pro sociis] *Speciosius*, id est, *magis conspicuum*, pulchrum, generosum. Sic videntur Scriptoribus *Epirotæ* pro sociis se gessisse. *Diodorus Sicul. lib. XXII. cap. 1. Pulchrum est Epirotis, non pro patriâ tantùm suâ decertare, sed pro amicis etiam, & belli sociis, pericula subire.* Sed qvacunq; tandem cerulsâ pingatur hæc auxiliatorum opera, docent infinita exempla, plerumq; hos tales non incolumitatem sociorum, sed emolumentum suum, & imperium spectare. Videndus *Gruterus ad Livium lib. I. c. 23. lib. XLV. c. 11. Berneggerus ad Justin. lib. IV. c. 3. §. 5. ad Tacit. quæst. 206. & in disputat. de regno Hungariæ th. 39. Forstnerus ad Tacitum p. 446. 447. & hypomnemate politico 2. Piccart. Disp. L. th. 25. 26.* Cumprimis hoc verum in Romanis. Vide

de infra *lib. II. cap. 2. §. 4.* ut iis nullam injuriam fecerit *purpuratus Antiochi*, cujus ad *Romanos* apud *Livium lib. XXXV. c. 16.* verba sunt: *Speciosa titulo ut vos, Romani, Græcarum civitatum liberandarum video: Sed facta vestra orationi non conveniunt.* Tamen justitiam belli, cujus hic meminit Florus, propugnat *Albericus Gentilis lib. II. de Armis Romanis c. 7.*

§. 2. *Sed hoc Campani, sanctius, & prius, omnium suorum deditione fecerunt*] Erat hoc omnium iniqvissimum fœderis genus, ut docet *Sigonius lib. I. de antiquo jure Italiæ c. 1. p. 139.* ubi & formulam deditionis exhibet *è Livio*; cui addendus *Hugo Grotius l. II. de I. B. ac P. c. 5. §. 1. & notis ad l. III. c. 8. §. 4.* Unde constat, nostrum per omnia hîc intelligere Divina humanaq;. Persæ dicebant: *terram & aquam dedere.* Occurrit apud *Herodotum in Melpomene p. 286.*

§. 3. *Omnium non modo Italiâ, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga*] Multa huc pertinentia ad illa *Velleji lib. I. c. 7.* dixi: *Vix crediderim tàm maturè tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.* Qvibus adde *Pighium in Herc. Prod. p. 354. Silium Italicum lib. V.* ubi inter alia de Campaniâ: *Dives ea, & nunquam tellus mentita colono.*

§. 3. *Liberi Cereris q. certamen*] E fabulis hoc petiit noster, ut & *Polyb. lib. III. cap. 91.* ubi de hac ipsâ Campaniâ: *Et sanè de his potissimum Deos*

inter

inter se pugnasse, simile vero est, propter eorum amœnitatem ac præstantiam. Videatur *Brunnerus lib. XII. p. 286.* similiter verò de *Spartâ* scribit *Musæus.*

Καὶ Σπάρτης ἐπίβην Λακεδαίμονος· εἶδον ἄεθλα
Ἠχι μόγου καὶ ἄεθλον ἀκούομεν ἀλκιμάων.

Et Spartam paragravi, Lacedæmonis vidi urbem,
Ubi laborem & certamen audimus Gratiarum.

§. 3. *Liberi Cereris q.*] *Virdungus* hic scribit è *Plinio, Varrone,* & aliis, *Palladem* adjungi potuisse, propter *olei* gloriam, qvâ superbiat Campania; & in agro qvidem *Venafrano* longè præstantissimum provenire.

§. 3. *Bis floribus vernat*] Vide *Puteanum comment. in lib. I. Histor. Insubricæ p. 94.* Adde illud *Virgilii lib. II. Georgicorum:*

Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbor.

Idem in *Bucolicis:*

Lac mihi non æstate novum, non frigore defit: Pompon. in hunc locum Virgilii notat: Multas esse *arbores*, qvæ *in Italiâ* propter benignitatem solis & *biferæ* sint & *triferæ*: Biferæ sunt genera *malorum* & *ficorum*; trifera *vitium.* Imò idem ita *consitam arboribus Italiam* ex auctoribus animadvertit ut *tota pomarium* esse videatur. Idem *lib. IV. Georg:*

Forsitan & pingues hortos, quæ cura colendi
Ornaret, canerem, biferique rosaria Pæsti.

Pæ-

Pæstum enim oppidum est *Calabriæ*, in qvo *uno anno bis nascitur rosa*, qvod *Pæstum flavum* alibi vocatur ob flaventes agros, id est, ruffos ab colore bis maturæ segetis. Nihil his concedit Ægyptus. *Martinus à Baumgarten lib. I. peregrinationis suæ c. 16.* inqvit: *Vidimus in Ægypto agricolas bis metentes; bis enim metit Ægyptus, semel Aprili, iterum Septembri.* Imò longè superior Ægyptus; *Iohannes Helfrichius in Itinerario suo* de *Cairo*, Ægypti metropoli: *Locus est ibi, qui singulis annis quater maturos fert fructus, isq; intra pomœria. Dominus ejus loci dicitur in singulos annos lucrum facere sex millia ducatorum.* Adde, qvæ *Philippus Carolus* notat, in *Hispaniolâ* novi orbis frumenti *spicas* adeò ingentes esse, ut *humano brachio* æqventur: *duo* qvoq; *granorum millia* singulas *spicas* continere. At magis stupendum istud, qvod jure miraculi magnitudinem auget, satum frumentum *Februario*, exitu *Martii* meti posse: Poteris & hoc adjicere: Sub *Moscoviæ* cœlo juxta flumen *Dividuæ* frumentum nascitur *absq; aratro*: Jactum siqvidem in terrâ adolescit, aristam spicamq; facit. Notat etiam *Freinshemius* ex Varrone, *ad victum optima ferre agrum Campanum*, qvem *Livius lib. VII. c. 38.* vocat *agrum uberrimum.*

§. 3. *Nihil hospitalius mari*] Id est, nihil *portus* sinu mari, qvia portus sunt veluti hospitia navium, in alto jactatarum: Tum etiam putaverim *tranquillum* indigitari, qvemadmodum sæpius vocatur *avarum, furiosum, improbum* mare. Hæc *Virdun-*

dungus. Simili modo dicendi *modestia hiemis* legitur apud *Tac. lib. XII. Ann. c.* 42.

§. 4. *Cajetam*] Vide hîc notam *Freinshemii*; dicit habere nomen à *Cajetâ*, Æneæ nutrice; qvam tamen alii voluerunt esse *Creusæ*, alii *Ascanii*; qvam *Virgilius* in fronte *lib. VII. Æn.* laudat, tanqvam ingentis benignitatis fœminam, cujus beneficium in eo stabat, qvòd Romani imperii Principem, pium, religiosum, prudentissimumq; nutrierat.

§. 4. *Quædam maris otia*] Eleganter sic indigitat hosce lacus, ob summam inibi tranqvillitatem, malaciamq;; & qvasi otium residuum, & sine fluctibus ac motu aqvarum. Sic *Plinius Iun.* in paneg: *Albani lacus otium*; *Bajani torporem & silentium* usurpat. Sed & *Cassiodorus lib. IX. Var. ep. 6.* in descriptione Bajarum, immissum Averno *stagneum mare* usurpat. Hæc idem *Virdungus*: Cui accedit *Pighius in Hercul. Prodic. p.* 364. *Freinshemius* Indice *in nostrum*, per *otia maris* portum intelligit. Non benè! Eodem modo *pax maris, pax fluminis* apud nostrum *lib. IV. c.* 2. §. 28. Adde *Lipsium ad Senec. lib. de Tranq. An. c.* 2. Porro eâdem metaphorâ tribuit *quietem* fluctibus *Virg. lib. V. Æneid.*

Mene salis placidi vultum fluctusq; quietos
Ignorare jubes?

Ubi per *vultum* interpretes *mutabilitatem maris* intelligunt, qvæ fit pro flatu & qvalitate ventorum:

rum: Idq; in personâ *Palinuri* fit, qvasi diceret: Vis, Æneam committam cœlo & Austris fallacibus, qvi sum toties serenitatis fraude deceptus. Idcirco monstrum in subseqventibus vocat, ubi prius per posterius egregiè monstrat: Vocat enim monstrum mare, cui anteà placidum vultum tribuerat; qvia qvicqvid in aliam formam crebro mutatur, *id monstrum* est: Id qvoq; in respectu ad mutabilitatem maris, qvod modò asperum & sævum, modò tranqvillum & placidum, vel, uti Florus noster vocat, *hospitale, portuosum.* Nec absimili elegantiâ alii risum appellant. Vide *Casaub. ad Strabonem pag.* 206. *lit. E. Rittershusium ad Oppian. lib. I. Haliev. v.* 458. *lib. III. v.* 447. *lib. IV. v.* 334.

§. 7. *Aureis & argenteis armis usq; ad ambitum armatâ*] Hæc in Samnitibus reprehendunt Duces Romani, apud *Livium lib. IX. c.* 40. dum ita animant milites suos; *horridum militem esse debere, non cœlatum auro argentoq;, sed ferro & animis fretum. Quippe illa prædam verius quàm arma esse, nitentia ante rem, deformia inter sanguinem & vulnera. Virtutem esse militis decus, & omnia illa victoriam sequi*; *& ditem hostem, quamvis pauperis victoris præmium esse.* Plura *Lipsius lib. V. Polit. c.* 13. *Freinshem. ad Curt. lib. III. c.* 10. §. 8. *Bernegg quæst. in German. Taciti* 22. *& ad Justin. lib. XXV. c.* 1. §. 3. 4. 5. Atq; ita & *Aneroëstes* apud *Brunnerum lib. II. p.* 168. ubi svadet abstinendum prælio Gallis auro & prædâ onustis: *Tantas opes*, inqviens, *in*

suto collocandas; excusso auro, si videatur, cum ferro redituros ad novam messem: militem illum confidentissimè pugnare, qui præter animam nihil possit amittere; neq; enim gratis spolia impedimenta dici, qua qui plurima habeat, ut plurimum cogitare de fugâ. Et mox *pag.* 170. de *Gæsatorum* væsaniâ: *Gæsati, veste omni abjectâ, ante prima signa scuta quatientes, plausu pedum & incondito ululatu non speciem pugnæ, sed Bacchi triumphum repræsentabant; aurei in illorum collo torques, aureæ in manibus armillæ Romanorum oculos perstringebant; ut illos minus mors Consulis terreret, quàm stolidus hostis animabat; in quo quamvis nudo, tantum esset præda.* Contrà Cæsar *apud Svetonium c.* 67. milites *habebat tàm cultos, ut argento & auro politis armis ornaret; simul & ad speciem, & quò tenaciores eorum in prælio essent metu damni.* Sed, ut rectè *Lipsius*, hic ille ipse Cæsar est, qvi rigidæ & priscæ disciplinæ minimè fuit retinens. Nec mihi qvis Cæsarem ex more majorum feciſſe dicat, motus illis *Sallustii in Cat. c.* 7. *Magis in decoris armis & militaribus equis, quàm in scortis atq; conviviis lubidinem habebat.* Nam possunt esse decora arma sine luxu, qvalia rei militaris Doctores non solùm probant, sed maximè etiam jubent, & exigunt. *Onosander cap.* 28. *Videat Imperator, ut exercitus armis splendentibus fulgeat.* Adde *Polyb. lib. XI. c.* 7. Sententiam nostram magis exprimit exemplum *Macedonum*, de qvibus *Curtius lib. III. c.* 3. §. 27. hunc in modum: *Ab equis viris q;, non auro, non discolore veste,*

sed ferro atq; ære fulgentibus conspiciebantur. Atqve ex hoc loco interpretari debemus *Sallustium*: Videlicet, qvemadmodum externus in bello cultus, non dicam sæpè noxius, sed ingentium cladium, maximarumq; calamitatum haud ultima causa fuit: ita virtus econtra militum ex animo virili æstimatur: Viro nihil pulchrum, nisi qvod pulchrum, qvod decorum, qvod nobili hoc sexu dignum; munditias politas, & qvicqvid est splendoris externi, fœminis relinqvamus naturâ mollibus, qvibus graviorum operum negata affectatio omne studium ad nitidum sui magis cultum, deliciasq; externas conferre jubet; ut verum ludant, fascinentq; Metellos. An igitur omni auro interdicendum est militibus? Minime: Sed ut hactenus dicta de tironibus ac gregariis, luxuq; superfluo intelligenda sunt; ita eos, qvi virtute & fortibus factis id meruerint, auro argentoq; exornandos, atqve ad laudem porrò exacuendos esse, cum aliis meritò censemus.

§. 7. *Vsq; ad ambitum*] Non ad *usum*, qvi opponitur illi. Vide *Freinshemium in Curtii lib. V. c.* 6. §. 3. Sic *Seneca lib. VII. Nat. Quæst. c.* 31. verba faciens de luxu: *Quotidiè comminiscimur per quæ utilitati fiat injuria.*

§. 7. *Saltibus ferè & montium fraude grassantem*] Desumptum è *Livii lib. IX. cap.* 13. Similiter noster *lib. IV. c.* 12. § 10. infrà: *Dalmatæ plerumq; sub sylvis agunt, inde in latrocinia promptissimi.* Vide *Grut. discurs. XLV. in Tacit.*

§. 7. *Sacratis legibus*] Ita dicebantur, ut qvi contra eas peccassẽt, *Sacer*, hoc est, *devotus* alicui Deorum esset. Tales Samnitum leges fuisse docet *Liv. lib. X. c.* 38.

§. 7. *Humanisq; hostiis in exitium Vrbis agitatam*] Id si factum, manavit, ut omnis impietas, à maledictâ *Cananæorum* progenie; qvod è sacris literis scimus. Similiter *Moabitarum Rex*, in extremam desperationem conjectus, *sacrificavit filium*; ut scribit *Iosephus lib. IX. Antiquit. cap. 1.* Ipsi Romani unicum laborantium consiliorum asylum hoc esse crediderunt, si Diis humanâ hostiâ feciſſent. Hinc in foro Boario *Græcum & Græcam*, *Gallum & Gallam vivos* defodere soliti sunt, in signi impietate, qvi *DEum* crederent *homini lupum* factum, talem sangvinem sitire; cùm verius sit optare maximã illam bonitatẽ etiam *hominem homini esse Deum*; ut pulchrè *Brunnerus lib. II. p.* 162. Adde *Dion. lib. XLIII. p.* 256. De iisdem Romanis vide ac confer, qvæ scripsẽre *Scaliger ad Euseb. n.* 876. *Hugo Grotius not. in lib. II. de veritate Christ. Rel. p.* 171. 172. *edit. Lugd.* vel, *pag.* 382. & 383. *edit. Paris. Polydor. Virgil. lib. I. de Prodigiis, pag.* 120.

§. 7. *Cladibus ipsis animosiorem*] Qvod de Romanis supra docuimus *ad cap.* 10. §. 2. Rarum hoc esse, colliges ex iis, qvæ *Forstnerus* ad illud *Taciti* differit: *Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi aut imperitandi habebat: secundarum ambiguarumq; rerum sciens, eoq; interritus. pag.* 91.

§. 8. *Vt hodie Samnium in ipsâ Samnio requiratur*] Venustum loqvendi genus, qvod ἀξύμωρον, vel etiam σιδηρόξυλον appellarunt veteres; de qvo adeundus *Conrad. Rittersh. comment. in lib. I. Oppian. v.* 260. qvod observavit *Virdungus*. Similiter Cicero Verrinâ V. dixit: *Ætnensis ager sic erat de formis atq; horridus, ut in uberrimâ Siciliæ parte Siciliam quæreremus.* Adde *Ascon. in Divin. p.* 23. 24. A qvo non abludit illud *Martialinum lib. VII. epigr.* 60:

Inq; suo nullum limine limen erat.

Imitatus est *Ianus Vitalis* Panormitanus:

Qui Romam in mediâ quaris novus advena Româ
Et Romæ in Româ nil reperis mediâ.

§. 10. *Mitteret omnes, aut occideret*] Semper eò adigendus hostis, ut aut nocere non possit, aut non velit. Hic sanè aut mittendi erant omnes, ut novo beneficio obstricti fidam colerent amicitiam: aut occidendi, ne ignominiæ pudore insurgerent acrius. Vide *Marianam lib. III. de Rege & Regis Inst. cap.* 15. *pag.* 336. Non disjungendum, qvod *Franciscus I. Rex Galliæ in Hispaniâ captivus* dixisse fertur: *Trium se optionem Carolo Cæsari facere: aut se æterno carcere vinctum servaret: aut pro suâ magnanimitate, pristinâ libertate donaret: aut si tanta Burgundiæ potiundæ cupiditas animo ejus incessisset, pactionibus, quibus*

placeret adstrictum dimitteret. Carcerem se fortiter laturum: pro libertatis dono gratum omni vitâ futurum: iniquis legibus dimissum, nunquam bonâ fide amicitiam culturum, sed arreptâ primâ occasione omnia hostilitatis signa editurum; ut refert Andr. *Maurocenus lib. II. Historiæ Venetæ.* Adde notam *Valerianam lib. VII. c. 2. §. 30.*

§. 10. *Sapienter, ut Senior*] Notus versiculus:

Consilio pollet, cui vim Natura negavit.

Et benè monuit, qvi præcepit: ἰσχὺν τῇ ψυχῇ αἰδοῦς μᾶλλον, ἢ τῷ σώματι. Confer *Lipsi. not. ad lib. II. Polit. cap. 4.*

§. 12. *Turpitudinem fœderis*] *Sponsionis* debebat dicere. Vide *Sigonium de antiquo jure Italiæ lib. I. cap. 1. Grotium lib. II. de I. B & P. cap. 15. num. 16.*

§. 12. *Vltionem flagitans miles*] Huc pertinet locus *Taciti lib. II. Histor. cap. 77. Acriore hodiè disciplinâ victi quàm victores agunt: hos ira, odium, ultionis cupiditas ad virtutem accendit; illi per contumaciam hebescunt.* Cui *Silius lib. I.* succinit:

Et fractis rebus violentior ultima virtus.

Et *Phartazes* apud *Agathiam lib. III. pag. 79. Neq; ex præterito casu certam nobis de ipsis victoriam possumus polliceri Verisimile n. est, eos, qui antea erraverunt, experientiâ ipsâ, quid fugiendum sit, edoctos, id, quod omissum neglectumq; fuit, majore deinceps in rebus gerendis curâ compensaturos.*

§. 12. *In*

§. 12. *In congressu arsisse omnium oculos*] Narrat hoc è *Livii lib. VII. cap. 33.* Pertinet *ad notam 7. cap. 12. hujus libri*, ubi auctoritatibus & exemplis docuimus, sæpè vana pro veris, maximè in bello valuisse; sed prætermisimus de hoc ipso argumento laudare *Berneggerum*; hunc addere potes *quæst. in Germ. Tac. 162. & ad Paneg. Plinii c. 17.* Hîc solo aspectu *Romanorum* debellati *Samnites.* Ita *Tacitus lib. XVI. Ann. c. 29.* de Eprio Marcello: *Cùm per hæc atq; talia Marcellus, ut erat torvus & minax, voce, vultu, oculis ardescceret.* Item de Alexandro Severo *Lampridius p. 118. Nimius ardor oculorum, & diu intuentibus gravis.* De *Germanorum* vultibus *Brunner. lib. XIII. p. 567.* Porrò à simili flagrantiâ oculorum, commendatum *Gratianum* scribit *Marcellinus lib. XXVII.* ibi: *Quem oculorum flagrantior lux commendabat, vultusq; & reliqui corporis jucundissimus nitor.* De Augusto *Sveton. c. 79.* in ejus vitâ: *Oculos habuit claros, & nitidos; quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris; gaudebatq; si quis acrius sibi contuenti quasi ad fulgorem Solis vultum submitteret.* De Arminio *Vellejus Pat. lib. II. c. 18.* similiter: *Arminius Sigimeri Principis ejus gentis filius, ardorem animi vultu oculisq; præferens.* De C. Cassio *Cic. lib. XV. ad Atticum epist. 11. Hoc loco fortibus sane oculis Cassius: Martem spirare diceres.* Adde *Tac. lib. IV. Histor. cap. 78.* De Atrilâ *Callimachus Fertur, eos, qui illum circumstiterant, retulisse suis: Cum Attila se in vires colligeret, circum-*

spectans quà impetum faceret, apparuisse in oculis nitentis clamantisq; cœleste quiddam, & scintillas igneas, quàm simillimas vigori, qui Deorum oculis inesse creditur. Similia de *Gastone Foxio*, acerrimo bellatore, & nepote Ludovici XII. ex sorore, cùm milites animaret, jamjam prælium illud nobile ad *Ravennam* an 1512. die 11. Aprilis cum *Aragonio* & *Italis* commissurus; tradit *Guicciard. lib. XI. Histor.* Deniq; de *Murate* l. *Leunclavius lib. V. Hist. Musulman. Accedente gravissimâ tùm indignatione, tùm cupiditate vindictæ, mox ita sanguine suffundi cœperunt oculi, ut instar carbunculi non modò ruberent, sed etiam lucem de se spargerent.*

§. 12. *Nec prius finis cædibus datus, quàm jugum Duci capto reposuerunt*] Videndus *Grut. disc.* 10. & 11. *in Tac. & in Velleji l. II. c.* 54. *Bernegg. in Germ. Tac quæst.* 151. ubi docent, non nisi Duce sublato, belli reqviem esse. Adde, qvod *Agathias, lib. I. p.* 9. scribit: *Burgusiones præciso Chlotomeri capite, cùm illud copiis, quæ circum eum erant, ostentasset, magnam statim trepidationem desperationemq; injecerunt, adeoq; eis animi metu cecidêrunt, ut in posterum bellum detrectarent: & victores quidem ex animi sententiâ, & quibus oportere videbatur, conditionibus & pactis bello sese exsolverunt.* Et *lib. II. p.* 43. *Regnari occiso confestim Gothi supplices Narseti facti sunt, ut fide datâ vitam ipsis condonaret; & quidem citissimè jure jurando accepto, se pariter & castellum dediderunt.*

AD CAPUT XVII.

§. 2.

ERat terror ingens tot simul tantorumq; populorum] Jure dicit, *ingentem* fuisse; & qvi projectè audaculus non est, id maximè cavet, ne plurium populorum bellis simul implicetur. Qvod intelligentes Romani tunc, cùm post bellum Punicum primum *Asdrubal* Carthaginensium Dux, è bellis Hispanicis terribilem consecutus esset potentiam, & ab istis incrementis periculum ipsis immineret; tamen in præsentiarum durius aliqvid *Carthaginensibus* imperare, aut bellum adversus eos movere ob impendentem à Gallis metum, qvi Romam infesto exercitu credebantur in dies venturi, non audebant. Igitur mitigandum sibi esse *deliniendumq; Asdrubalem* prius statuunt; atq; ita *Gallos aggrediendum*, & acie cum ipsis dimicandum; ut scribit *Polyb. lib. II. c.* 13. Similiter cùm multi *Gallorum Transalpinorum* populi adversus *Romanos* sese cum *Insubribus* ac Bojis conjunxissent, inqvit *idem* Scriptor *c.* 23. Romæ metum ingentem omnes incessisse; ut qvi non ignorarent, in qvanto ac qvàm formidabili periculo civitas versaretur. Experti sunt *Veneti*, qvantum hoc esset, cùm hoste non uno bellum gerere, in atrocissimo illo, qvod ipsis conflavit *Iulius II. Pontifex.* Verba *Onuphrii* sunt: *Ad Veneti nominis excidium, qui Ariminum, Faventiam, & Ravennam de Ecclesiæ Romanæ ditione occupaverant, cum Cæsa-*

re Maximiliano, Francorum & Hispaniæ Regibus, Ferrariæ & Mantuæ Ducibus, Cameraci in Belgio fœdus percussit, eosq; repugnantes gravissimo anathemate percussit. Cujus atrocissimi turbinis procellam cùm Veneti ferre nequivissent, amisso ad Glaream Abduæ exercitu omni, & ingenti prælio à Ludovico Francorum Rege superati, atq; ex Ducibus Liviano capto, Pitiliano fugato, sunctas brevi momento copias & urbes, quas in continente possidebant, amisêre. Cæsar enim Maximilianus, qui nihil ferè præter legatos & Augustum nomen ad id bellum attulerat, Veronam, Vicentiam, Patavium cum Carnis; Gallus Bergamum in Apulia; Pontifex Ravennam, Ariminum, & Æmiliam omnem; Ferrariæ Dux Rodigium; Mantuæ verò Asulam receperunt. Atq; ita gens, cujus toto orbe terrarum maxima & inveterata auctoritas erat, tot urbibus amissis, intrà paludes, ipsaq; circumflui maris beneficio permunitas, redacta est. Fuit tanta cladis, & Veneto nomini funestissimus dies XIV. Cal. Maji, anni 1509. Hæc ille in Vitâ Iuliis II. Adde Bernegg. ad Just. lib. VI. c. 1. §. 2.

§. 2. *Signa*] De signis variis vide Casaubonum annotat. in lib. IV. Æneæ Tactici. De iis, qvæ propriè sic dicta ab Auctore h. l. intelliguntur, Lipsius lib. IV. de Milit. dial. III. & Steevvechius ad Vegetii lib. II. c. 6.

§. 4. *Ille per noctem pastorio habitu*] Pastorio habitu, id est, pelle indutus. Vide Casaub. in Theophr. Charact. p. 147. Scipio Africanus superior, captatâ occasione mittendæ ad Syphacem legationis, cum Lælio legato servorum habitu Tribunos & Centuriones lectissimos, ire jussit, qvibus curæ esset, perspicere regias vires. Hi ut liberiùs castrorum positionem scrutarentur, equum de industriâ dimissum, tanquam fugientem, persecuti, maximam partem munimentorum circumierunt; qvæ cùm nunciassent, incendio confectum est bellum; ut refert Frontin. lib. I. cap. 2. è Livii lib. XXX. cap. 4. Confer de Galerii Maximiani simili stratagemate, Vales. ad Ammian. lib. XVI. pag. 117. Simile factum occultantis sese alieno habitu Cæsaris fuit apud Sveton. in ejus vitâ c. 58. licet hostium castra non ingressus esset, ut explorator, sed ut per ea penetraret ad suos, qvos hostes obsidebant. Adi Piccart. in Philos. Altd. Disp. XLVI. quæst. 3. Rem ingenti periculo non carere, cuivis patet, atq; inter Historicos docet Callimachus exemplo Attilæ, ubi de Obsidione Aqvilejensi: *Muros plerumq; circumibat solus, mutatis vestimentis, expugnationi opportuniora designans. Itaq; cùm solitudo & silentium invitasset aliquando, ut muro succederet, incidit in armatos; qui longè venientẽ conspicati, properè elapsi per cloacam sub mœnibus ductam, in insidiis expectant, &c.* Vide ibi plura citata ab Erycio Put. comment. in lib. I. Hist. Insp. 51. qvi & lib. VI. p. 303. Versutiæ similis exemplum refert, de Berengario: *Berengarius protractis ad defectionem Procerum Antistitumque animis, magnâ fortunæ fiduciâ, è Germaniâ pene solus rediit. Putares, non belli, sed religionis causâ proficisci: habitum mutaverat, & tanquam*

quam Romana Apostolorum limina visum iret, custodes Alpium fefellit: Qvâ eâdem vafritie *Amedeus* qvidam illo ipso tempore, jussu *Berengarii*, mutato habitu cum pauperibus, qvi stipis colligendæ gratiâ Romam tendebant, profectus, Italiam petiit, Principes convenit, & singulorum animos exploravit. Neqve enim eodem se habitu omnibus ostendebat: *nunc niger aliis, nunc subniveus, nunc maculosus videbatur*: ut scribit *Luitprandus lib. V. c.* 8. Nec abludit stratagema, licet rursus alio adhibitum fine, qvod legitur apud *Niceph. Gregor. lib. IV. Hist.* ubi de *Johanne*, notho *Michaelis Despotæ*, verba faciens: *Is*, inqvit, *obsessus in castello, cui Novæ Patræ nomen, consilium iniit ejusmodi. Observatâ noctu illunii obscurissimâ nocte, fune se de muro dimisit. Deinde cùm alius ei transitus non pateret, clàm in Romana castra lateris vestibus descendit; & ne agnosceretur, magnâ voce, & verbis* ex parte barbaris, *per tota castra, velut amissum equum quæritans, clamitavit. Turba verò militaris eum derisit, & exsibilavit, & suavissimis dicteriis exagitavit. At ille hoc dolo elapsus ex hostium castris & manibus.*

§. 5. *In subjectos suo jure detonuit*] Inter diversas doctorum virorum sententias unicè probarim emendationem *Iusti Lipsii*, qvi *lib. II. Electorum c.* 19. voluit: *Iovis more detonuit*. propter seqventia: *Ea namq; species fuit illius belli, quasi in terrigenas è cœlo & nubibus tela mitterentur*. Alludit enim ad *Gigantomachiam*, de qvâ Poëtæ passim; adeoq; ad ipsum *Iovem*.

NOTÆ AD CAP. XVIII.

§. 1.

Pyrrhum, clarissimum Græciæ Regem] Res *Pyrrhi* inter veteres *Timæus* descripsit. *Cic. 5. ep. fam.* 12.

§. 2. *Tarentus Lacedæmoniorum opus*] Imò Tarantis, Neptuni filii; cujus multos elegantissimos numos exhibet *Golzius in magnâ Græciâ*; unum etiam *Gevartius c.* 11. *Papinianarum Lect.* in qvibus *Taras dorso Delphini* insidet, *dextrâ tridentem, sinistrâ victoriolam* tenens: qvòd fama esset, eum naufragum apud Crissæum sinum in litus à Delphino evectum. Auxit posteà id oppidum *Phalantus Lacedæmonius*. Vide *Er. Putean. comm. in lib. II. Hist. Inst. p.* 145. *Iohannem Iuvenem lib. II. de Antiquit. & variâ fortunâ Tarentinorum c.* 2. *Scaliger. ad Eusebii n.* 1309. *Bongarsium ad Iust. lib.* III. *c.* 4. §. 8.

§. 4. *Emicant, sine discrimine insultant*] Nosce hîc ingenium vulgi, qvod *non delectu aut sapientiâ ducitur, sed impetu & temeritate rapitur potius! Non est consilium, non ratio, non discrimen, non diligentia*; ut nostro convenienter *Cic. in eâ pro Plantio*. Nec aliter judicavit *Demosthenes*, qvi τὸν δῆμον ὄχλον ἀστάθμητον καὶ γνώμης ἀπαύστου καὶ ἀστασιάστου, *populum esse turbam maximè improvidam*

dam insipidamque dicebat. Similiter *Nicetas Choniates* in imperio Alexii Comneni Manuelis filii: σύμπαν τὸ λαῶδες πλῆθος ἀλογίᾳ χαίρει καὶ τὴν ἐπὶ πρᾶξιν δυσμαχώτατον ἔστι. *Omnis plebs temeraria est; & magno insanoque impetu fertur.* Cumprimis de hac Tarentinâ plebe verum erat, qvod scribit *Thucyd. lib. VI. Quicquid modestum, speciem ignaviæ habebat; quod circumspectum & providum, segnitiæ: quicquid autem abruptum & præceps, id verò forte & virile censebatur.* At sapientes seriò imbibunt, qvod ait T. Qvinctius Flamininus apud *Livium lib. XXXV. c. 32. Consilia calida primâ specie lata, tractatu dura, eventu tristia esse.*

§. 4. *Emicant*] Prosiliunt. *Seneca ad Polyb. c. 28. Ex humili atque depresso in eum* emicuit *locum.* & *epist. 79. Purus ac levis in cogitationes divinas* emicuit. *Plinius lib. XVI. cap. 33.* de cupresso: *Protinusque emicat.* ubi ridiculè *Ioh. Bodæus à Stapel* notis in Theophr. *lib. II. c. 2.* è MS. qvod habet *emigrat*, legit *emergit.* Adde *Taubmannum in Indice Virgiliano.* Simile verò refert idem *Senec. lib. III. de Ira. cap. 2.* qvod tamen *Lipsius* de Carthaginiensibus accipit.

§. 4. *Qui enim aut unde Romani?*] Hic notandus est character stultè superbientium. *Arrioviſtus infra lib. III. cap. 10. §. 11. Quis est autem Cæsar?* Et *lib. IV. c. 12. §. 14.* Dux Mysorum ad Romanos, *Qui vos*, inqvit, *estis?*

§. 5. *Hanc quoque fœdè per obscœnam turpemque dictu contumeliam violant*] Hoc explicabunt scire desiderantibus *excerptæ Legationes Dionys. Halicar. c. 4.* ubi, qvod inter alia refert, *Postumium* legatum Romanorum à *Tarentinis* irrisum, si ejus sermo exactissimum Græci sermonis characterem non referret, & ut barbarum à multitudine theatro ejectum; id facilè arguit, ipsos Tarentinos omnem barbariem longo intervallo superasse. *Totilas* apud *Procopium Gothicorum lib. III. Omnibus, ut generatim loquar, barbaris, mos, legatos venerari.*

§. 6. *Semigracam ex Lacedæmoniis conditoribus civitatem vindicaturus*] Hoc referendum est non solùm ad originem, sed & ad mores, & ad dialectum Græcam; qvæ nondum apud Tarentinos prorsus exoleverant. At mores sive vitia, qvæ illis cum Græcis communia, indicant illa Poëtarum epithera; cum Horatio dicitur *molle*, item *imbelle*, sicut Ovidio *madidum*, Sidonio *unctum*, Juvenali *coronatum* & *petulans madidumq; Tarentum.* Adde de mollitie Tarentinâ *Manut. ad lib. VII. Epist. Cic. 12. pag. 734.* De dialecto verò Tarentinâ, præter alios adire operæ pretium fuerit *Iohannem Invenem in Lexico Græcarum vocum*; qvibus Tarentini, ut suis, utebantur. Meminit ejusdem Tarentini idiomatis etiam *Iosephus Scaliger* tùm alibi, tùm *notis in lib. II. Tibulli pag. 114. ad v. 17.* ubi illius idiomatis proprium esse docet, *decurtare* Græca nomina, ut δημὼ ex δημοφίλη, πειθὼ ex πειθοφόνη, συραχὼ ex συρακοῦσα. Hæc ad istum locum notavit olim *Virdungus.* De verbis qvibus-

dam Tarentinis vide etiam *Scalig. ad Priap. p.* 190. Nihil autem mirum, si à *Lacedæmoniorum* conditorum lingvâ, tanqvam in alieno solo, in totum degenerassent. Vide discursum eruditissimum *Thomæ Reines. de Linguâ Punicâ, c.* 5. Qvi locos ad civilem doctrinam pertinentes respiciunt, ad animos hic vocabunt, qvantùm olim consangvinitati tribuerint ipsi pagani. Tarentinos enim Pyrrhus juvandos censuit, ut à Græcis oriundos. Eandem fuisse causam existimo' irruptionis in *Gallorum* terras, factæ à *Venetis*, ut est apud *Polybium lib. II. c.* 18. qvòd scilicet *Romam* consangvineam *Galli* hoc modo extortum irent. Ut enim ab *Antenore Trojano* multi è *Venetis*, ita *Romani* ab ejusdem populari *Æneâ* deducebant originem suam. Ita *Numantini*, *Segulenses* socios & consangvineos, Romanorum manibus elapsos, exceperant; ut scribit noster infrà *lib. II, c.* 18. §. 3. Ita *Pœni*, *Gaditani*, *Bœtici* à *Tyriis* consangvineis per literas rogati, suppetias ipsis contrà *Nabuchodonosorem* (qvi tredecennali obsidione *Tyrum* vexabat devictâ Syriâ) instructâ numerosâ classe tulerunt; ut scribit è recentioribus *Mariana lib. I. Rerum Hisp. c.* 7. Sed plerumq; *velum* hoc est, qvo tegitur *insatiabilis regnandi cupiditas*, & annumerandum iis, de qvibus dixi *ad caput* 16. *hujus l.* §. 1. Nam cùm *Leontini* à *Syracusanis* pressi, *Gorgiam* florentissimùm tunc Oratorem Athenas misissent, ut suppeditatis qvàm maturrimè auxiliis urbem ex periculis eripiant; *Athenienses* decrevêre *Leontinis* auxilium non

non tàm qvòd cognati essent, qvàm qvòd eos jam olim capessendæ *Siciliæ* cupiditas, ob incredibilem terræ fœcunditatem incessisset; ut scribit *Diodorus Sicul. lib. XII. c.* 53. & 54. Et hoc affectu laborasse *Pyrrhum*, nemo ignorare potest, nisi qvi omnes illos, à qvibus res Pyrrhi descriptæ sunt.

§. 6. *Incognitis in id tempus Elephantis*] *Plinius lib. VIII. X. Nat. Histor. cap.* 6. *Elephantos Italia primùm vidit Pyrrhi Regis bello, & boves Lucas appellavit, in Lucaniâ visos.* Adde *Varronem lib. VI. de Ling. Latin.* Hic verò rus & stivam suam oluerunt veteres Romani, qvi qvidem *elephantum* cum *bove* comparatunt. Sed qvid mirum? Cùm iidem *Struthionem passerem marinum*, *Camelopardalum ovem feram*, *Pantheras mures Africanos*, *Leones ursos Numidicos* appellarint, comparatione semper aliqvâ ad notas & indigenas animantes; cæterùm ut rustici, susq; deq; facientes, qvàm apositè. Hæc iterùm *Virdungus* è *Lipsii lib. II. Elect. c.* 4. Sed qvod de *Leone* suspicantur, *Ursum Numidicum* fuisse appellatum, id solidissimis argumentis refutatur à *Salmasio ad Solini c.* 26. *pag.* 311. Ut multa breviter contraham: *Lipsius* è *Plinio* negaverat Africam ursos habere: *Salmasius Plinium premit* auctoritatibus contrariis *Herodoti*, *Strabonis*, *Virgilii*, *Iuvenalis*, *Martialis*, *Solini*: & memini, jam olim *M. Antonium Sabellicum annot. in Plin. lib. IIX. c.* 36. propter auctoritatem *Herodoti* noluisse *Plinio* accedere. Græci igitur cùm de *Africâ* dixerint, habere *Ursos*; operam perdit *Lipsius*,

dum

dum *Plinium* juvare ſtudet, è Latinâ lingvâ, Romanos ſcilicet per *Urſos* Numidicos intellexiſſe *Leones*. Deinde hoc ipſum caret omni fundamento: Ut enim *Elephantos boves Lucas* dictos certi ſumus è Romanis Scriptoribus: Ita de leonibus ſimile nemo prodidit. At *Lipſius* id ostendere conatur hoc modo: *Plinius* ſcribit annalibus traditum, M. Piſone & Meſſallâ Conſulibus, *Domitium Ahenobarbum*, Ædilem Curulem, urſos Numidicos centum dediſſe. Atqvi *in numis* hujus *Domitii* conſpicitur *venator cum leone*: Ergò Numidici illi, urſi leones ſunt. Idem, ſcio, *Fulvium Urſinum* offendit in gente Domitiâ; ubi talem numum exhibet: *Ex hoc*, inqvit, *denario intelligere poſſumus, Ahenobarbum non urſos ſed leones in Circo dediſſe; annalesq; non ſatis emendatos Plinium habuiſſe, in quibus contra hiſtoriæ fidem leones pro urſis ſcriptum fuiſſet.* Ridet *Salmaſius* ficulneam argumentandi rationem: *Quis dubitet*, inqvit, *Domitium etiam leones dediſſe, more cæterorum, qui dabant omnia beſtiarum genera? ut proinde leonem exhibuerit numus, quod Plinius omiſit monere, quod ad rem ſuam nihil faceret.* Sed de numo mallem ego aliter diſſerere: Doceant me *Lipſius* & *Urſinus*, *numum* pertinere ad *Domitium Ahenobarbum*, Ædilem curulem, M. Pupio Piſone, M. Valerio Meſſallâ Nigro Coſſ. hoc eſt, A. U. 692? Imò mihi conſtat non pertinere. Numus eſt CN. DOMITII, ut ipſa inſcriptio docet; noſter Ædilis Curulis, de qvo Plinius, dictus eſt L. DOMITIUS AHE-

AHENOBARBUS; ut integrè deſcribit *Solinus*, qvi in alio argenteo apud *Goltzium in Faſtis* p. 175. L. DOMIT. CN. F. CN. N. AHENOBARB. Prætor anno 695. Conſul anno 699. collega App. Claudio Pulchro. [E *pronominibus* diſtingvebantur. Hinc *Cic. lib. VII. ep.* 32. *Quod ſine prænomine, &c.*] *Cn. Domitius*, de cujus ædilitate numus Lipſii & Urſini, alii diſpiciant, qvis ſit; Calvinus ille, qvi Conſul anno 700. an Cn. Ahenobarbus Conſul anno 637. an alius? His ita ſtantibus, non eſt opus, ut antevertamus illud κρηπφύγετον, *cur Domitius leonem potiùs exhibuerit in numo*, qvàm urſum; cujus ſpectaculum, ſi credimus *Solino*, fuerit maximè memorabile. Deinde *Lipſius* explicat *Virgilium*, lib. V. Æn. v. 37. & per *pellem Libyſtidis urſæ* intelligit *leoninam*. Qvâ ratione? qvia forti & Heroi magis conveniebat, Herculis, veterumq; exemplo. *Salmaſius* contra docet, etiam *aprorum* & *urſorum pellibus* indutos *Tydeum* & *Polynicem*, Heroas ipſos. Addo ex *Diod. Sicul. lib. I. cap.* 18. *Anubin* & *Macedonem* fortitudine præſtantes viros, qvorum alteri ex *pelle caninâ*, alteri ex *lupi corio* tegumentum erat. *Iaſonem*, Argonautarum Principem *Pardi pelle* pro *loricâ* uſum, teſtis *Pindarus in Pythiis od. 4. antiſtr. 4.* Ita è variorum, & leone longè ignobiliorum animalium pellibus erant Heroum integumenta. Dein meritò qværit *Salmaſius*, cùm *Virgilii* & aliorum Poëtarum temporibus leones tam *nota* fuerint animalia, qvî dici poſſit, *urſos* appellare voluiſſe. *Martialis* denique;

epigramma, qvod pro sententiâ suâ adducit *Lipsius*, *Salmasius* demonstrat, eandem subvertere potiùs, qvod ibidem videri potest.

§. 7. *Coëgeritq; projectis insignibus prælio excedere* Ne scilicet noscerentur, aut eo indicio proderetur hostibus. *Curtius lib. III. c.* 11. §. 11. De Dario: *Veritus, ne vivus veniret in hostium potestatem, desilit, & in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur: Insignibus quoq; imperii, ne fugam proderent, indecorè abjectis.* Vide ibi *Freinshemium*. Ab hoc non abludit, qvod *Herodianus* habet, lib. III. c. 7. pag. 141. *Severum* Imperatorem in prælio adversus *Albinum* paludamento imperatorio abjecto, aliqvandiu latuisse. Et hoc potiùs virtutis est, qvàm formidinis.

§. 8. *Novo odore*] Eqvos ad omnia (subintellige, insolita) *pavidum animal*, ut vocat *Curt. lib. IIX. c.* 14. odore & stridore elephantorum territos non semel legimus. Consulendus præter alios *Ammianus Marcellinus* lib. 25. pag. 307. edit. Lindenbr. sive p. 286. Vales. Hinc *Cæsar* pugnaturus in *Scipionem*, elephantorum auxilio præcipuè fretum, multos ante pugnam adduci jussit, qvò & miles suus speciem & virtutem bestiæ cognosceret, & cui parti corporis telum facilè adigi posset. Præterea, ut jumenta bestiarum odorem, stridorem, speciem, consvetudine captarum non reformidarent, ut scribit *Hirtius*, an *Oppius? de bello Afr. c.* 72. Scipio contra elephantos Hannibalis eqvitatum Numidarum in utroq; cornu locavit, assvetum

tum ferre odorem, & aspectum elephantorum. Italico verò non adsveto talibus postremam aciem clausit; sicut scribit *Appianus* in *Punicis*. Perseus εἰδώλοις ξυλίνοις ἐλεφάντων ἰδίαν καὶ χρόαν ἐχομένοις, *simulacris ligneis elephantorum speciem & colorem referentibus*, stridoreq; tubarum acutiore, paulatim eqvos suos verorum elephantorum stridorem & magnitudinem ferre docuit; ut est apud *Polyænum Strat. lib. IV. c.* 8. Huc refer, qvæ *Casaubonus ad Æn. Tact. cap.* 37. annotavit: *O solertiam hominum prorsus admirandam in suâ salute, alienâ pernicie procurandâ! parum erat, quod equos, asinos, canes, feles, tauros, sues, camelos, elephantos, ipsos denique leones, sibi militare sæpè compulerunt; nisi ipsas etiam apiculas condocefacerent, in hostes pro se pugnare.* Hoc verò mortales non rarò factitasse, & vetus historia testis, & recens; de vetere scimus jam, id affirmante hoc loco Æneâ. Qvare & *Iul. Africanus*, postqvam docuit, *cunicularios fumo esse opprimendos*; alterum hoc, velut ἐγκύκλιον, in eosdem telum affert in medium: *Cunicularios vehementer vexaveris, si vespas & apes in cuniculum immiseris.* Hæc ille. Ibidem nos remittit ad ea, qvæ eruditè observavit *Phil. Camerarius*.

§. 8. *Sibi belluas, ampliùs quàm erant, suspicarentur*] Ita ampliùs visæ, qvàm erant, *Cassivellano Britanno*; ut ne ad unius qvidem elephanti conspectum durare potuerit, cùm in eum *Cæsar* moveret. Pertinet *ad notam 7. suprà cap.* 12.

§. 8. *Belluas*] *Freinshemius in Indice* notat *belluas* hic poni pro *elephantis*; qvod primâ fronte puerile ac protritum videri posset: sed adeò non est, ut illud *Arnobii lib. VII.* mirè torserit viros doctos: *Camelos, belluas, leones.* Medicinam enim crediderunt adhibendam, cùm non intelligerent *elephantos* κατ' ἐξοχὴν dici *belluas.* Simili modo *bestias Cic. lib. VI. epist.* 9. dixit: *Quasi utilius Reipubl. fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere.* Alludit ad *Iubæ Regis* elephantos, qvos in aciem *contrà Cæsarem* duxit. Tamen & *bellua* κατ' ἐξοχὴν *hyæna*; annotante *Salmas. ad Capitol. Gordian. p.* 268. Eodem modo *feros* dixerunt *equos.* Vide *Bernegg. in Iust. lib. XXXVII. c.* 3. §. 4. *Giphan. indice Lucretiano*, in *Vertere. Vossium in Velleji lib. II. c.* 76. & addendum illud *Petronii* de eqvo Durio: *Hoc titulus fero incisus.* Usurpat & *Prudentius lib.* περὶ στεφάνων *hym.* 11.

§. 9. *In Apuliâ deinde apud Asculum melius dimicatum est*] Sudarunt in hoc qvoq; loco viri docti, qvod ex notâ *Freinshemii* doceberis. Sed nihil mutandum. *Asculum* duplex: *altera*, Picenæ gentis caput, antiqvissima, & *Asclum* Antonino, *Asculus* Paulo Diacono, Ἄσκλῳ Stephano. (sicut qvàm *Tusculum* Latini, Græci sæpius Τοῦσκλον vocant, ut docet *Casaub. ad Strab. l. V. p.* 111. *lit. B.*) Episcopatus hodiè dignitate nobilis. *Merula* mavult accensere *Samnitibus*, velut ad australiorem *Aterni* fluminis partem sitam, cùm *Picenum* ad borealiorem capiat initium. De hâc non est in-

intelligendus Florus. *Altera* ejusdem nominis in *Apuliâ Daunià*; qvæ hodiè titulo Ducatus itidemq; Episcopatus celebris, aliis veterum *Ascolum*, Appiano Ἄσκλον, vulgò *Asculo*; sed cognomine *Satriano*, ad differentiam alterius, qvod in Piceno, teste *Mazzellâ* dicitur. Meminit ejusdem *Johannes Juvenis lib. V. c.* 12. *de Antiquit. & variâ Tarentinor. Fortunâ. Zonaras tom. II. Annal. p.* 47. ibi: *Vere instante, Pyrrhus impressione in Apuliam factâ, multa vi, multa deditione occupavit, donec Romani ad Asculum oppidum contra eum castra posuerunt.*

§. 9. *Vnius proboscide absciss â*] Qvod erat facile. Vide *Freinshem. in Curt. lib. IIX. cap.* 14. §. 29.

§. 10. *Postremus q; fugientium ipse Rex*] Ut strenui solent. *Livius lib. XXI. c.* 4. de Hannibale: *Equitum peditumq; longè primus erat. Princeps prælium inibat: ultimus conserto prælio excedebat.* At contrà Xerxes *infrà fœminam timidus, primus in fugâ, postremus in prælio semper visus est*; teste *Iust. lib. II. c.* 10. §. 23.

§. 11. *Exitum quem datura virtus fuit, casus dedit*] Ita *Romanis in sinum victoria de cœlo devolavit*, ut loqvitur *Liv. lib. VII. c.* 12. De *Timotheo*, Duce Athenienſium, legimus; pictum fuisse in tabulâ *dormientem, fortunam autem reti urbes implicantem*, apud *Plut. in Sullâ p.* 454. Sed id contumeliæ, qvàm laudi, propius esse, pruden-

ter animadvertens Florus, *addit*: *Quem datura virtus fuit.* Vult dicere; Absq; casu fuisset, Romanis victoriam dedisset virtus sua. Similiter *Statius lib. IX. Thebaid.* de Capaneo:

Voti sese facit ipse potentem.

Cicero in Paradoxis: *Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quiq; in se uno, sua ponit omnia.*

§. 12. *Omnia circà quasi hostilia gravitimore permiscuit*] *Lucretius* elephantos *lib. V.* egregiè dixit *commune malum*, ut scilicet *communem* Martem præter alios innumeros *Cic. lib. VI, epist. fam. 4. pro Milone, pro Sextio, & Philipp. X.* ut *communes* Deos, qvi utrisq; partibus favent; ut *Salmasius* docet *ad Tacitum Vopiscip.* 420. Nimirum & illi nunc suos, nunc ipsum hostem juvant. Hinc & *Curt. lib. IX. c.* 14. §. 16. vocat *anceps auxilii genus.* ubi plura *Freinshemius*; Qvibus addo *Agathiam lib. III. p.* 94. ubi de elephanto Persarum, qvi suos magno malo affecit: *Ognarus irruentem in se horrendum in modum quendam è ferocioribus elephantis, magnâ vi ad imam frontem circa supercilium hastâ ferit, spiculo ita adacto atq; impacto, ut quod reliqvum erat hastæ, propenderet. At hic acceptî ictus impatiens, atq; insuper hastâ circa oculum rotante perturbatus, retrò actus, atque in orbem se versans, & proboscidem nunc quidem instar flagelli huc illuc torquens, multos Persarum percussit, & in altum*

altum jecit; nunc verò eandem in longum extendens, horrendum quendam & immanem stridorem edebat, mox verò etiam super se stantes excussos prostravit, & proculcatos extinxit: totum deniq; exercitum Persicum conturbavit, &c. At qvomodo huic malo medendum esset, docuerat Asdrubal apud *Liv. lib. XXVII. c.* 51. qvem locum observavit *Freinsh. ad hoc caput, §. 9. lit. Z. & apud Ammianum Marcellinum lib. XXV.* cui ex observatione *Virdungi* jungendus *Seneca lib. de Provid. c.* 6. ibi: *Magnarum virium animalia humanæ manus ictus impellit; tenui ferro commissura cervicis abrumpitur; & cùm articulus ille, qui caput collumq; committit, incisus est, tanta illa moles corruit.*

§. 14. *Nec verò tantùm armis & in campis, sed consiliis quoq; & domi cum Rege Pyrrho dimicatum est*] Hic ampliùs ostendit, *Deos Romanis dormientibus non omnia confeciss*e; ut mentem ejus explicem verbis Terentianis, *Act. IV. Adelph. sc.* 5. Vult enim domi vigilasse, & adhibuisse in omnibus prudentiam. Hoc illud ipsum est, qvod *Polybius duobus primis libris* disserit, Romanos neq; forte fortunâ, ut Græcorum nonnulli arbitrabantur, neq; casu, sed ratione cum primis probabili, non solùm cogitare cœpisse de imperio orbis terrarum ac dominatu; sed etiam propositum esse assecutos. Et profectò nemo qvisqvam vel minoris momenti bellum suscepit feliciter, nisi domi consiliis instructissimus sit. Sapienter

Cic.

Cic. lib I. de Officiis: Parva sunt arma foris, nisi sit consilium domi. Tacitus lib. I. Ann. cap. 67. Arma consilio temperanda sunt. Sed & qvi *Palladem* Jovis *è capite prognatum* commenti sunt, id scitè sapienterq; innuerunt, *Reges arma sine consiliis suscipere non debere*; qvæ sunt verba *Themistii Orat. V. pag. 39.*

§. 15. *Nam interemptos cremavit, captivosq; indulgenter habuit, & sine pretio restituit]* Credidit Romanos generosis atqve nobilibus eqvis similes, qvi calcitrosi, mordaces, & refractarii, calcaribus aut fuste sævientibus; at demulcentium blanditiis ac freqventi palpo facilè reguntur. Fecit qvod Medici solent, qvos, ubi usitata remedia non procedunt, tentare contraria, præter experientiam, docet Romanus Sapiens *l. I. de Clem. cap. 9.* Igitur beneficiis & humanitate prosequi, qvàm bello, suisq; ac sociorum viribus persequi decrevit. Idem *Mithridatis* consilium fuit, captivos qvosq; in patriam remittendi; nec sanè caruit successu; de qvo videndus est *Diod. Siculus in Exc. Peir. p. 100.* Successit hoc consilium *Camillo* feliciter, cùm *Falisciis* liberos suos cum magistro perfido reddidisset. *Tanta mutatio animis est injecta* (inqvit Liv. lib. V. c. 27.) *ut qui modo efferati odio Veientium exitium quàm pacem mallent, apud eos pacem universa posceret civitas.* Vide plura apud *Grut. disc. 25. in Tacit.* Cæterùm de Romanis dici poterat illud *Cratini* apud *Suidam*: Ἁλώπηξ ὁ δωροδοκήσας; larus

larus & alia quadam aues escâ capiuntur, vulpes non item.

§. 15. *Interemptos cremavit]* Eandem humanitatem præstitit *Hannibal Æmilio Paullo*, ut est apud *Silium Italicum lib. X. & Marcello* apud *Liv. lib. XXVII. c. 30.* Adde *Piccart. dec. 6. cap. 6. Camer. Centur. 2. c. 64.*

§. 15. *Cremavit]* Id honorificentissimum facilè est colligere *è Tacit. lib. V. Histor. c. 5. §. 7.* Vide *Iohannem Kirchmannum de Funer. lib. I. cap. 2. sub f.*

§. 15. *Captivosq; indulgenter habuit, & sine pretio restituit]* Qvod itidem fecere præstantissimi bellatores, ut docet *Freinshem. ad. Curt. lib. VII. c. 9. §. 18 Grotius lib. III de I. B. ac P. c. 14. num. 9.* Adde illud *Polybii lib. III. c. 69.* de Hannibale: *Captivos intolumes secum abduxit, id spectans, ut hoc edito animi sui specimine, eos, qui temporibus deprehensi à Romanis stetissent, admoneret, posito metu clementiæ suæ non diffidere.* Idem dicit, *cap. 77. & 85.* nec excidunt, qvæ refert *c. 99.*

§. 17. *Omnium vulnera in pectore]* *Iustinus lib. IX. c. 3. §. 10.* de Athenienſibus: *Adversis vulneribus omnes loca, qua tuenda à Ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Tacitus lib. III. hist. c. 84. Cecidere omnes contrariis vulneribus versi in hostem; ea cura etiam morientibus decori exitus fuit.* Eadem *honesta* appellat *lib. I. Ann. c. 49. §. 4. Quàm si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Val M. lib.*

M. lib. III. c. 2. ex. 24. de L. Sicinio Dentato: Tradunt XLV. vulnera pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo.

§. 17. *Quidam hostibus suis immortui*] Notavi alibi morem veterum, qvi deficientibus telis ac viribus, cùm brevi morituros se ac lapsuros animadverterent in terram, collectis extremis viribus in adversarii sui corpus se conjiciebant. *Lucanus l. VI. v. 207. de Scævâ:*

Iam gradibus fessis, in quem cadat, eligit hostem.

Statius lib. XI. de Polynice:

----- Nec plura locutus
Concidit, & totis fratrem gravis obruit armis.

Adde supra *c. 10. §. 8.*

§. 17. *Omnium in manibus enses*] *Xenophon* de Agesilao Rege, describens *pugnam* acerrimam ad *Coroneam p. 660.* in qvâ victoria penes Agesilaum stetit: *Commisso jam prælio, videre erat illo in loco, quo congressi fuerant, terram sanguine conspersam, cadavera tàm amicorum quàm hostium, sparsim inter se jacentia, pertusos clypeos, confractas hastas, pugiones vaginis nudatos partim humi, partim in corporibus, partim ipsis in manibus harentes.*

§ 17. *Relictæ in vultibus minæ, & in ipsâ morte ira vivebat*] Ὀξύμωρον, cujusmodi est illud Pœtæ:

Hæc cura & cineri spirat inusta meo.

De abscisso *Marii* capite *Ascon. in Orat. Cic. habitam*

bitam in Togâ candidâ pag. 150: *Caput etiam tum plenum animæ ac spiritus. Virdungus.* Vide notam ad *Sallust Catil. c. 61. §. 2. Freinshem. Indic. in Irâ.*

§. 18. *O quàm facilè erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus*] Fuit profectò singularis Romanorum militum virtus, etiam cùm Duces graviter peccarent. Qvod vel hoc ipsum tempus confirmat, qvo post pugnam ad *Sirim* depugnatam C. Fabricium dixisse refert *Plutarchus in Pyrrho p. 394. Non ab Epirotis Romanos, sed Albinum à Pyrrho victum; nec cladem militibus, sed Duci ferendam expensam.* De simili victoriâ Cadmæâ *Brunn. lib. VIII. p. 614.* Valdè etiam memorabile est, qvod scribit *Polyb. lib. II. c. 33.* ubi de pugnâ Rom. cum Gallis: *Flaminius Consul parum prudenter suo exercitui in hac pugnâ consuluerat. Ad ripam enim ipsam fluminis instructâ acie id corruperat, quo præcipuè Romanum præliandi genus excellit. Quippe nullum à tergo spatium reliquerat, quo se pedetentim recipere cohortes possent. Itaq; si vel minimum inclinari aciem inter pugnandum contigisset, in fluvium sese projicere fuissent coacti. Ea Romani milites virtute suâ insignem victoriam adepti, prædâq; onusti Romam redierunt.* Vide de Vitelliano exercitu Tacit. *lib. I. Hist. cap. 62.* Huc pertinet illud *Livii lib. VI. c. 30.* de bello Volscorum: *A Ducibus utrobiq; prodita temeritate atq; inscitiâ res: Quicquid superfuit fortunæ Populi Romani, id militum etiam sine rectore stabilis virtus tutata est.* Ubi

Vir

Vir eruditissimus, *I.F. Gronovius* legendum putat: *Quicquid superfuit, Fortuna populi Romani, & militum, etiã sine rectore stabilis virtus tutata est.* è simili ejusdem *Livii lib. XXXV. c. 6. M. Claudius scripserat, Fortunæ Populi Rom. & militum virtuti gratiam habendam, quòd res benè gesta esset. Consulis operâ & militum aliquantum amissum.* Aliàs maximum momentum in Duce; ac ferè citiùs debellatus esset orbis, si, qvod seqvitur, Pyrrho Rege militassent Romani. Qvod qvale sit, intelligens *Demades* Orator, cùm *Philippus* Rex Macedoniæ inter pocula jactaret, *Vbi nunc est nobilitas & præstantia civitatis Athenienſium? Cognosceres*, inqvit, *Rex, civitatis vim, si Philippus Athenienſibus, Charet autem Macedonibus imperaret*, ut extat apud *Stobæum sub tit. de Imperatoribus.* Macedones ante contemti, virtute *Philippi* formidabiles. *Freinshem. in Suppl. Curt. lib. I. c. 1. §. 10.* Simile, qvod refert *Strabo lib. XIII. Geographiæ* de C. Flavio Fimbriâ: *Is Dux exercitus factus ad Ilium accessit: oppidanisq; eum velut latronem non recipientibus, re cum ariolo communicatâ, oppugnatione aggressus, urbem undecimo die cepit. Cum quidem jactanti, quod intra undecim dies in potestatem suam redigisset eam urbẽ, quam Agamemnon, mille navium classe & totius Græciæ exercitu instructus, non nisi ægrè decimo cepisset anno, quidam Ilienſium sic respondit: Non erat nobis Hector, qui pro urbe pugnaret.* Consule *Grut. ad Tacit. Discurs. 10. Lucanus lib. V.*

-- orbis Iberi
Horror, & Arctoi nostro sub nomine miles,
Pompejo certè fugeres duce. Fortis in armis
Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis
Cum duce prælato terras atq; æquora lustrat.

§. 19. *Cui quasi ab angve Lernæo tot cæsa hostium capita de sangvine suo renascuntur*] Similes in hoc Romanis *Alamanni*; de qvibus *Amm. lib. XXIIX. p. 376.* Alludit autem Florus ad notissimam vulgò fabulam, & angvem illum, qvi ὄφις πολυκέφαλος ab Epigrammatographo dicitur. *Isidorus lib. XI. c. 3. Dicunt & hydram esse serpentem cum novem capitibus, quæ latinè scedra dicitur, quòd uno cæso, tria capita, excrescebant. Fridericus Lindenbrogius* notis in XII. Herculis labores p. 323. emendat: *Quæ latinè excetra dicitur.* Hinc omnes, qvibus unius mali sublati loco plura oriuntur, dicuntur ὕδραν τέμνειν, *hydram secare.* Usurpat *Plutarchus in lib. de Fortunâ Alexandri.* Poterat & è *Senecæ lib. I. Clem. 8.* uti hac similitudine: *Quemadmodum præcisæ arbores plurimis ramis repullulant, & multa satorum genera ut densiora surgant, reciduntur: Ita mea victoria auget hostium numerum tollendo.*

§. 20. *Cùm perorante Appio Cæco*] Dignus *Plutarchus in Pyrrho*, qvem narrantem hæc audiamus: *Multi erant evidenter ad pacem propensi, quòd ingenti superati pugnâ essent; & alteram cum majoribus copiis Italorum Pyrrho adjun-*

cto-

ctorum expectarent. Ibi Ap. Claudius clarus vir, qui senectutis vel cæcitatis causâ fatiscens Rep. abstinebat, acceptâ Regis legatione, & rumore dilato, decreturum Senatum pacem, non potuit sibi temperare, quin servos juberet, ut tollerent se; & in lectica per forum deportarent in curiam. Ut ad valvas pervenit, exceperunt eum filii pariter & generi, cingentesque latera ejus, introduxerunt. Ille illicò exorsus dicere, Hactenus, inqvit, oculorum incommodum P. C. molestè tuli: nunc & surdum me esse velim, ut quemadmodum ora vestra intueri pallentia frigidaq; non possum, & reliqua timoris signa certa, ita nec audire consilia abjecta & complorata valeam, &c. A qvâ oratione non valdè abludunt, qvæ apud *Photium in excerptis è vitâ Athanasii* p. 499. legimus: *Cùm Julianus Imp. Constantinopoli sacrificaret publicè, Mares Chalcedonis Episcopus, manu ductus (erat enim pro senectute hebes ejus visus) Imperatorem Apostatam jurgio lacessivit. Ille verò convitia regerebat, cacum & improbum vocans, nec posse illi Galilæum DEum mederi, exprobrabat. Mares verò respondit liberè: Gratias ago DEO, qui occæcavit me, ne tuum impudens os ac tenebricosum viderem.* Similis ferè locus apud *Tacitum lib. III. Ann. c. 53.* ubi Tiberius scribens è Campaniâ ad Senatum: *Subtrahi oculos meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiã viderem eos, ac velut deprehenderem.* Vibius Serenus apud eundem *lib. IV. Ann. c. 28. Redderent exilium, ubi procul tali more ageret.*

§. 20. *Pul-*

§. 20. *Pulsi cum muneribus suis legati*] Huc pertinent, qvæ disserit *Berneggerus quæst. in Tac. 16. & 80.*

§. 20. *Vrbem templum sibi visam, Senatum Regum consessum*] Adeundus *I. Lipsius de Magnitud. Rom. lib. IV. c. 1. & 2.*

§. 21. *Medicum venale Regis Pyrrhi caput offerentem Curius remisit*] De hoc Medico *Vales. ad Amm. p. 400.* Commentarii vicem ista *Liviana lib. XLII. c. 47.* erunt: *Non per insidias & nocturna prælia, nec simulatam fugam, improvisoq; ad incautum hostem reditus; nec ut astu magis quàm verâ victoriâ gloriarentur, bella majores gessisse: indicere prius quàm gerere solitos bella, denuntiare etiam, interdum locum finire, in quo dimicaturi essent. Eâdem fide indicatum Pyrrho Regi medicum vitæ ejus insidiantem: eâdem Falisci vinctum traditum proditorem liberorum. Hæc Romana esse, non versutiarum Punicarum neq; calliditatis Græcæ, apud quos fallere hostem quàm vi superare gloriosius fuerit. Interdũ in præsens plus profici dolo quàm virtute: sed ejus demùm animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neq; arte neq; casu, sed collatis cominus viribus esse superatum.* Et hujusce virtutis memoriâ *Tiberius* Senatusqve Romanus *Adgandestrio*, Cattorum Principi, mortem Arminii promittenti, si patrandæ neci venenum mitteretur, respondit: *Non fraude, neq; occultis, sed palàm & armatum Populum Romanum hostes suos ulcisci. Quâ gloriâ*

inqvit Tacitus lib. II. Annal. c. 88. §. 2. *æquabat se priscis Imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum Regem vetuerant, prodideranté.* Simile vide apud *Brunnerum lib. X. pag.* 830. Hanc ipsam mentem fuisse Achæis scribit *Polybius l. XII* l. *histor. c.* 1. *Fuit*, inqvit, *cui in tractandis negotiis dolus malº placeret, quem Regi convenire nemo sanè dixerit: etsi non desunt, qui in tàm crebro usu hodiè doli mali, necessarium eum esse dicant, ad publicarum rerum administrationem. Cæterum Achai ab ejusmodi mente quàm longissimè aberant, qui quidem dolosas ergà amicos machinationes Imperii amplificandi gratiâ adeò abhorrebant, ut ne hostes quidem per fraudem vellent vincere. Quippe qui victoriam nullam neq; satis illustrem neq; stabilem ducerent, nisi quis propalàm hostes aggressus, animos ipsis suâ virtute fregisset.* Adde *Freinshem. ad Curt. lib. IV. c.* 1. § 12. Cæterùm hæc de hostibus propriè ita dictis vult accipi *Tacitus*, non de transfugis aut perfidis. Ejus *lib. XI. Ann. c.* 19. verba sunt: *Misit* (Corbulo) *qui majores* (hancos *ad deditionem pellicerent, simul Gannascum dolo aggrederentur: nec irrita aut degeneres insidiæ fuêre adversus transfugam & violatorem fidei.*

§. 21. *Oblatam sibi à Rege imperii partem repudiavit*] Eadem virtus Scipionis *Africani majoris*, qvam ob id multis extollit *Polybius lib. X. cap.* 37. ubi inter alia: *Occasionem sæpè est nactus parandi sibi Regii dominatus, in quacunq; tandem instituisset ac voluisset orbis terrarum parte; quæres, non dicam humanum ingenium, sed etiam divinius aliquod, si ita fas dicere, poterat inducere, ut per superbiam moderationis fines migraret. At Scipio universos mortales animi magnitudine longo adeò superavit intervallo, ut bonum, quo nec optari quidem à Diis majus quicquam ausit, regnum dico, fortunæ beneficio sibi sæpiùs oblatum sit aspernatus; dum pluris faceret patriam, & fidem ergà ipsam, dominatione, propter quam omnes eum suspecturi erant, & beatum prædicaturi.*

§. 22. *Quasi luxuriam Censoriâ gravitate damnaret*] *Iuvenalis* huc respicit *sat. XI.*

Cum tremerent autem Fabios, durumq; Catonem,
Et Scauros, & Fabricios, rigidiq; severos
Censoris mores etiam collega timeret,

Hæc *Virdungus*. Fuit hoc, si qvod aliud, magnum Reipublicæ fulcrum, ne mores luxus affligeret; qvem hodiè elegantiarum & decori appellatione tàm artificiosè, non dicam excusare, sed commendare sciunt. Ut habeat luxus, qvibus se producat & explicet, omnia ἄνω κὴ κάτω ποιεῖ. Vide qvæ congessit *Hugo Grotius notis ad lib. I. de I. B. ac P. c.* 2. §. 8. *p.* 41. 42. 43.

§. 23. *Quis ergò miretur his moribus*] Cum his conferenda, qvæ disserui *ad Val. Maximi lib. I. cap.* 1. *dissert.* 1. §. 2. Imperia semper transferri ad meliores.

§. 24. *Totâ tremente Campaniâ, Lirim, Fregellasq; populatus*] Liris est nomen fluvii apud

alios, qvi *Campaniam* à *Latio* disterminat, olim Clanis, ut legimus apud *Strabonem* & *Plinium*; hodiè autem *Garigliano* dicitur: idq; nomen à *Gauro* monte, non procul ejus ostiis natum existimatur, erumpens, ut idem *Strabo* notat, circa *Soram*; inde per *Fregellas*, *Minturnas* & *Vestinos* lapsus, ad lacum Fr entalem mari invehitur. Cæterum hoc loco nomen videtur oppidi; de qvo tamen nihil alibi memini legere. Puto igitur locum corruptum, vel mutilum; ac forsan legendum: *Totam trementem Campaniam usq; ad Lirim Fregellasq;*: ut sit sensus: Pyrrhum tunc totam *Campaniam* populatum esse, usq; ad initium Latii, ubi *Liris* fluvius, & fluvio adsitum oppidum, *Fregellæ*. Hæc *Virdungus*. *Freinshemius in Indice*, Lirim hîc putat, esse *oppidum*: Mihi videtur, locum sanum esse, & ut alibi, sic hoc loco, Florum locutum *Poëtarum in morem*; Lirim scilicet dixisse pro accolis ejusdem fluvii: sic *Petronius* dixit *Nilum* pro *Ægyptiis*:

Et Lybiæ cerno, & tua, Nile, gementia castra.

ubi tamen qvidam malunt *gementia claustra*. Sit ita. Tamen eodem in carmine *Rhenum* dixit pro *Germanis*:

---------- dum Rhenum sanguine tingo.

Et mox Pompejus *terror Hydaspis* dicitur,

---------- Quem fracto in gurgite Pontus,
Et veneratus erat submissâ Bosphorus undâ.

§. 27. *Apulus atq; Lucanus*] *Salmasius in Tertull. lib. de Pallio p.* 158. *Tolerabilius est* Afrum pro

pro Afris, *vel* Pœnis *poni, quàm* Alexandrum *pro* Alexandrinis; *nam* & Romanus, Tarentinus, *pro* Romanis, Tarentinis *apud* Florum *& alios*.

NOTÆ AD CAP. XIX.

§. 1.

Omnis mox Italia pacem habuit] Hucusqve gravissimis bellis semetipsos confecerunt Itali, donec fortuna Italiæ daret caput. Unde stabilitur assertio politicorum: *unum idemq; magnum imperium longè præstantius, ac subditis conducibilius esse, multis parvisq; regnis semper litigantibus.* Idem qvale sit, Galliam fuisse expertam *Cerealis* apud *Tacit. lib. IV. Histor. c.* 74. docet: *Regna bellaq; per Galliam semper fuere, donec in nostrum jus concederetis.* Adde *Lipsi. lib. IV. de Magnitud. Rom. c.* 13. ubi multis docet, qvanta pacis bona sint sub magno imperio, & uno capite, ac mox de nostrarum rerum statu, *Europa*, inqvit, *quàm jam à multis seculis expers eorum est? jactatur assiduis bellis, & dissidiis. Quare? quia regna & Dynastiæ parvis aut modicis finibus inclusæ, semper in vicinos causam habent timendi vel sperandi, querendi vel ulciscendi.* Qvod ibidem de pace Romani Imperii disserit, confirmant ista loca. *Sen. epist.* 91. ubi de subito & tristi incendio coloniæ Lugdunensis: *Quis hoc credat? Vbiq; armis quiescentibus, cùm toto orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum, quod ostendebatur in Galliâ, quæritur.* Et lib. I. de

Clem. c. 1: *Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum, stringentur.* Ubi Lipsius: *Toto enim orbe Romano tunc fere pax, & conditi enses.* De Providentiâ c. 4. *Gentes, in quibus Romana pax desinit.* Hæc *Lipsius.* Arguit & illud, qvod refert *Tac. lib. XIII. Ann. c. 35.* de solutâ disciplinâ Romanâ: *Syriâ transmotæ legiones, pace longâ segnes, munia Romanorum agerrimè tolerabant. Satis constitit, fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigilias iniissent.*

§. 1. *Nisi quod ultrò persequi socios hostium placuit*] Qvando enim in comitiis centuriatis bellum jubebat populus cum Rege vel civitate qvadam iniri, simul ferè jubebat cum iis qvi ejus Regis & civitatis sectam secuti essent. Vide defensionem Manlii Vulsonis apud *Livium lib. XXXIIX.* & *Albericum Gentilem in Syntagm. de Jure belli.* Hæc *Virdungus.*

AD CAPUT XX.

§. 2.

Allentini Picentibus additi] Notavi olim ad hunc locum, fuisse eam populi generosi vim, ut non hostes externos magis, qvàm perfidos ac rebelles persequeretur. Qvâ de re pulcherrimus est locus apud *Liv. lib. XXVI. c. 13. Cùm hostis alienigena in Italiâ esset, & Annibal hostis, & cuncta bello arderent, omissis omnibus, omisso ipso Hannibale, ambos Consules & duos Consulares exercitus ad Capuam*

puam oppugnandam miserunt. Annibal ad ipsam urbem Romam infesta signa ferri jussit; eam quoque tempestatem imminentem præveruni. Transgressus Anienem, tria millia passuum ab urbe castra posuit: postremò ad mœnia ipsa & portas accessit, Romam se adempturum eis, nisi omitterent Capuam, ostendit; & non omiserunt. Feras bestias cæco impetu ac rabie concitatas si ad cubilia & catulos earum ire pergas, ad opem suis ferendam avertas: Romanos Roma circumsessa, conjuges, liberi, ara, foci, Deûm delubra, sepulchra majorum temerata ac violata à Capuâ non averterunt; tanta aviditas supplicii expetendi erat. Eadem severitate ulti sunt legionem Campanam A. U. 492. qvæ Duce *Jubellio* defecerat: *Quatuor millia* fuisse *Polybius* scribit; sed *trecentos* tantùm in deditione *Rhegii* captos, reliqvos in oppugnatione cæsos fuisse. *E trecentis*, singulis diebus *quinquageni* virgis cæsi, & securi percussi sunt, nec cuiqvam remissum atrocissimum supplicium. Hæc, ut dixi, olim; sed parùm huc facientia. Nam *Sallentini* fuêre *sui juris*, & à Romanis ob hoc unum debellati, ut *Brundusium* occuparent, portuosam urbem, ex qvâ facilis est in *Græciam* & *Illyricum* trajectus. Interim prætextum, juvisse Pyrrhum, & infestasse socios; ut nos docet *Zonaras.* Fraus in historiis nota. Vide *notam ad c. 16. §. 1. & cap. 18. §. 6.* & adde *Clapmarium lib. V. de Arcan. Rer. c. 11.*

§. 2. *Pastoria Pales*] Erat hæc *Dea pastorum*, cujus festum *Palilia*; ut ait *Paulus, Festi mutilator*: Vel *Parilia*, qvoniam pro *partu* pecoris eidem

dem sacra fiebant. Hæc *Paulus*. Cæterum *Palilia* liqvet *Parilia* qvoq; dicta fuisse ob familiarem veteribus inter se permutationem literarum L. & R. Eo festo pastorum (hoc est XX. Aprilis) *Romam* à Romulo & Remo *conditam*, notum est, de qvâ re præter alios *Varro in lib. II. de Re Rustică. Plutarch. in Romulo*. Hæc supra laudatus Virdungus. Addendi *Pighius lib. I. Ann. p. 14. Tomasinus libr. de Donariis. cap. 28.*

§. 2. *Vltrò poposcit*] Idem *Virdungus* existimavit, hoc à veteribus fuisse confictum ob vitæ genus, qvod tempore pacis coluerit *M. Atilius Regulus*. Constare namq; è *Columellæ lib. I. cap. 4.* fuisse agriculturæ studiosissimum. Columellam confirmant *Seneca Consolat. ad Helviam c. 12. Valer. M. lib. IV. c. 4 Epitom. Liv. 18.*

NOTÆ AD CAP. XXI.

§. 2.

Libertatem à dominis datam in ipsos erexerant] Factum & in Romanâ Republ. ut beneficium libertatis converterint in patronorum injurias. Unde apud *Tacitum lib. XIII. Ann. c. 26.* legimus, actum in Senatu *de fraudibus libertorum*, efflagitatumq;, ut adversus malè meritos revocandæ libertatis jus patronis daretur. Adde *Sveton. in Claud. c. 25.*

§. 2. *Translatâq; in se Republ. dominabantur*] Qvod etiam servi ausi sunt apud Tyrios *Just.*

Just. lib. XVIII. c. 3. apud Sarmatas, *Marcellinus lib. XVII.* Mammeluci apud Ægyptios: *Martinus à Baumgarten in Itin. lib. I. c. 28.* Etiam recentiore memoriâ in *novo* illo *orbe*, per magna qvædam *Æthiopum servorum* manus adversus Dominos excitata, vix magno labore comprimi potuit, ut est *in Dialogis de Regni Regisq; institutione unà cum discursibus Scipionis Amirati editis lib. II. p. 65.* Adde nonnulla è *Bernec. quæst. in Tac. 134.*

AD CAPUT XXII.

§. 1.

Qvædam adhuc ex pastoribus feritas quiddam spirabat in domitum] De hac feritate pastorum *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 364.* Ea qvoq; feritas inerat *Bruttiis*, qvi ab initio pubertatis inter pastores in sylvis habebantur, ut scribit *Justin. lib. XXIII. c. 1. §. 8.* Unde *Pighius* judicat, *primis temporibus valdè utilem fuisse Regium statum, imò propè necessarium. Neq; enim*, inqvit, *pastorum convenarumq; incondita multitudo contineri potuisset, nisi ad nutum unius absoluti imperii ab initio fuisset coacta respicere. Nam soluta metu suprema potestatis, popularibus protenus seditionibus (uti post exactos Reges non semel contigit) agitari in diversum cœpisset, atq; summâ cum Reipubl. pernicie, certoq; periculo, civili cùm patribus contentione decertasset.*

§. 2. *Lapidavit*] Flagitium militiæ freqvens in historiis. Vide *Freinshem. ad Curt. l. VI. cap. 11. §. 38.* Adde *Tacit. 2. Histor. 29.* ibi: *Hæc ferociter jactan-*

ctando, postquam, immissis lictoribus, Valens coërcere seditionem cœptabat, ipsum invadunt, saxa jaciunt, fugientem sequuntur. Spolia Galliarum, & Viennensium aurum, & pretia laborum suorum occultare clamitantes, direptis sarcinis, tabernacula ducis, ipsamq; humum, pilis & lanceis rimabantur. Simillimum ferè facinus conscivêre *Turcici milites* in expeditione *Persicâ*, dum ducis exercitus *Ferhati Bassæ*, qvem ob avaritiam ac sordes pessimè oderant, tentoria involantes, & qvicqvid ibi & alibi ejus impedimentorum nacti, diripiunt, ut scribit *Minadous lib. VI. Belli Turco-Persici.* E qvibus constat, hoc plerumq; fieri *Ducibus avaris*, & milites defraudantibus, non item leonibus ingeniis, qvos seditiones sæpè vultus auctoritate compescuisse legimus; ut *Alexandrum M. Scipionem Africanum, Julium Cæsarem, & Octav. Augustum.* Hoc est, qvod dicit ipse *Cæsar lib. I. de Bello Gallico*, in concione ad milites tribunosq;: *Quibuscum is exercitus dicto audiens non fuit, aut malè re gestâ fortunam de fuisse, aut aliquo facinore comperto avaritiam esse convictam.*

§. 2. *Noluit vincere hostem, cùm posset*] De hoc ipso videndus *Livius lib. II. c. 59.* Sed & de militibus Decem virorum idem *Liv. lib. III. c. 42. Nihilo militia quàm domi melius Respubl. administrata est. Illa modo in Ducibus culpa, quòd ut odio essent civibus, fecerant; alia omnis penes milites noxa erat, qui, ne quid ductu atq; auspicio Decemvirorum prosperè usquam gereretur, vinci se per suum atq; illorum*

rum dedecus patiebantur. Similia de *L. Luculli*, magni alioqvin Imperatoris, militibus *Plut. in ejus vitâ p. 515. 516. & Dio Cass lib. XXXV. p. 7.*

§. 2. *Detrectantibus pleriq;*] Scilicet ob certamina cum Patribus, non ob formidinem, sicut posterioribus temporibus, cùm *pollices sibi præciderent*, ut tanqvam *inhabiles* dubio *Marti subtraherentur*: qvod è *Lindenbrog. ad Amm. Marcell. lib. XV.* olim docuit *Virdungus.* Cui svadeo addas *Lipsi. lib. I. de Mil. dial. 14. Bernegger. ad Suet. Aug. cap. 24.*

§. 3. *Mater Veturia lachrymis suis exarmavit*] Qvò allusit *Seneca* Trag. in Thyeste:

Nulla vis major pietate verâ est:
Furgia externis inimica durant,
Quos amor verus tenuit, tenebit.
Ira cum magnis agitata causis
Gratiam rupit, cecinitq; bellum, &c.
Opprimit ferrum, manibusq; junctis
Ducit ad pacem pietas negantes.

§. 4. *Obsessis in captâ urbe consenuit*] Ni fallor, sensus hic est: Exulavit patriæ, & ut obsessæ qvondam prodesset, in Urbe captâ ærumnosam senectutem traxit. Videtur redolere superstitionem paganicam. Exilium Camilli in Urbe captâ [Vejentum] qvasi piaculare fuit, ne obsessi cives Romani caperentur; adeoq; calamitate suâ unus satis fecit invidiæ Deorum. Credidisse namqve, privatis injuriis leniri Deûm iram, fusè docui-

mus

mus *ad Vellejum*; & videndi prætereà *Casaub. ad Sveton. August. c. 23. Reines. lib. I. Var. Lect. cap. 20*, ubi docet, *ritum Athenienſium* fuiſſe, ut qvotannis *die ſextâ ac ſeptimâ* Θαργηλιῶνος *virum ac fœminam pro expiatione urbis immolarent, vivos comburerent, colaphis caderent, ramis ſi. ulneis verberarent.* Hoc nempe modo generis humani hoſtis, qvi ex comminationibus divinis *ſemen mulieris contriturum* caput ſerpentis *Gen. III.* & ex illuſtriſsimo *Eſaiæ* oraculo *c. LIII.* ſatisfactionis Meſsiæ præſcius erat, eidem illudere cogitabat.

Auctor beatus ſententiam iſtam manu ſuâ correxit, hoc ſchediaſmate inſerto: Hîc ceſpitavi. Neq; enim in captâ urbe, hoc eſt, Vejis exulavit *Camillus*, ſed *Ardeæ*. Vide *Appian. in Exc. Peir. p.* 548. Neq; tamen ad Romanos, qvi captâ urbe in Capitolio obſeſsi erant, ſi cum viris doctis referamus, omnis nebula disjecta eſt. Qvid enim? Camillus interim conſenuit, dum Romani in Capitolio obſidentur? & poſtqvam conſenuiſſet, auxilium tulit? Næ, ordo narrationis confuſus eſt. Qvid ſi legamus: *Sed hic melior* (ſcilicet Coriolano; nam qvi comparativum iſtum conſtruunt cum obſeſsis, ut dicat auctor, Camillum fuiſſe meliorem obſeſsis; contra mentem auctoris id faciunt) *ſupplices de hoſte Gallo vindicavit, & mox abſceſſuros in captam urbem, continuit.* Duplex fuit beneficium Camilli erga patriam. Primùm obſidionem Capitolii ſolvit, & Gallos expulit: unde *inter jocos* militares *Romulus*, *Parens patriæ*, & *con-*

ditor urbis alter appellatus eſt. Mox, hoc eſt altero anno à vindicatâ Româ, qvam bello ſervaverat, etiam pace ſervavit; graviſsimâ oratione diſsvadendo, ne Populus Rom. ſedem in captam Urbem, hoc eſt, Vejos transferret. Fuit ſanè hoc conſilium inter maxima beneficia relatum à graviſsimis Scriptoribus. Qvamobrem aptè hîc retulit auctor noſter. Sed recedit à MSStis hæc lectio! Qvaſi verò mendæ in hoc Auctore non ſint antiqviores omnibus MSStis, qvos hodiè habemus; qvaſi trajectiones neſciamus, in hoc Scriptore cumprimis obvias.

§. 5. *Vehementius æquo bonoq; certatum eſt*] Cauſæ bonitatem (ita namq; ſentit noſter) impudentiâ corrupere. Vide *notam ad lib. III. c.* 21. §. 12.

AD CAPUT XXIII.

§. 1.

OB impotentiam fœneratorum] Malum, qvod ſæpius afflixit Rempublicam. *C. Mallius in epiſt. ad Q. Marcium Regem apud Salluſtium in Cat. c.* 33. §. 2. *Miſeri, egentes, violentiâ atq; crudelitate fœneratorum, plerique patriâ, ſed omnes famâ atq; fortunis expertes ſumus.* Sæpè latæ leges, ſæpè ſubverſæ. *Tac. lib. VI. Ann. cap.* 16. ad qvem locum conſulendus *Forſtnerus*. Ipſe *Nero* hâc in parte laudabilis, qvi ſexcenties ſeſtertiûm annuûm, id eſt, qvindecies centena millia coronatorum largitus eſt Reipublicæ, ut hâc pecuniâ diſſolve-

solveretur fœnus, redimerentur agri potentiorib⁹ oppignorati, emeretur annona ex publico: qvæ omnia cùm in jacturam cederent fœneratorum, & inter eos sævissimi essent ipsi Senatores, Nero pro tanto beneficio nullas retulit gratias, ut conqveritur *Hieron. Cardanus in encomio Neronis p.34.* [Nexa & oppignerata, propter debita, corpora jam ab antiqvo. *Salmas. de Modo Usur. pag 806. 807.*] Plura de fœnore & usuris Æneas *Tact. cap. 14. Aristot. lib. V. Polit. Bernegg. in Tac. quæst. 134. H. Grot. lib. II. de I. B. ac P. c. 12. §. 29. & notis ad illum locum. Rittershus. lib. IV. Lection. Sacr. c. 2. & l. 7. c. 17. 18.*

§. 2. *Extat orationis antiquæ satis efficax ad concordiam fabula*] Qvantam id genus fabulæ ad capiendos plebis animos vim habeant, docent *Vossius lib. IV. Instit. Orat. p. 200. Grut. ad Liv. lib. II. c. 22.* Extat de hac ipsâ *Menenii Agrippæ, liber à Caspare Dornavio, Medico Uratislaviensi editus.*

AD CAPUT XXIV.

§. 1.

Allatas à Græciâ leges, decem Principes lecti, jubente Populo conscripserant] Cæsar apud *Sallustium in Catil. cap. 51. Majores nostri neq; consilii neq; audaciæ unquam eguere: neq; superbia obstabat, quò minus instituta aliena, si modo probarent, imitarentur.* Vide ibi *notam nostram.* Laudat hanc virtutem *Synesius Cyrenensis Episcopus ep. 57. Mult-*

Multa utilia tempus invenit aut correxit. Non omnia ad exempla fiunt; & singula, quæ facta sunt, initium semel habuerunt. Demus & nos principium meliori consvetudini. Unde peregrinationum qvoqve utilitas & necessitas patet, de qvibus pluta *ad Val. lib. II. c. 6. dissert. 1.* Cæterùm istis *Alcibiades apud Thucyd. lib. VI.* obstare videtur: *Tutissimos eos inter homines degere, qui antiquis legibus meribuq; , etiamsi minus bonis, Rempubl. administrant.* Definit rem totam cum curâ *Erycius Puteanus Comment. in lib. IV. Hist. Insubr. p. 199 & 200. n. 6.* Et in antiqvis legibus mutandis notat levitatem Justiniani Imp. *Alem. in Arc. Hist. Procop. p. 49.*

§. 1. *A Græciâ*] Ab *Athenienses & Lacedæmoniis.* Sed & ab *Æqvis* & à *Falisci*, aliisqve Italiæ populis, scribit *Servius* ad illud Virgilii,

------ *Æquosq; Falisci.*

Qvos imitatos Noribergenses, laudat *Scipio Gentilis in Orat. Nobiliss. V. Dn. Baumgartnero habitâ.*

§. 1. *Decem Principes lecti*] *Anno U. C. trecentesimo altero*, scribit *Livius lib. III. c. 33.* & eum secutus *Cassiodorus.* Capitolina vero tabula A. U. 302. & cum iis etiam *Solinus.* In qvo qvidem nullus auctorum dissensus est. Nam *trecentesimus alter* & *secundus* eundem numerum designant; ut apud *Virg. in Eclog:*

Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus,

non duodecimum, sed *decimum tertium* ætatis annum significat. Hæc *Virdungus.* Similiter *monumentum Ancyranum* de facto censu populi Rom.

POST ANNUM ALTERUM ET QVADRAGESIMUM, hoc est, QVADRAGESIMUM SECUNDUM. Nam ab initio censuræ Cn. Lentuli, L. Gellii, ad qvam respicit Augustus in hoc monumento, ad initium censuræ Augustææ sunt anni 42.

§. 1. *Ordinataq; erat in duodecim tabulis tota justitia*] Ex ejusdem *Virdungi* notis multa qvondam attuli ad hunc locum; sed cùm postea observassem, optimum illum doctissimumq; virum variis laqveis indutum fuisse à *Scaligero*, monui hoc publicè. Ita fas judicabam, qvòd ab ipso sic edoctus essem, veritatem, neq; in magnâ, neq; in parvâ re, scienti prodendam unqvam. Verba Pomponii sunt: *Quas* (scilicet leges à Græcis petitas) *in tabulas eboreas perscriptas pro rostris composuerunt.* Cujacius hanc lectionem retinuit, fuisse scilicet tabulas legum primùm *roboreas* è *Dionys. lib. III. c.* 49. deinde *æneas*, deniq; *eboreas*. Nam & eboreorum & elephantinorum Codicum meminisse *l. LII. de legat.* 3. ut ad hanc ultimam Romanorum consvetudinem Pomponius respexisse videatur. Improbavit hanc sententiam *Scaliger animad. in Melth. Guilandini Papyrum.* Itaqve apud Pomponium *legit roboreas*, id est, *ligneas*, qvales fuerint ἄξονες καὶ σανίδες καὶ κύρβεις Solonis. Movent ipsum rationes seqventes. Primò, inqvit, non fuerunt *æreæ*, qvòd in æs inciſas leges solus omnium memoriæ prodidit *Dionys. Halicarn. lib. X. cap. 66.* cæterorum Scriptorum nemo. II. Nec *ebo-*

oreæ fuerunt; nam adeò beati & delicati Romani tùm non fuerunt, ut in eburneis tabulis leges proponerent; & præterea ebur ineptissima est materia scribendo; flavescit vetustate, & apices literarum abolescunt, ac caduci fiunt. Igitur legit *roboreæ*. Locum JCti *l. 52. ff. de legat. 3.* qvod attinet, *Scaliger* eum vel de pugillatis ceratis intelligit, qvæ ex buxo plebs habebat, divites ex ebore; aut constanter legit *roboreis*, non *eboreis*. Sed & apud Latinos aliud esse *elephantinum*, aliud *eburneum*, ut aliud *elephantus*, aliud *ebur*, ibidem addocet. *Vopiscum* etiam, qvi *librorum elephantinorum* meminit, explicandum de omentis, sive intestinis elephantinis, qvi sit major modulus ad scribendas historias, edicta principũ, SCta, &c. Nam sic scribere Isidorum: *At verò historiæ majore modulo scribebantur, non solùm in chartâ vel membranis, sed etiam in omentis elephantinis.* Hæc *Scaligeri* sententia, qvam seqvebatur *Virdungus*. Mihi unicè probabatur ex historiis restituere *Pomponium*, ut alibi: Legebam ergò: *In tabulas æreas perscriptas.* Nimium enim memoriæ suæ tribuebat Scaliger, cùm non nisi ex *Dion. Halicarnassensi* correctionem istam stabiliri posse, crederet. Qvanqvam enim Scriptor ille propter singularem diligentiam & exactam antiqvitatum Romanarum peritiam unus esse posit instar millium; tamen qvi de XII. tabulis idem narrant, habet Scriptores, omni exceptione majores: *Livius* lib. III. c. 57: *Priusquam urbe Consules egrederentur, leges decemvirales, qui-*

bus tabulis XII. est nomen, in aes incisas, in publico proposuerunt. Et lib. VI. cap. 1. *Inprimis fœdera ac leges (erant autem aeratæ XII. tabulæ, & quædam regiæ leges) conquiri quæ comparerent, jusserunt.* ut eum locum è manuscriptis restituit *Carolus Sigonius in scholiis Livian.* Diodorus lib. XII. c. 26: *Jura igitur Populi Romani sic absoluta, XII. tabulis æneis inciderunt, easq; pro curiâ, rostris affixerunt.* Alludit *Ovid. lib. I. Metam. fab.* 3:

Pœna metusq; aberant, nec verba minacia fixo
Ære ligabantur.

Ubi tamen alii maluerũt: *nec vincla minacia collo Ære ligabantur.* Non benè! Ita firmata correctio nostra, & ostensa falsitas in assertione Scaligeri. Æs a. eligebant propter perennitatem suam. Hinc apud *Horatium*, monumentum *ære perennius.* & observat *VVelserus l. V. Rerum Aug. Vind. p.* 80. ex *Plutarcho* & *Comminio*, *vomer aratri*, quo circumscribebantur ambitus coloniarum, fuisse *æneum*, quòd esset perpetuitatis symbolum. Deinde & illud in *Scaligero* animadvertimus, *Cujacium* & alios (quorum tamen sententiam, ut infra dicam, minimè probamus) plumbeo gladio jugulasse, *tam divites non fuisse Romanos ut in eburneis tabulis leges proponerent.* Atqui jam centum & septuaginta annis ante, *coronæ aureæ, sceptra, sellæ eburneæ, togæ pictæ, tunicæ palmatæ, paludamenta, trabeæ, annuli, phaleræ,* à Tarquinio Prisco introducta; & à Consulib⁹, qui succederent in regũ jus & insignia, retenta fuerunt, ut didicimus è *Flor*

nostro *supra c. 5. & Dionys. lib. III. c.* 84. 85. Armillas aureas tempore Romuli viderant in Sabinis, *supra c.* 1. §. 12. Expulsis Regibus, & sexaginta ferè annis antè latas leges duodecim tabularum, ex fœdere cum Carthaginensibus, *mercaturæ* gratiâ adiisse *Carthaginem*, & *regionem* omnem *Africæ*, cis *Pulchrum Promontorium*, constat è *Polybii lib. III. c.* 23. ut ex his negotiationibus *eboris* habuisse *magnam copiam* nulli dubitemus. *Salmasius præf. in Tr. de Fœn. Trapez. phil. 5. fol.* 2. ubi contra *Cloppenburgium* docet, lege XII. Tabb. fœnus admodum leve fuisse constitutum fœnerantibus, tandem eo usq; provehitur, ut dicat, considerandum esse illius temporis statum: *Nec navigationibus*, inqvit, *nec mercaturis erant dediti. Solis inopibus soli divites fœnerabantur.* Hoc qvidem qvâ auctoritate motus dixerit, non video. E *Polybio* certè *d. l. III. c.* 43. manifestò constat contrarium. Et cui bono exstructa ab Anco Marcio *Ostia*? Effectum ait *Dionysius* lib. III. c. 17. *ut Roma transmarina quoq; bona degustaret.* Sed & cæteris qvæ scripsit Scaliger ὁ συγχαλᾶσθαι ὁ δεῖνα, hoc est, nemo suffragabitur, qvisqvis sit, sicut olim *Antisthenes* loqvebatur, cùm ad ea conferentur, qvæ Illustris *Salmasius in Vopisci Tacitum p.* 416. & post eum *Vossius lib. I. de Arte Grammaticâ c.* 38. scripsere. Qvòd enim negat Scaliger materiam illam diuturnam fuisse & apram scribendo, probat Vosius è *Martialis lib. XIV. Epigr.* 5.

Langvida ne triſtes obſcurent lumina cera,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Ubi & adjicit, ex atramento vulgari perperam judicium fieri de illo, qvo in ebore uſi veteres. Et ne *Scaliger* eò confugeret, de *ceratis* pugillaribus accipiendum apud *Martialem*; urget *Salmaſius* Martialem ipſum, qvi alios à ceratis eboreos pugillares facit, ſed & apertiſsimè candidum & nudũ ebur atramento pingi perſcribiq; indicet; eoqve alluſum putat à *Plauto* in Moſtellariâ: *Unâ operâ ebur atramento candefacere poſtules.* Sed & literas fugere in lubrico illius materiæ, facilè concedit de noſtris iſtis calamis pennacei generis, qvibus hodiè ſcribimus: at veteres, inqvit, alios de harundine habuere, qvos etiam aliter temperabant. Qvarto nec hoc perſvadet Scaliger Salmaſio, aliud eſſe elephantinum, aliud eburneum; cùm *elephantum* pro *ebore*, & *elephantinum* pro *eboreo* non rarò uſurpent. *Virgil. lib. III.* Æneid:

Dona dehinc auro gravia, ſectoq; elephanto.

Ubi Servius: *Pro ebore poſuit, Græcè dixit.* Sic *elephantinum* pro *eboreo* apud *Martianum Capellam*, & in *Iſidori Gloſſis* reperiri notavit idem *Salmaſius*. Rhetores vocant *ſynecdochen totius integralis*, de qvâ figurâ *Voſſius lib. IV. Inſtit. Orator. cap. 8. ſect. 6.* Qvintò & *Ulpiani* vulgatam *lectionem* adverſus Scaligerum retinet Salmaſius, & libros *elephantinos* apud *Vopiſcum* cum *eboreis* codicibus apud *Vlpianum* eosdem eſſe exiſtimans, utrosq; interpretatur *ſectiles ex elephanto*, hoc eſt, ebore tabellas, aliterqve dici elephantina omenta Iſidoro, nempe qvæ ſint elephantis, aliter elephantinos libros, ex elephanto, h. e. ebore ſectili. Hæc ut Scaligeri ſententiam planè ſubvertunt, ita Cujacium & alios nihil juvant, qvi apud *Pomponium* retinuerunt *eboreas tabulas*. Non enim de legibus XII. tabularum, ſuo ævo dicere potuit Pomponius, eboreas fuiſſe; cùm adhuc in ære conſpectas *tempore Cypriani* teſtis ſit ipſe *lib. II. ep. 2.* ibi: *Inciſa ſint licet leges duodecim tabb. & publico ære præfixo jura præſcripta, inter leges ipſas delinquitur, &c.* Atq; hæc maximam partem plurimis etiam & laxis verbis olim diſputata, nunc qvoqve, uti æqvum viſum fuit, revocanda fuerunt; non qvod neſciam illud vetus:

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Sed ne qvis ignarus δευτέρων φρονπίδων reduceret hîc notam illam Virdungicam, Scaligeri auctoritate tàm malè fultam.

§. 1. *Ordinata erat juſtitia*] Unde *Liv. lib. III. c. 34.* fontem eſſe ait omnis publici privatiq; juris. Adde encomium, qvo eas honeſtat Craſſus apud *Cic. lib. I. de Orat.* *Auſonium in numero ternario.* Atq; ob iſtam juris hujus præſtantiam factum, ut cùm qvid in lege ſcriptum eſſe dicerent, κατ' ἐξοχὴν legem aliqvam duodecim tabularum intelligerent, & legitimas hæreditates & legitimas tutelas appellarent, qvæ à legibus XII. Tabb. potiſsimùm proficiſcerentur. Hæc *Virdungus*. Plura *Conrad. Rittersh. comment. in XII. Tabb. Leges, claſſ. I. c. 3.* cui titulus: *quantis elogiis & laudibus præſtan-*

tissimi Scriptores exornarint leges XII. tabularum. & Steph. Pighius in Annal lib. III. p. 146.

§. 1. *Regio quodam furore*] Posit qvispiam suspicari, legendum: *Regio quodam tumore.* Sed recta est vulgata. Docuimus *ad Velleji lib. II. c. 6. §. 1.* de omnibus malis, & contra leges agentibus, dici eos *furere.*

§. 2. *Oblitus juris, quod ipse composuerat*] Videndus *Piccartus dec. 9. c. 8. & d. 12. c. 1. Bernegger. ad Iustin. lib. III. c. 2. §. 8.* & addenda, si meretur, *nota nostra ad Velleji lib. I. c. 6. num. 3.* Unde manifestum erit, nihil esse leges, nisi Magistratus exemplo suo præluceat; imò ludibrio esse leges, si qvod in aliis reprehendit, ipse admittat. Prudentior hac in re Augustus, qvi cùm ipse adulter esset, adulteris facilè pepercit. *Dio lib. LIV. p. 609.* Qvod hic notabis; *Appium Claudium* Decemvirum repræsentavit tempore Ciceronis, unus ex illius posteritate *Appius Claudius*, Appii filius, Caji nepos, Pulcher, Censor, anno 703. collegâ Lucio Calpurnio Pisone Cæsonino; de qvo Cœlius ad *Cicer.* lib. VIII. epist. 14. *Propè oblitus sum, quod maximè fuit scribendum. Scis Appium Censorem hic ostenta facere? De signis & tabulis, de agri modo, de ære alieno accerrimè agere? persvasum est ei, censuram lomentum aut nitrum esse: errare mihi videtur. Nam sordes eluere vult; venas sibi omnes & viscera aperit. Curre per Deos atq; homines, & quàm primum hæc risum veni: Legis Stantiniæ judicium apud Drusum fieri: Appium de tabulis & signis agere. Crede mihi, est*

est properandum. Vide, ut intelligas, ad hunc locum *Manutium.* Simile, qvod legimus apud *Tacitum, lib. XII. c. 8.* ubi de cæde L. Silani, qvi erat amoris incesti reus, & exilio Juniæ Calvinæ sororis illius: *Addidit Claudius sacra ex Legibus Tulli Regis, piacula q; apud lucum Dianæ per Pontifices danda; irridentibus cunctis, quòd pœnæ procurationes q; incesti id temporis exquirerentur.* Justus me hercle risus, qvo prosequebantur Claudium, Silani cum sorore incestum piacularibus sacris luentem, cùm ipse esset in hac culpâ. Nam duxerat Agrippinam, Germanici fratris filiam: Similem *Virginianæ* historiam reperies apud *Brunn. lib. XIII. pag. 636. 637.* sed qvam, ut fabulosam, rejicit.

AD CAPUT XXV.

§. 1.

Matrimoniorum dignitas] Qvorum apud veteres Romanos ea ratio fuit, ut in iis contrahendis & nationis, & conditionis, & gentis, & sangvinis respectus haberetur. Adeundus *Sigonius lib. I. de antiquo jure Civ. Roman. c. 9.* Nec immeritò. Primùm enim confunduntur gentes, & imminuitur splendor antiqvus, si nobilium & ignobilium promiscua sint matrimonia. Secundò, fieri solet, ut eversis nobilibus & antiqvis familiis, irrepant humiles & plebejæ. Nam *asperius nihil est humili, cum surgit in altum*, matrimoniis aliâve fortunæ indulgentiâ provectus. Per matrimonium splendidum occupat Rempubl. Syracusanam

Hiero. *Polyb. lib. I. cap. 9.* magnam potestatem & divitias *Dionysius.* *Memnon* apud *Photium cod. 5.* Romam *Hugo*, *Erycius Put. lib. VI. p. 294.* Plura *Piccart. dec. 9 c. 1. Bernegg. in Svetonii Tit. c. 4. §. 3. & D. Quæst. Miscell. in Tacit. 12. 93. 109. 118. 177. Et in Iustini lib. I. c. 10. §. 14.*

AD CAPUT XXVI.

§. 1.

UT *plebeji quoque Magistratus crearentur*] Hucusq; multis & occultis artibus excluserunt plebem, ne ad honores admitteretur; nefas scilicet esse, ut auspicia transferantur aliò. Ita religio ferè ubiq; fraudium tegumentum est. Nihilominus defenditur hac in parte plebs Romana, qvòd totius populi magna fuerit prærogativa jam Romuli tempore. Nam hic de regno ad populum retulit. *Dion. l. II. c. 2. 3. 4. §. & 6.* sic de regno Tarqviniis abrogando relatum ad populum. *Idem lib. IV. c. 81.* ut taceam de permissis capitalium causarum controversiis. Huc accedebant innumeri pro Republicâ labores, ut justitia ipsa exigere videretur, ne plebeii honoribus diutiùs carerent. Videndus *Aristoteles lib. V. Polit. c. 3.*

§. 3. *Quòd lictoriæ virgæ sonum ignotum penatibus suis expaverat*] Fortè ita incidit, ut cùm in Ser. Sulpitii Tribuni militum Consulari potestate (cui altera ex Fabii filiabus nupta erat) domo, sorores Fabiæ sermonibus tempus terent,

rerent, lictor, qvi Sulpitium, de foro domum se recipientem, præcedebat, januam virgâ percuteret, qvasi ad significandum ejus adventum. Cùm igitur moris insveta Fabia minor, Licinii Stolonis plebeji conjux, ad id expaviſſet, risui sorori fuit. Cæterùm is risus stimulos animo muliebri subdidit, ut maritum perpelleret legem ferre *de communicando cum plebe consulatu.* Ex his patet fundamentum rationis, qvâ *Tiberius* petitionem *Sejani* refutavit, apud *Tac. lib. IV. Ann. c. 4.* ubi inter alia: *Falleris, Sejane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liviam, quæ C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, eâ mente acturam, ut cum equite Romano senescat.* Videndi, qvos modò citavimus *ad cap. 25.*

§. 6. *Nullius acrior custos quàm libertatis fuit*] Brutus in epistolâ qvadam ad Ciceronem: *Nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram, & libertatem.* Eandem animi præstantiam ac generositatem spirat apud *Tacitum lib. II. Ann. c. 10.* colloqvium Arminii cum Flavio fratre, qvem fidum Romanis, sed patriæ infidum, amisso per vulnus oculo, Arminius interrogabat: *unde ea oris deformitas esset? illo locum & prælium referente, quodnam præmium recepisset? quæsivit: Cùmq; ille aucta stipendia, torquem & coronam, aliaq; militaria dona memorasset, irrisit verè ille German⁹, verè Mannus, & patriæ suæ liberator, vilia servitii pretia; fasq; patriæ, libertatem avitam, penetrales Germaniæ Deos fratri ingessit; ne propinquorum & affinium, denique*

gentis suæ desertor & proditor, quàm imperator esse mallet. Nimirum nihil turpius, nihil probrosius veteres ducebant servitute. *Vndè* illud *Hesiodi*: ἥμισυ παντὸς ἀρετῆς ἀποαμεῖ δοῦλιον ἦμαρ. *Dimidium virtutis, auferre servitutem.* Etiam *Euripides* exclamat: τὸ δοῦλον ἐχθρᾶς ὅσον κακόν. *Annon vides, quantum malum sit servitus?* Et in Hecubâ tragœdia: Ἆρ' οἶσθα τὸ δοῦλον ὡς κακὸν πεφυκέναι. *Hei, hei! quàm servitus misera res est!* *Cic. Phil. II.* servitutem *postremum malorum omnium* vocat, *non modò bello, sed morte etiam repellendam.* Similiter *servitus morte gravior* eidem dicitur *lib. II. ad Attic. epist.* 18. Hæcita veteres: & nos libertatem illam, qvæ Arminio & priscis Heroibus tam caro stetit, vendere, efferre, sepelire pergimus? Sic accidit nobis, qvod Romanis, qvibus in Imperio succesimus; qvi feroces qvondam & superbi, postqvam semel vendidissent in æstimabile bonum, & Cæsarum, aliorumqve jugum collo recepissent; omnes alias gentes obseqviorum vilitate longo superarunt intervallo; ut *ad Athenæum* suum differit *Casaubonus.* Idem de Athenienses proditum est, tantam in eorum publicis moribus factam esse mutationem, ut qvi erant acerrimi libertatis vindices, in turpissimam servitutem præcipites fuerint.

§. 6. *Vt in magno, & indies majore populo, interim pernicioſi cives existerent*] Nulla unqvam tàm benè morata Respubl. fuit, in qvâ non extitêre pernicioſi cives. Tales sunt, qvi vel ob divitiarum magnitudinem, vel nimiam potentiam

tiam æqvali cùm aliis civibus jure vivere dedignantur: Item, qvi aut propter metum pœnæ, peccatorum suorum conscii, novos motus conversionesq; Reipubl. qværunt; aut qvi propter insitum qvendam animi furorem, discordiis civium aut seditione pascuntur, aut qvi propter implicationem rei familiaris communi incendio malunt conflagrare, qvàm suo. Cum Flori nostri sententiâ convenit ista *Rhodiorum* apud *Liv. lib. XLV. c.* 23. *Nullam esse civitatem, quæ non improbos cives aliquando, imperitam multitudinem semper habeat.* Unde nec propter unius vel alterius civis flagitium totam civitatem vel nationem odiis & convitiis prosequi debemus, nisi velimus omnis humanitatis dememinisse. Certè *in multis malis reperitur nonnunquam bonus.* Ammian. lib. XVI. p. 61. Similiter *Euphormio Icon. Anim. c.* 4. de Anglis: *Ne ex paucis, ac fortasse plebejis, totam gentem æstiment.* Sapienter *Seneca in excerpt. Controv.* declam. 5: *Nunquam unius malo publica fama corrumpitur.*

§. 8. *Quia plerosq; debitorum liberaverat*] *Appianus in Excerpt. Peiresc. pag.* 548. 549. de hoc singulari erga debitores beneficio: *M. Manlius, stirpis patriciæ, cùm urbem à Gallis servasset, magnis honoribus affectus fuerat. Idem postea cùm senem qui multa stipendia fecerat, ἀγόμενον ἐς δουλείαν ὑπὸ τῶ δανειστῶ γνωρίσας, ἀπέδωκε τὸ χρέος ὑπὲρ αὐτοῦ, judicatum pecuniæ duci à creditore vidisset, agnitum, numeratâ creditori pecuniâ, statim liberavit. Cujus rei causâ cùm ab omnibus celebraretur,* πᾶσιν ἡδὺς τῆς ἑαυτοῦ

ἑαυτῶ χρήσαις τὰ ὀφλήματα, *universis debitoribus suis pecuniam creditam donavit, atq; accepto tulit. Inde amplioreglorià auctus,* ἤδη ὑπὲρ ἄλλων ἀπεδίδου, *etiam pro alienis debitoribus satisfaciebat. Jamq; populari aurâ elatus, novas tabulas populo ostentabat, aut certè agrum publicum, qui nondum erat divisus, ut fœneratoribus in solutum darent, suadebat.*

§. 8. *Altius se & incivilius efferentem*] *Liv. lib. VI. c.* 20. de hoc Manlio: *Vir, nisi in liberâ civitate natus esset, memorabilis.* Fuit igitur homo ἀλιγαρχικὸς, ut *Theophrastus* appellat; de qvo aptè dixeris, qvod de C. Julio Cæsare *Lucanus lib. II. v.* 446.

Concessâ pudet ire viâ, civemq; videri.

qvi prorsus ignarus est status, in qvo vivit, adeoq; muneris sui; qvod præcipuum est, æqvalitatem juris tueri cum cæteris, cùm civitas æqvo jure constet. Qvod qvi faciunt, *civiles* passim dicuntur Scriptoribus; & excelluisse hâc virtute legimus ipsos imperatores, v.g. Augustum apud *Sveton. lib. II. c.* 45. Titum apud eund. *lib. XI. c.* 8. Trajanum apud *Plinium in Panegyrico*, qvi aliqvoties eum *civem* appellat.

§. 9. *Fretum adolescentiæ*] Fretorum æstum maximũ esse, scimus ex iis, qvi de Freto Gaditano, Siculo & aliis scripsêre. Igitur dubito, an non hìc auctor repetat mentem suam, *cap.* 22. §. 1. supra: *Quasi adolescentia, quâ quodam flore virtutis exarsit ac ferbuit.* Sanè agnosco hâc Comparationis elegantiam.

NO-

NOTÆ AD LIBRI SECUNDI,

CAPUT PRIMUM.

§. 1.

CVm bonâ fide adolevisset] Id est, cùm extra omnem controversiam esset verè ὦν ἀκμῆ, & præcipuum suum florem ac felicitatem obineret Respubl. Romana; ut explicat *Virdungus*. Qvantum autem fuerit robur Populi Romani, facilè colligitur è *Polyb. II. c.* 24. ubi docet paulò ante bellum Punicum secundum, tumultu Gallico, recensione militum factâ, repertum esse, & ad Senatum in tabulis relatum numerum aptæ ad militiam multitudinis, *peditum millia septingenta, equitum septuaginta*; cum qvo conferendus *Plinius lib. III. c.* 20. *Orosius lib. IV. c.* 13.

§. 2. *Mirum & incredibile dictu his ducentis annis, Africam, Europam, Asiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriisq; peragravit*] Nec mirum, nec incredibile hoc, inqvit Freinshemius. Semper enim progressus faciliores qvàm initia; qvâ de re supra qvoq; dixi *lib. I. c.* 9. §. 8. Nec abit illud *Curtii lib. X. cap.* 10. §. 8. *Omnibus expeditius videbatur, augere regna, quàm fuisset accipere.* Sed & nescio qvomodo sibi constet judicium *Flori*. *Supra lib. I. c.* 18. §. 26. admirationis longè fuit continentior; *Quis ergò miretur,*

in-

inqviens, *his moribus, virtute, militiâ, victorem Populum Romanum fuisse? unoq; bello Tarentino intra quadriennium maximam partem Italiæ fortissimas gentes, opulentissimas urbes, uberrimasq; regiones in ditionem redegisse.* Nam eadem ratio obtinet hîc: Siqvidem, ut ait *Sallustius lib. I. Histor. Optimis moribus, & maximâ concordiâ egit Pop. Romanus inter secundum atq; postremum bellum Carthaginiense.*

AD CAPUT II.

AD auctores qvos de bello Punico I. scripsisse notant *Freinshemius* & *Camers*, referendus è recentioribus *Leonardus Brunus Aretinus*, qvem historiam primi belli Punici XIV. libris descripsisse testatur *Boissardus in Iconibus Virorum Illustrium.* E veteribus *Arruntius*, teste *Senecâ epist.* 114. sed qvi periit.

§. 1. *More ignis*] Comparatio luculenta. Sic *Iul. Cæsar Scaliger*, piratam *ignem aquaticum*, teste *Ioh. Bergio Ruteno* in confutatione fabulæ Burdonum, indigitavit.

§. 2. *Cùm videret opulentissimam in proximo prædam*] Diod. Siculus lib. XXIII. c. 1: *Sicilia insularum omnium pulcherrima existit, ut qua multum conducit ad imperii seu principatus incrementum.* Siciliam, Asiam & Sardiniam *Cicero pro L. Manil. c.* 12. vocat *tria frumentaria, subsidia reip.* Adde eundem *Verr. IV. c.* 1. & 2. Hæc igitur verissima erat causa belli Punici primi. Addit *Polybius lib.*

lib. I. c. 10. Romanos, qvòd viderent *Pœnos* non *Africæ* regiones duntaxat, verùm etiam in *Hispaniâ* pleraq; loca juris sui fecisse, *Insulis* præterea *Sardoi Etruscióq;* maris potitos, metuisse, ne occupatâ *Siciliâ* valdè sibi graves, & formidabiles vicini forent. Igitur rebus suis necessarium duxisse, *Messanam* non deseri; nec permitti *Carthaginensibus*, ut ad trajiciendum in Italiam qvasi pontem aliqvem sibi struerent. Qvalia consilia diligenter notanda politices studioso, ut arcanas bellorum causas distinguamus à prætextibus, & rationem discamus stabiliendæ potentiæ.

§. 2. *Armis belloq; jungenda*] Ferè simili monetâ percussum illud Alexandri apud *Curtium lib. VII. c. 7. §. 14. Quanti æstimandum est, quæ tàm longo intervallo natura videtur diremisse, unâ victoriâ subitò committere?*

§. 3. *Et eodem tempore paribus utercq; votis ac viribus imperium orbis agitabat*] Qvamobrem nulla fœderum, qvæ toties inter se Romani & Pœni firmaverant, habitâ ratione, utriq; in bellum proni. Nam ut *Sen. lib. II. de irâ c.* 34. ait: *Quod vinculum amoris esse debebat, odii causa est, idem velle.*

§. 4. *Igitur specie quidem socios juvandi*] *Speciem* vocat rem à verâ causa diversissimam, qvæ erat, cupido prædæ atqve imperii. Ob hanc ipsam sæpe Romani inter exteros discordias seminarunt, ut scilicet ab alterâ parte in auxilium vo-

cati, occasionem haberent occupandi alieni soli; simul verò utramq; conficerent partē. Disertè *Tacitus l.II. Ann.c.62. Dum ea ætas*, inqviens, *Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quæsivit, inliciens Germanos ad discordias.* Vide *Forstn. ad Tac.p.86.* Semina odiorū inter exteros jacienda svadent apud *Tacit. lib. XII. Ann, c.* 48. nonnulli Romanorum. Hac ipsâ in re artificem fuisse *Justinianum* Imp. testis *Agath. lib. V. p.* 145. *& eod. libro p.*157. item *Julianum*, ut eò facilius exstirparet Christianismum, docet *Rittershus. lib. I. Sacr. Lect. cap.*19.

§. 4. *Ostendit nihil interesse virtutis*] Hoc est, qvod in admirationem præcipuè trahit *Polyb. l. I. c.*20. *&* 21. *Fabricatores navium in totum erant rudes quinqueremium construendarū; ignotus Italis ejusmodi navigiorum usus; & tamen Romani audebāt ingredi mare: Vt facilè ex eo magnitudinem animi Romanorum, & in rebus suscipiendis audaciam colligere liceat, &c.* Hoc ipsum respicit *Sallustius*, cùm in *Catil. cap.*7. de Romanis ait. *Talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus; Virtus omnia domuerat.* Qvi locus revocat in mentem vocem Romanorum militum apud *Tac. lib. XII. Ann. cap.*35, ubi de P. Ostorio & Britannis à Caractaco animatis: *Obstupefecit*, inqvit, *ea alacritas Ducem Romanum: simul objectus amnis, additum vallum, imminentia juga, nihil nisi atrox & propugnatoribus frequens, terrebat. Sed miles prælium poscere, cuncta virtute expugnabilia, clamitare.* Vide

de ibi plura, è qvibus cognosces, non locutos qvàm feciſſe fortius. Itaq; veritatis ipsius vox est, qvam *Cicero pro Balbo* enunciat: *Eum, qui omnes animo comprehendit virtutes, omnia, quæ velit, facillimè tractare.* De Turcis scribit *Busbequius epist.* 3. ita habere persvasum, *in quo sit militiæ usus & constantia, eum quocunq; genere pugnæ, fortem operam navaturum.*

§. 6. *Hieronem tantâ celeritate vicit, ut ille ipse se prius victum, quàm hostem videret, fateretur*] Celeritas, præcipua magnorum Ducum virtus. *Himerius* declamator *apud Photium* de Alexandro prorsus gemina: *Rebus, quas aggreditur, famam & eos, qui nunciant, antevertit. Celeritate potius quàm virtute, eos, quos adoritur, ante quam adesse diceretur, & visus fuisse audiret, superans, multa magnaq; confecit, instar fulminis ac tonitrui, quod sæpiùs antequam expectetur, procedit. Sic Sardes occupavit, sic Cariam evertit, sic Lyciam distraxit, sic Pamphyliam, invasit, sic viderunt eum Cilices, sic incubuit Persis, sic Darium perterruit. Et proh dolor! quàm vicina etiam calamitas! Sic & Thebas diripuit, sic cecidit urbs illa in umbilico Græciæ, antequam audissem; cùmq; ego adhuc calamitatem ejus ignorarem, sepulchrum suorum facta est.* Justinus de eod. lib. XI. c. 2. §. 9. *Tantâ celeritate, instructo paratoq; exercitu, Græciam oppressit, ut quem venire non senserant, videre se vix crederent.* D. Hieronym. in Epitaphio Fabiolæ de Hunnis: *Insperati ubiq; aderant, & famam celeritatis vincentes*; pro

famæ celeritatem κατ' ὑπαλλαγήν. Adde *notam ad lib. IV. cap. 2. §. 69.*

§. 7. *Vt non arte factæ, sed quodam munere Deorum conversæ in naves, atq; mutatæ arbores viderentur*] Alludit ad ἐπεμβάσεις ac μεταμορφώσεις Poëtarum; ut *Ovidii*, qvi etiam num extat, & *Nicandri, Corinnæ*, aliorumq;, qvi olim luserunt in simili argumento apud Græcos. Pari verò elegantiâ *Erycius Puteanus lib. VI. Histor. Insubr. p. 303.* de maturatâ expeditione Berengarii: *Hinc classicum insonuit: Nasci miles, non conscribi videbatur; citiusq; conflatur exercitus, quàm adesse hostem Hugo rescisceret.*

§. 8. *Hæ graves tardæque comprehenderent*] Andronicus senior Imperator Byzantinus apud *Nicephorum Gregoram lib. VII.* Histor: *Conversus*, inqvit, *vidi in hoc orbe non velocium esse cursum, non fortium esse bellum, non sapientum panem, non prudentum divitias, non intelligentium gratiam. Per tempus enim omnes in casus incident.*

§. 8. *Longè illis nauticæ artes*] *Latii* qvidam *idiotism*[9], qvo significatur, hoc aut illud nihil juvare, aut prodesse. Nam qvæ præsentia, auxilio esse solent: longinqva frustra implores. Itaq; & *adesse* dixerunt pro *juvare* & *patrocinari*, ut pluribus exemplis docet *Lipsius ad i. a Plinii in paneg. c. 49.* *Longeq; tunc illi divinitas sua, longè arcana illa cubilia sævique seclusus.* Vide ad eundem locum *notam Livinei.* Qvòd verò idem *Lipsius lib. II. Elect. cap. 19. & Freinshemius in Indice* existimarunt, apud Cæsarem propterea legendum: *Longè illis fraternum nomen populi Romani futurum*, cùm in vulgatis sit *abfuturum*, id minimè probatur *Virdungo.* Nam & istud latinum docet esse ex *Ovid. lib. IV. Metamorph.*

Hinc quoq; vade procul, ne longè gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longè tibi Juppiter absit.

qvi & consulendum censet *Muretum lib. IV. Variar. c. 4.*

§. 8. *Detorquere remos*] *Gruterus* stare posse credidit hanc lectionem, non abnuente *Virdungo.* Sed superare mihi videntur *Lipsius lib. II. Elect. c. 19 & Salmasius ad hunc locum*; qvi legunt, *detergere.* Videndus præterea *Bayfius de Re Navali pag. 121. Hotomannus in lib. I. Cæsaris de bello Civili c. 12.* cui fallor? an sua debet *Lipsius.*

§. 9. *Coactique quasi in solido decernere*] Hoc est, ut explicat idem *Virdungus*, qvasi in tertâ, non mari, res geretur; sicqve, ut pedestre magis qvàm navale prælium videretur, omnisq; in virtute militum, non agilitate navium, aut arte scientiaqve gubernatorum & remigum spes victoriæ consisteret. Videndus *Polyb. lib. I. hist. c. 23.*

§. 10. *Non contentus unius diei triumpho*] Hac de re *Lipsius Centur. IV. Misc. epist. 3. sub finem. Casaub. in Sveton. Cæsarem c. 37. Piccartus decad. I. c. 6.* cujus tamen verba cautè legenda. Ait permissum hoc esse Duillio, scilicet, qvia non petitum.

Sed cave credas, decretum eum Duillio publicè: Nam ipse sibi privatus sumsit, qvod constat è *Cic. lib. de Senectute c.* 13. Qværitur, an omnibus viris clarioribus id genus honores permittendi? Hîc distingvendum inter ea, qvæ præter externum splendorem nihil habent; & ea, qvæ ad jura summæ potestatis (ἡγεμονίας) eminentiamq; propriè pertinent. In his postremis omnino publicam auctoritatem reqvirimus. *Arist. lib. II. Polit. c. 6.*

§. 11. *Simulato colloquio evocatus*] Huc pertinet prudentissima dissertatio *Cominæi lib. II. Comment. c.* 8. de colloqviis inter se & congressibus magnorum Principum, qvæ ferè malè vertere compluribus exemplis ibidem ostendit. Adde *Forstnerum ad Tac. pag.* 156. 157. ipsum *Tacit. lib. II. Ann. c. 65. Piccart. dec. II. cap. 8. Amplissimum Dn. D. Richterum Orat. VIII.* Periisset ferè hâc ipsâ fraude Narses Imperatoris Justiniani Dux, qvem abeuntem à colloqvio, *Regnaris* Dux telo transigere cogitabat, ut est apud *Agathiam lib. II.* & observat *Hugo Grotius*, qvem de hac decipiendi ratione vide *lib III. de I. B. ac P. c.* 24. *num.* 3.

§. 13. *Insessum ab hostibus tumulum occupavit*] Occupare juga hostium freqvens, ad terrendos & profligandos eos. *Freinshem. ad Curtii lib. V. c.* 3. §. 5. cui addenda, qvæ scribit *Sallustius in lug. c.* 58. *Polyb. lib. III. c.* 93. & 94. Hunc verò Calpurnium Flammâ intelligit *Seneca ep.* 82. cùm scribit: *Quid Dux ille Romanus, qui ad occupandum locum milites missos, cùm per ingentem hostium exercitum ituri*

ituri essent, sic allocutus est: Ire, commilitones, illò necesse est: unde redire non est necesse. Vides, quàm simplex & imperiosa virtus sit?

§. 14. *Hoc illustrior noster, quòd expeditioni tantæ superfuit & supervixit, licet nihil scripserit sanguine*] Locum hunc sanum esse, docuimus *ad Val. M. lib. III. cap. 2. notâ philolog. §. 2.*

§. 16. *Vbi & sic Caralæ urbis excidio incolas terruit*] *Caralis* urbs *Sardiniæ* nota, non item *Caralis Corsicæ*. Legendum omninò: *Ibi Olbiæ, & hîc Aleriæ urbis excidio.* Ibi, scilicet in *Sardiniâ*, hîc, in *Corsicâ*. *Aleriæ* vocabantur urbes maritimæ, ut docet *Scaliger comment. in Cirin.* Sed nihil confirmat hanc emendationem magis, qvàm hujusdem ævi, de qvo loqvitur *Florus*, & de hac ipsâ re, *inscriptio* vetustissima, *ad portam Capenam* effossa:

HIC. CEPIT. CORSICA.
ALERIAQVE. URBE. DEDET. TEMPE
STATIBUS. AIDE. MERETO.

Id est, *hic* (L. Corn. Scipio Barbati filius) *cepit Corsicam Aleriamq; urbem. Dedit Tempestatibus aedem meritò.* Notandum, per *tria* bella *Punica* enituisse *Scipionum* virtutem. Hoc primo *L. Corn. Scipio* Pœnos & Sardos & Corsos devicit. Tabula Capitolina de ejus triumpho. L. CORNEL. L. F. CN. N. SCIPIO. COS. DE. POENEIS

 Qvanqvam magno ipsi constitisset victoria ob Corsici maris rabiem. Hinc intelligimus, de qvo loqvatur *Ovidius in* Fastis *lib. VI. v.* 193.

Te quoq; Tempestas, meritam delubra fatentur,
Cùm penè est Corsis obruta classis aquis.

nimirum de L. Corn. Scipione. *Tomasinus libr. de donar. c.* 23. existimavit, de *Marco Marcello*, qvi à periculo navigationis in Corsicam & Sardiniam liberatus, ædem extrà portam Capenam, Calendis Junii, dedicarit. Qvod sine teste, sine auctoritate dictum est. De cultis Tempestatibus nonnihil *Torrentius ad Horat. Epod.* 10. nec non *Salmas. de Mod. Usur. p.* 204. Hujus L. Scipionis filii *P. Corn. Scipio, Cos. A.* 535. qvi primus cum *Hannibale* bello *Punico II.* pugnavit, & *Cn. Cornelius Scipio Calvus*. De utroq; scribit *Livius*, fuisse *clarissimos Viros*, cùm per annos aliqvot *in Hispaniâ* adversus multos Pœnorum Hispanorumq; & duces & exercitus, nominis Romani famam auxissent, non bello solùm, sed qvòd Romanæ temperantiæ fideiqve specimen illis gentibus dedissent, ad extremum *ambos pro Republ. Romanâ morte* occubuisse. Publii *F. P. Corn. Scipio Africanus major*, supplici *Carthagini* pacem dedit, & finem bello *Punico* imposuit *secundo. Tertio* bello enituit *P. Scipio Æmilianus Africanus junior*, superioris Africani & L. Scipionis (qvi Aleriam cepit) abnepos, ipsius *Carthaginis everſor*, ut postea *Numantiæ*. Recensuimus illustrem domum meritò qvà nulla alia majorem operam Pop. Romano attulit ad occupandum orbis imperium.

§. 16. *Mari Pœnos expugnavit*] Lege: *repurgavit*. Ita enim *Salmasius in Tertull. de Pallio p.* 123. emendans primò Tertulliani verba: *Quot populi repurgati?* pro: *Quot populi repugnati*, vel, *propaginati*? dein hæc addit: *Sic populi repurgari* solent, cum & ordines illustrantur, & barbari excluduntur. *Repurgati* pro *repugnati* facilis correctio in non difficili corruptione. Sic apud *Florum* olim duobus locis *repurgare* repositum à nobis est, ubi perperam lectum fuerat, *repugnare*: *Pœnos mari repurgavit*.

§. 17. *Navigabat bellum*] Metonymiam hanc illustravit *Virdungus* illo *Plinii* in Paneg: *Cùm Danubius ripas gelu jungit, duratuq; glacie ingentia tergo bella transportat*.

§. 17. *In quem, nisi paruisset, securi districtâ*]. Exemplum pro re natâ ducibus imitandum. Qvæ huc faciunt congessit *Freinshem. ad Curt. lib. X. c.* 2. §. 30. Adde *Berneggerum in Iustin. lib. XII. c.* 11. §. 8. 9. *& Brunnerum lib. XII. p.* 398. ubi inter alia: *Otto exerto gladio, & minacibus dictis invectus, tanto omnes pavore perculit, nemo ut contra hiscere sit ausus, ne tum quidem, cùm longè nobilissimum ex eo comitatu, Vilhelmum nomine, rapi in vincula, ut proditorem patriæ juberet: Tanta est magnæ virtutis ex uno etiam homine promicantis reverentia; ut*

frustra sperent Principes ornatius aut tutius aliundè se satellitium petituros.

§. 17. *Securi*] Olim *securi* puniebantur fontes, posteà *gladio*; & *hoc* illo longè *ignominiosius* existimat *Baronius in A.C. 226.* Contra sentit *Casaub. ad Svet. Aug. cap. 15.* qvi ad *ejusd. Calig. c. 32.* qvoq; videndus. Adde *Lipsi. ad Taciti lib. XV. Annal. cap. 67.*

§. 20. *Miræ magnitudinis serpens*] De serpentum enormitate multa pulchra *Freinshem. ad Curt. lib. IX. cap. 1. §. 4.* Annotavit & *Virdungus* è *Zonara* in rebus Imper. *Basiliſci*, immanis longitudinis *intestinum draconis*, cui aureis literis *Homeri* poëmata, tam *Ilias* qvàm *Odyssea*, inscripta essent, in *Bibliothecâ Constantinopolitanâ* fuisse olim asservatum.

§. 22. *Hîc paululum circumacta Fortuna est*] Meritò. Carthaginienses à *Regulo* pacem petierant: hujus conditiones ille proponit adeò iniqvas, ut *Carthaginienses* pati qvidvis, atq; omnia experiri, qvam libet deniq; fortunam subire, cuncti præoptarent. Igitur duce *Xanthippo* iterum congressi, totum exercitum Romanorum profligant, ipsum qvoq; Regulum capiunt. Unde *Polybius lib. I. c. 35.* sapienter: *Si quis rectè observet, inveniet, hoc accidisse, ad corrigendos vitæ hominum errores profuturum. Quòd enim fortunæ non sit confidendum, utiq; in rebus lætis, per ea, quæ Regulo acciderunt, omnibus tunc factum est manifestissimũ. Nam qui paullo ante nullum misericordiæ locum dabat, neq;*

neq; ullam afflictis veniam concedebat: mox ductus ipse est, iisdem pro salute suâ supplicaturus. Idem in hac historiâ *Diodorus Siculus l. XXIII. c. 12.* diligenter notavit: *Gloriâ, quam prius obtinebat, multiplicem ignominiam & turpitudinem mutavit; suisq; casibus alios edocuit ut in summâ potestate modestiam colant.* Vide ibi plura. De hac imprudentiâ *M. Reguli* vide egregium discursum *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 267. 268.* Confer etiam in Philos. Altdorph. *Piccarti Disp. XL II. th. 7.* Huc pertinet historia *Sesostris*, qvam apud *Theophylactum* Priscus *Legatus Mauritii* Romanorum Imperatoris, ingerit superbo *Abarum* Regi *Cagano*: & *Sultani* illius *Agarenorum* apud *Constantinum Porphyrogennetum & Zonaram in imperio Basilii Macedonis*, cordata admonitio, fortunæqve cum rotis curruum apta comparatio. Adde alia sapientum dicta, qvæ collegêre *Gruterus ad Liv. lib. XXX. c. 30.* *Morellus in Statium p. 169.* Qvibus omissum illud *Diodori lib. XXV. c. 1.* *Magnam habet excellentiam modestia, & nihil supra hominem agere.* Hujus rei gnari & experimento sapientes, victoriam, qvam alii fastu amiserant, ipsi modestiâ retinendam censent, victos clementer habent, & cùm alii gratulantur & victoriam magnis ampullis jactant, illachrymãtur fortunæ suæ. Id genus *lachrymæ* notatæ sunt *in Scipione, M. Marcello, C. Cæsare*, & aliis; de qvibus *Freinshemius ad Curtium lib. III. c. 12. §. 6. & lib. V. c. 13. §. 31.* Sic alii aliter castigarunt lætitiam nimiam. Vide *Bernegg. ad Just. l. IX. c. 4. §. 1. & Gruterum*

di-

discursu XXII. ad Tac. p. 59. Qvò referenda modestia *Antigoni* apud *Polybiũ l. II. c. 70.* *Bellisarii* apud *Agathiam lib. V. p. 148.* in concione ad milites. In hunc denique locum conjicienda omnia, qvæ dixi *ad Vellej. lib. I. cap. 10. §. 3. lib. II. cap. 35. §. 2. & cap. 29. §. 4.*

§. 22. *Cujus ferè magnitudo calamitatibus approbatur*] Vide *notam ad lib. I. cap. 10. §. 2. & c. 13. §. 8.*

§. 23. *Cùm Xanthippum illis Ducem Lacedæmon misisset*] Polyb. lib. I. c. 35: *Quod rectè olim dixit Euripides: Mens una sapiens plurium vincit manus, ex ipsis rebus manifestam tunc fidem invenit. Vnus quippe vir, & consilium unum, legiones, quæ propter solertiam ac præstantiam in re militari vinci non posse credebantur, delevit; civitatem verò illam, quam penitùs concidisse palàm erat, militumq; animos, qui ex desperatione ipsum quoq; doloris sensum amiserant, recreavit atq; erexit.* Cum qvo rursus conferendum censeo *Diodorum Siculum lib. XXIII c. 12.* ibi: *Facilius est quempiam inimicis superiorem evadere, si modò consultore bono utatur, delictorum reprehensione se corrigi persvasum habens.* Et mox: *Nihil hîc admirandi, si Imperatoris prudentia, & in rebus experientia, quæ impossibilia videbantur, superavit. Quemadmodum enim corpus animæ servum est: ita magni exercitus ducum prudentiæ subjecti sunt.* Sic unus Hector servavit Trojam; qvo interemto, & ipsa ruit.

---- & ademtus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Grajis,

inqvit Poëta. Ipsum *Achillem*, cùm *Hectorem* raptaret, exclamasse scribit Hyginus: *Expugnavi Trojam.* Adde *Diod. Sicul. in Exc. Peir. p. 271.* de hac ipsâ re; nec non de Annibale *eundem p. 303. Freinshem. ad Curt. lib. III. c. 6. §. 3. Manutium ad Cic. l. VI. ep. fam. 6. p. 618. Boeclerum ad Cornel. Nepot. Epamin. c. 10. §. 4. notam nostram ad Sallustii Catilinam c. 53. §. 3.*

§. 25. *Sed nec ultimo, sive carceris, sive crucis supplicio deformata Majestas*] *Seneca* lib. de Provid. c. 3: *Quid Regulo fortuna nocuit, quòd illum documentum patientiæ fecit? figunt cutem clavi, & quocunq; fastigatum corpus reclinavit, in vulnus incumbit, & in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Quantò plus tormenti, tantò plus erit gloriæ.* Vide illum *toto libro & in primis c. 2.*

§. 25. *Quàm victus de victoribus*] Ὀξύμωρον, qvale illud *Horatii*:

Gracia capta ferum victorem cepit ----

Et istud *Ciceronis* pro Marcello: *Ipsam victoriam vicisse videri.* nec non *Senecæ* epist. 9: *Ipsam hostis sui victoriam vicit.* qvod alibi ita profert: *At ille victoriam illi excussit, & se urbe captâ, non invictum tantùm, sed indemnem esse testatus est.* Virdungus.

§. 28. *Argumentum ingentis victoriæ, centum ciroiter elephantorum captivitas*] Plinius

nius lib. VII. c. 43: *Metellus primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho.* Lipsius notis *ad lib. de Brev. vitæ c.* 14. legit *plurimos elephantos.* Qvæ lectio recipienda mihi videtur, ne concedamus Plinium impegisse in veritatem & rationem. Existimavi olim, Plinii vulgatam nihil offendere, siqvidem hoc voluerit: L. Metellum primum Elephantos duxisse in triumpho, non Romanorum ducum omnium, sed eorum, qvi triumpharunt *bello Punico primo.* Nam ante Metellum, *bello Pyrrhi* confecto, Romam elephantos vidisse in triumpho ductos, satis manifestum; & proditum ipsi *Plinio lib. VIII. c.* 6. Sed bello Punico primo, alium è Romanis ducibus ante Metellum, elephantos populo Romano in triumpho conspiciendos dedisse, traditum esse nemini. Præterea confirmari vulgatam *Plinii ex lapide*, in qvo legatur de hoc ipso Metello, QVI. PRIMUS. ELEPHANTOS. PRIMO. PUNICO. BELLO. DUXIT. IN. TRIUMPHO. Hæc olim sententia nostra fuit, qvam modò (ut loqvitur *Plautus in Pœnulo act.* 1. *sc.* 1.) vel nebulæ cyatho non emerim. Primùm enim, alios ante Metellum, elephantos duxisse in triumpho, & qvidem bello Punico primo, arguit *numus A. Calatini*, qvi de Pœnis triumphavit A. U. 496. in qvo ab unâ parte. A. ATIL. A. F. C. N. & *quadriga elephantorum:* abalterâ: CALATINUS. ROMA, & *Romæ Caput.* Secundò, inscriptio, qvam adduxi, nihil facit ad firmandam Plinii lectionem contra Lipsium, cùm illa recentis cujusdam nugamentum sit, & descripta ex ipso Plinio. Ita certè judicavit *Gruterus Æterni operis num.* 4. *p.* 377. & tandem inter spurias etiam retulit, sicut & qvartam *pag.* 11. spuriarum, de rebus gestis *Cn. Pompeji M.* è Plinio transcriptam novimus. Spuriam esse inscriptionem, arguunt illa: QVOD. A. CONDITO. ÆVO. NULLI. ALII. CONTIGIT. Qvamobrem vel propter numum istum apud *Plinium* legam cùm Lipsio: *Plurimos elephantos.* Nisi qvis numum sic explicare velit, non qvidem elephantos in triumpho Calatini fuisse, sed expressos tamen in numo saltem, ut *victoriam de Pœnis* indicarent. Sunt enim in numis *Elephantus, Egasus & Scorpius*, Africæ symbola. Hunc ego non audiam. Cui enim vero videatur simile, cùm à Romanis toties ante Metellum fusi sint Pœni, nullam tamen belluam in iis prælii captam fuisse?

§. 29. *Quorum auspicia contempserat*] Adeò stulti erant veteres, ut, nisi auspiciis addicentibus, suos in pugnam non educerent, etiamsi pulchra occasio & spes de victoriâ certa invitaret. Qvos ob id meritò notarunt cati & sapientes belli duces, ut observat *Freinshemius ad Curt. lib. VII. cap.* 7. §. 10. *& 23. & lib. IX. c.* 4. §. 29. Similes istis Imperatores Byzantini, qvi, ut scribit *Nicetas Choniates*, nil sine *præscripto Astrologorum* agebant, & rebus gerendis dies atqve horas eligebant, ut sidera dictabant. Hinc sæpè amissæ pulcherrimæ occa-

occasiones. Vide *Lipſ. lib. I. Monit. & exempl. Polit. cap. 5. ſub finem*, qvæstione: *Liceatne igitur & deceat in eventus inquirere, & vates aut divinos conſulere.*

§. 29. *Ibi ſtatim claſſe demersâ*] Hæc ſolertia Diaboli fuit, ut casum ſtatim traheret in culpam: & talia passus est Deus illis perſvaderi, non in suffragium erroris & impietatis, ſed in pœnam, qvam mentes aversæ à Dei verâ notitiâ merebantur. Ita creditum Romanis, auſpiciorum neglectui debere ſeſe hoc infortunium, qvæ alii negligebant ſucceſſu feliciſsimo. Aliàs digna cognitu apud Hiſtoricos obſervatio, *ſceleris & pœna eundem* sæpè *locum* fuiſſe. *Alexander Beſſum* eo loco, in qvo *Darium* ipſe occidit, necari juſsit. *Curt. lib. VII. cap. 5. §. 43. ibidemq; Freinshemius.* De *Heliodoro* reperimus eadem *lib. I. Maccab. cap. 3.* cujus etiam Joſephus meminit *lib. XII. Antiquit. cap. 15.* *Turullius* eâ in ſylvâ occiſus est, in qvam impius fuit. *Valer. Max. lib. I. cap. 1. ex 19.* qvod tamen eodem pretio æstimandum, qvo narratio noſtri de P. Claudio Pulchro. *Iohanna Neapolis* Regina eodem in loco, qvo primum maritum *Andream Vngarum* ſuffocaverat, est ſtrangulata. *Reuſnerus in ſtemmate VVitichindeo.* Adde *Valerianum indicem* meum, in *Ominum ridiculis.* De *Selymo* vide *Lipſ. lib. II. Monit. & Ex. Pol. cap. 5.* Simile est qvod obſervant

vant circa tempus. *Aiſtulfus*, in illis diebus, qvi qvus ad *Romam* devaſtandam profectus est, poſt annui ſpatii curriculum interfectus est; ut ex epiſtolâ Stephani Pontificis notat *Puteanus Comment. in l. III. Hiſt. Inſubr. p. 184.* Qvo die *Emericus Vngarus* fratrem *Andream* conjecit in carcerem, eundem, eodem die, vertente anno, ingreſsus est. *Brunn. lib. XIII. pag. 606.* Nec aliò ſcribi meretur, qvòd legimus, eo *in loco* qvosdam interfectos, *quo ſignum* extabat illius, qvem læſerant. Sic *Cæſar ad ſtatuam Pompeji* cecidit; & notatum idem in Eqvite *Aumalio* contrà *Henricum IV.* Regem Galliæ militante, & in *oppido* regio *S. Dionyſii*, qvod occupaverat, propè hoſpitium, cujus inſigne *gladius regius*, interfecto. Qvâ de re vulgati sunt iſti verſiculi:

Vt generi ad ſtatuam non uno Julius ictu
Et victor victi corruit ante pedes:
Sic hoſtis Regum, Regum ad monumenta ſuorum
Procumbens, meritâ cæde cruentat humum.

§. 29. *Vbi ille præcipitari pullos juſſerat*] In caſtris Romanis ad dextram Prætorii ſemper Auguraculum fuit, ubi duces auſpicarentur, & ex pullis auguria captarent; de qvo *Lipſius ad Taciti lib. II. Ann. c. 36.* Porrò cùm varia sint auſpiciorum genera, *Virdungus* hoc referebat ad id, qvod *coactum* dicebant; cùm ſcilicet ex pullis in caveâ incluſis auſpicium fieret, qvod *Tripudium* dicebatur; de qvo *Feſtus* in *Puls. Puls*, inqvit, *potiſſimùm*

datur pullis in auſpiciis; quia ex eâ neceſſe erat aliquid decidere, quod tripudium faceret, id eſt, terripavium (pavire *n.* ferire *eſt*) *ex quo notionem caperent futuri: nam ſi pulli, per quos auſpicabantur, non ediſſent, periculum imminere arbitrabantur: at qui paviſſent, bonum augurium eſſe putabant, ſi tum ex ore eis edentib⁹ aliquid decidiſſet.* Plura de auſpiciis, eorumq; ſex generibus *Hotomannus l. VI. obſerv. c. 11.* Hæc *Virdungus.* Adde *Polyd. Virgil. lib. I. de Prodig. pag.* 103.

§. 31. *Quantus ô tunc triumphus*] Adverſatur cæteris Hiſtoricis: Accidit enim hottendum iſtud naufragium Ser. Fulvio Pætino Nobiliore, M. Æmilio Paullo Coſſ. vide *Pighium in A. V.* 498.

§. 34. *Quod ipſum exitio fuit*] Vide notam *ad lib. IV. c. 2. §. 49.*

§. 35. *Sic remis, quaſi habenis agebatur*] Pulchra comparatio claſsis levis & expeditæ cum re eqveſtri. Apud *Æſchylum* ait *Prometheus*, repertum ſuum eſſe *currus illos nautarum, qui lineis alis vagentur per mare.* Sic *Euripides in Medeâ* navem vocat *currum*, ut obſervat *Muretus lib. I. Var. Lect. c. 11.* ubi & adjicit illud Catulli: *Ipſa levi fecit volitantem flamine currum.* Loqvitur ibi de *Argo navi*, qvam *Minerva* fabricavit. Imò ipſam navim dicebant *eqvum. Plautus in Rudente* act. I. ſc. 5. verſ. 10. *Nempe eqvo ligneo per vias cæruleas eſtis vecta.* Unde *Seneca* qvoq; in principio *Medeæ* tragœdiæ; *Tiphyn novam frenare docuiſſe*

ratem. Qvæ duo loca transſcribo, qvi obſervavit Virdungo. Notandum & iſtud: Cùm in numo Romani veteres æternitati conſecrare vellent *expeditionem navalem adverſus Carthaginienſes*, expreſsiſſe *eqvum alatum.* Id patebit è numo *M. AIMILII M.F.L.N.PAULLI*, qvi vixit temporib⁹ belli Punici primi, & Conſul fuit anno 498. De qvo ipſo diſſerit *Pighius in A. V.* 491. *pag.* 15. qvi & videndus in *Characterе lib. VII. Annalium Romanorum*, ubi reddit rationem hujus metaphoræ; ſimulq; multa Poëtarum tam feliciter explicat, ut dubites,

Iudicium me magis mirandum, an mellea Svada?

§. 37. *In arcem muroſq; ſævire*] Vide notam *ad lib. IV. c. 12. §. 57.*

AD CAPUT III.

§. 3.

Qvaſi cote quadam Populus Romanus ferrum ſuæ acuebat virtutis] Polyb. lib. I. c. 61 *Romani ex prioribus contra Samnites & Gallos certaminibus hoc conſecuti, ut veri athletæ bellicorum certaminum evaderent.* Et lib. II. c. 20: *Romani è ſuperioribus certaminibus duo conſecuti ſunt pulcherrima: Quippe aſſiduis per Gallos cadibus affecti, nihil deinceps terribilium aut videre aut pati potuerant iis, quæ jam acciderant: ex quo adverſus Pyrrhum athletæ perfecti bellicorum certaminum evaſêre. tùm autem Gallorum audaciâ opportunè repreſsâ,*

de cætero absq; ullo impedimento contra eundem Pyrrhum de Italiâ bellum gesserunt: deinde cum Carthaginensibus de Siculorum dominatu certamen susceperunt. Qvæ diligenter notanda sunt ei, qvi de causis tanti Romanorum incrementi, tamq; longè diffulæ potestatis cognoscere qvid volet. De hâc ipsâ re pulcherrimè *Brunnerus lib. I. p. 86. Romanus, quamdiu inter Vejentes & Faliscos, cæterosq; minorum gentium rorarios bellatores hæsit, tyro fuit, & velut ad palum exercebatur. Gallia illum militem fecit, Polybii vox est, Pyrrho & Annibale meliorem, induratumq; cladibus ad patientiam vulnerum, & sanguinis contemptum perduxit.* Similiter *Tacitus lib. II. Ann. cap. 45. §. 3.* de Germanis scribens: *Germani longâ adversus nos militiâ insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere.* Hoc ipsum qvantum foret, intelligens *Lycurgus* Lacedæmoniorum legislator, interdixit suis, *ne eosdem bello repeterent hostes, ne sæpiùs exercitati armis, existerent bellicosi;* ut scribit *Plutarchus in ejus vitâ.* qvem ipsum locum cum aliis observat *Freinshem. ad Curt. lib. VII. c. 7. §. 16.*

§. 4. *Major aliquantò labor erat invenire, quàm vincere*] Eodem modo vexarunt *Tiridates Corbulonem*, apud *Tacit. lib. XIII. Ann. cap. 37.* Itemqve *Astures Augustum Cæsarem*, de qvibus *Diod. Sic. lib. LIV. p. 588: Cùm Astures ac Cantabri simul bello à Cæsare petiti, neq; dederent sese, locorum naturâ confisi; neq; etiam manum conserrent, quippe & numero longè inferiores, & velites plerique; cumq; eum,*

eum, si quà se commoveret, subindè editioribus locis occupatis, ac sylvestribus convallibus insidias collocantes, frequenter infestarent; Augustus in summis difficultatibus constitutus, & ex labore curisq; in morbum prolapsus est. Plura huc pertinentia idem *Freinshemius in notis ad Curtii lib. IV. c. 2. §. 5.*

§. 4. *Ex occasione magis latrocinia quàm bella faciebant*] Ut omnes barbari, de qvibus *Agathias lib. V. pag. 150: Prædonum in morem adoriri, occultosq; insultus facere consueverunt; ad aperta verò prœlia non admodum sunt exercitati, neq; in conflictibus perdurare docti.*

§. 5. *Latebras eorum ignibus sepsit*] *Ammianus Marcell. lib. XXIV. pag. 275.* de manu insidiatrice in fallacibus foveis & obscuris: *Confestim ad extrahendam eam missi sunt compertæ fortitudinis pedites. Qui cùm neq; pervadere foraminum aditus, nec amandatos intus prolicere possent ad decernendum, collectam stipulam & sarmenta specuum faucibus aggesserunt. Vnde fumus angustius penetrans, ideoq; spissior, quosdam vitalibus obstructis necavit; alios ignium afflatus immissus, prodire in perniciem coëgit abruptam, &c.*

§. 5. *In plana deduxit*] Hâc ratione sæpiùs sibi consultum ivere Romani, qvibus hoc primum omnium fuit, expugnatum debellatumqve hostium agrum, si eminentior fuerit, solo adæqvare: Idem noster *lib. II. c. 15. §. 6.* de Carthagine inqvit, *ex consiliis omnibus Senatum Romanum medium*

dium elegisse, ut urbs tantùm loco moveretur. Similiter *lib. III. c. 5. §. 28.* Pompejus Regem Colchorum jussit in plana descendere, ne videlicet fiduciâ montium rebellaret. Vide & *eundem lib. IV. c. 12. §. 59. cum notâ Freinshemianâ l. h.*

NOTÆ AD CAP. IV.

§. 1.

PRimus eis impetus major quàm virorum est, sequens minor quàm fœminarum] Livius lib. X. c. 20: *Prima Gallorum prœlia plus quàm virorum, postrema minus quàm fœminarum.* Gallos *leves* esse scribit *Dio in Exc. Peir. p. 743.* Id *Valesius* p. 107. qvia *Gallus*, negat de *Gallis* verè dici; debuisse *Gallograecos* intelligere. *Polybius* lib. II. c. 33: *Observaverant tribuni è superioribus bellis, Gallorum genus omne in fervore animorum & primo impetu, dum adhuc integri sunt, atrocissimum esse.* Idem in Germanis nostris à Romanis ducibus observatum est. Atq; hinc *Germanicus Cæsar* apud *Tacitum lib. II. Ann. c. 14. §. 5.* suos animans: *Corpus*, inqvit, *ut visu torvum, & ad brevem impetum validum: sic nulla vulnerum patientia.* Idem scribunt de *Britannis, Sarmatis, Scythis & Thracibus.* Rationem reddit *Scalig. comment. l. I. in Hippocr. de insomniis*, qvòd *Septentrionalium sanguis* ut multus, ita *diutus* sit; ac proindè post primum impetum æstuationis deferveſcat; at contra *Syris, Arabibus, Mauris, Indis* aliisq; Australibus accendatur. *Vnde*, inqvit

qvit, *pertinacissimè mortem obeunt in pugnâ Mauri atq; Indi; etiam in tela ruuntes, &c.*

§. 2. *In sudorem eunt*] Idem de Gallis *Appian. in Exc. Peir. pag. 559.* Similia de *Cimbris*, Germaniæ populis *Plutarchus* in vitâ C. Marii: *Sol*, inqvit, *& æstus hostium oculis objecti præsidio Romanis erant. Illi enim ad perferenda frigora duri, quòd umbrosis in locis atq; frigidis nutriti, graviter æstum ferebant, sudorem magno cum anhelitu è corporibus emittentes, scutis ora tegebant.*

§. 3. *Non prius soluturos se baltea*] Vide *not. ad lib. I. c. 12. §. 8.*

§. 3. *Factum est*] Sed non ex illorum mente & destinatione, qvi ἐπινίκιον πρὸ τῆς νίκης cecinerant; ut notat *Virdungus.*

§. 3. *Discinxit*] Militum insigne *cingulum*, de qvo *Paneirollus lib. I. Thes. Var. Lection. cap. 11* qvod demebatur iis, cùm exauctorarentur ignominiæ causâ; ut docet *Steevvechius ad Veget. lib. II. c. 3. Barthius l. I. Ableg. Crit. c. 1. p. 8.* Ipsius *Martis* simulachrum videmus in numis *circa lumbos cincti*, zonæ extremitatibus utrinq; dependentibus, apud *Goltz. tom. de Augusto.* Rationem reddit eleganter *Pighius in Characterе lib. I. Annalium.* Neq; solùm milites, sed qvicunq; serii aliqvid facere parabant, cingulo vestes fluxas constringebant. *Casaub. ad Svet. Aug. c. 24.* Unde Qvinctilianus: *Gracchos ad evertendam Rempubl. velut* armis *eloquentia* succinctos, *accessisse.* Contra *discinctos* dicebant negligentes, ut Græci ἀζωστους, λυτιζώνους. Vide *Casaub. d. l.*

§. 4. *Vovêre de militum nostrorum prædâ Marti suo torquem*] Mos antiqvissimus gentium, *spolia hostium* Deo vovendi. Sic *Addi pharetras aureas*, reliqvamq; armaturam *Davides* Deo consecravit. *Joseph. lib. VII. Antiquit. cap. 6.* Cùm *Trajanus* ad bellum *Parthicum* proficisceretur, spolia, qvæ de Getis ceperat, JOVI CASIO appendit; *crateres* nempe argenteos, *& poculum deauratũ* ex *uri* silvestris cornu; qvę donaria epigrammate admodũ eleganti celebravit Hadrianus, qvod primus publicavit *Salmas. ad Spart. p. 37.* Sępè sacrabant non tàm hostiũ arma, qvàm omnia illa, per qvæ aliqvid memorabile patratum erat. Qvâ de re Vir eruditionis profundæ, & antiqvitatis omnis vindex dexterrimus, *Thomas Reinesius in epistolâ*, ferè ante triennium ad me scriptâ: *Vetustos, destinatos insigni alicui facinori gladios, aut per quos memorabile quid patratum esset, non tantùm peculiaribus appellationibus insignire*, (*unde ille* Biarconis *Regis Danorum præstantis acuminis inusitatæq; longitudinis*, LOVI *dictus, apud* Saxonem Gramm. lib. II. *Et* Haldani *duo: alter* LIUSINGUS, *alter* HWYTINGUS *appellatus.* ibid. lib. VII. Item alius RAGN, *alius* SKREP *vocatus, qui quod libet obstaculi genus uno ferientis ictu medium penetrando dissinderet.* ibid. l. IV. *Et ille* Odini, *quem pro Deo celebrant Gothi, ensis*, ODIN ELDUR, *id est*, ignis Odini *indigitatus, & memorabilis ille* Arcturi *Regis Britanniæ* CALIBURNUS *seu* CALDIBURN^o. *De quo* Sigeb. in Chron. sub A. 470. Nauclerus Generat,

nerat. XVII. è lib. IX. supplementi Bergomensis) *sed & in templis Deo alicui consecratos reponere: Ita Cajus occiso Lentulo & Lepido, pugiones tres Romam Marti Ultori consecrandos misit.* Dio. lib. LIX. Svet. cap. 24. *Vitellius pugionem, quo se Otto occiderat, in Agrippinensem Coloniam, Marti dedicandum.* Svet. in Vitell. cap. 10. *& Nero gladium, quem Flavius Scævinus promserat, apud Capitolium sacravit, inscripsitq;* JOVI VINDICI. Tac. lib. XV. Annal. Hæc *Reinesius.* Eodem ritu *Caracalla* gladium, qvo fratrem occiderat, Deo consecravit. *Dio in Exc. Peir.* 756. Ita verò & *Lysimachum*, clypeum, hastam, thoracem, & galeam suam sacravisse, constat ex epigrammate *Pauli Silentiarii*, qvod è Græco hunc in modum vertit *Morellus in Statium pag.* 200:

Taurinum Clypeum *tegmen cutis, hostium &* hastam
Visceribus pastam cuspide vulnificâ,
Arcentemq; procul celeres thoraca *sagittas*
Horrentem galeam *quadrupedumq; jubis:*
Fixit Lysimachus Marti *sacra dona, senili*
Nunc vice telorum progreditur baculo.

Adde *Lipsium comment. in lib. XV. Ann. sub finem. Bernegg. ad Iust. lib. IX. c. 7. §. 13. Casaub. ad Sveton. Calig. c. 24.* Sed redeo ad ea, qvæ de hostibus vota sacrabantur. De his multa cognitu digna observavit *Thomasinus l. de Donariis & tabb. votivis c. 19.*

& 20. Ea sæpiùs *comburebant*, qvod *Fabium* feciſſe, ex *Livii lib. X. cap.* 29. ad hunc locum notavit olim *Virdungus*; qvi & conſulendum cenſuit *Petrum Fabrum lib. II. Semeſtr. cap.* 3. *Steevvech. ad lib. II. Vegetii.* Addimus locum de Lucio Æmilio Paulo ejusdem *Livii lib. XLV. c.* 33. Nonnunqvam *pecuniæ prædâ* redactæ *decimas Apollini* perſolvebant ex voto, ut *Camillum* feciſſe è *Liv. lib. V. & Val. Max. lib. I. cap.* 2. captis Vejis: & *Græcos*, qvi fuſis Perſico bello decem millibus hoſtium & fugato Artabazo, exemptâ ſpoliorum prædæqve omnis *decimâ parte*, aureum *Apollini tripodem* Delphos miſêre, è *Diod. Sicul. lib. IX.* notavit idem *Virdungus*. Deniq; moris etiam erat, ut in bello navali *captas naves* de hoſtibus *Deo dicarent*; de qvo *Caſaub. ad Strabonem p.* 147. *Bernegg. ad Svet. Aug. c.* 18. *n.* 3. *l. R. Lazius comment. in Numiſmata Auguſti.* Porrò qvod hîc *Gallis*, idem poſtea A. U. 710. accidit *Cattis*; de qvibus *Tacit. lib. XIII. Ann. c.* 57. *Bellum Hermunduris proſperum, Cattis exitioſius fuit; quia victores diverſam aciem* Marti & Mercurio *ſacravere, quo voto equi, viri, cuncta viva occidioni dantur. Et mina quidem hoſtiles in ipſos vertebantur.*

§. 4. *Marti ſuo*] Qvem *Heum* ſive *Heſum* ſuâ lingvâ indigitabant, eumqve *præcipuum Deorum*, apud *Tac. lib. IV. Hiſtor. cap.* 64. §. 2. Tenctorum Legati vocant. Cæterùm & de hoc & de cæteris Gallorum veterum Diis ubertim, & cum

cum curâ tractat *Petrus Pithœus lib. I. Adverſar. c.* 3. Hæc *Virdungus*. De hoc ipſo *Heſo* nonnihil *Erycius Puteanus in Hiſtor. Inſubr. p.* 17. *num.* 13.

§. 4. *Vovêre de noſtrorum militum prædâ Marti ſuo torquem. Intercepit Iupiter votum; nam de torquibus eorum aureum tropæum Iovi Flaminius erexit*] Hæc transpoſita credebat *Virdungus*, ideò legebat: *Marti ſuo torquem aureum. Intercepit Iup. votum. Nam de torquibus eorum tropæum Iovi Flaminius erexit.* Mihi longè commodius τὸ *aureum* conſtruitur cùm *tropæo* qvàm cum *torque*. An enim Galli voverent torqvem *argenteum*? Igitur *ad tropæum* illud epitheton referendum eſt. Cùm enim Gallorum exercitus ſuperbiret torqvibus (nam auri magnam copiam habebant, undè conficiebant non ſolùm torqves, ſed etiam thoraces, cum argenti haberent parum, *Diod. Sicul. lib. V. cap.* 27.) facile erat ex iis erigere *tropæum aureum*. Id qvod fuit memoriis dignum; cùm aliàs tropæa eſſent ſimpliciora. Talia & illa Marii fuêre, qvæ reſtituit Cæſar, μαρμάρινα χρυσῷ καὶ πίνῃ κατεσκευασμένα, *auro ſplendentia & mirè fabrefacta*; ut appellat *Plutarchus in Cæſare*. Sed, inqvis, Mariana, qvæ ſplendebant auro, non ſtatim tota aurea. Demus hoc, Flaminii totum tropæum non fuiſſe ex puro putoq; auro; qvod tamen auri de Gallis capti inæſtimabilis copia facilè perſvadet ut credam: nihilominus vel è qverno ſtipite ſuſpenſa arma & orna-

ornamenta Gallorum, poterant dici tropæum aureum; sicut *aurea Capitolia* dixêre Poëtæ. *Silius*: Aurea *Tarpejâ ponet* Capitolia *rupe*: Alius:

Fictilibus crevêre Dîis hæc aurea templa.

Qvicqvid sit, qvò minùs in textu nostro *in aureum* avellere possim à substantivo *tropæum*, facit, qvod scribit noster, *de torquibus Gallorum* erectum esse tropæum. Ergò *omninò* fuit *aureum*.

§. 5. *Tertia post Romulum*] Videndus *Eryc. Putean. comment. in lib. I. Hist. Insubr. pag. 19. numer. 23.*

AD CAPUT V.

§. 2.

HI *regnante Teutanâ muliere*] De muliebri imperio qvi non scripsere Politicorum? Ipse alibi non pauca dixi. *Ægyptii* huic sexui esse subjiciebant: nec mirum, cùm vivo Rege plus auctoritatis esset Reginæ, qvàm marito. Et *in tabulis dotalitiis* inter privatos, *imperium fœmina in virum assignabatur*: ubi *uxoribus per omnia se obtemperaturos* mariti profitentur; ut est apud *Diod. Sicul. lib. I. cap.* 27. sic plerisq; *Orientales*, ut docet *Freinshem. ad Curtii lib. X. c.* 1. §. 37. Nec *Europæis* nationibus ignominiosum fuit subdi fœminæ. *Tacit. lib. XIV. Annal. cap.* 35. de Britannis: *Solitum ipsis fœminarum ductu bellare.* Ut *Lipsius ad lib. XII. Annal cap.* 40. (ubi scribit *Tacitus*, stimulâsse Britannos *ignominiam, ne fœminæ subderentur*) rectè judicarit, scriptorem non tum in Britannorum, sed

sed suis moribus fuisse. Hîc habemus *Illyrios*. Ego nihil amplius addo, qvàm consulendum esse *Bernegger. in Germ. Taciti Quæst.* 165. *Grut. ad Liv. I. c.* 3. *Grotium lib. II. de I. B. ac P. c.* 7. *n.* 12. *& notis ad illum locum.*

§. 2. *Populationibus non contenti*] *Illyrios* semper ex rapto vivere adsveviisse docet *Freinshemius ad Curt. lib. III. c.* 10. §. 8.

§. 3. *Quò indignius foret, mulier imperabat*] Simili modo deplorat *Menelaus* infortunium fratris *Agamemnonis*, à *Clytemnestrâ* cæsi, apud *Libanium* Sophistam: *Nunc autem periit Agamemnon, non in acie prostratus, nec honestâ plagâ percussus, sed muliebribus insidiis irretitus.* Et *Paulus Orosius lib. II. c.* 28. cædem *Alboini*, scelere *Rosimundæ* conjugis acceleratam; *Sed heu proh dolor! vir bellicosissimus & summæ audaciæ, quasi unus de inermibus interfectus est; uniusq; muliercula consilio periit, qui per tot hostium strages bello famosissimus extitit.* Apud *Tacitum lib. II. Ann. c.* 71. Germanicus: *Etiam quos invidia erga viventem movebat, illacrymabunt, quondam florentem, & tot bellorum superstitem*, muliebri fraude *cecidisse*. Adde *Brunn. lib. IIX. pag.* 582.

AD CAPUT VI.

§. 1.

VIx *quadriennii requies; ecce alterum bellum*] Imò à fine belli *Punici primi*, ad initium *secundi*, sunt anni *tres & viginti*. Qvid ergò hîc

qua-

quadriennii reqvies? *Stadius* existimat, cujus sententiam hîc recepit *Freinshemius*, computasse nostrum à tempore clausi Jani, hoc est, A.U. 518. qvod perridiculũ, imò falsum est. Manifestè enim noster reqviem hîc non intelligit à cæteris Reipublicæ Romanæ hostibus, sed eam, qvam habuerunt à Carthaginiensibus; neq; computat à tempore Jani clausi, sed à tempore finiti belli Punici primi. Verba clara: *Post bellum Punicum primum, vix quadriennii requies; ecce alterum bellum.* Et qvomodo *quadriennii* qvietem diceret, qvæ fuit *paucorum mensium*, cùm Janus esset clausus? An *Sardos, Corsos* & *Ligures*, qvi coegerunt Janum reserare, non habuerunt inter hostes? Atqvi dignos existimarunt, de qvibus acti triumphi exstarent ad seram usq; posteritatem. Atqvi noster Ligurum gentem *supra c. 3. §. 3.* agnovit pro *cote virtutis Romanæ*. Sed demus *Stadio*, Florum computasse à tempore Jani clausi, hoc est ab A.U. 518. An igitur post qvadriennium hoc est, annum 522. ortum est bellum Punicum secundum? Uno verbo: nugæ sunt hæ. *Vineti* sententia non melior, qvi putat Florum hoc velle, finito bello Punico primo, Romanos cum aliis gentibus belligerasse, adeò qvidem, ut toto illo temporis spatio, qvod inter duo Punica bella intercesit, vix qvatuor annis ab armis interqvieverit. Imò gravissimè peccaret Florus, si hoc vellet. A bello enim Punico primo ad bellum secundum cum aliis gentibus tam continuò fuit bellatum, ut vix *paucorum mensium* qvietem haberent, qvâ Jani templum clauderent. Vide *Varronem lib. IV. de Ling. Lat.*, *Orosium lib. IV. cap.* 12. qvi qvietem illam vocat *unius ætatis pacem*, & *umbram pacis*. Qvæ cùm ita sint, omninò loqvitur noster de qviete, qvæ fuit Populo Romano à fine belli Punici primi ad initium belli Punici secundi. Sed qvomodo conciliamus Florum cum Historiis, è qvibus patet, qvod dixi, à fine belli Punici primi ad initium secundi esse annos XXIII. *Camers* emendandum censuit, *viginti quatuor annorum requies*; sed obstat illud *vix*; & qvæ seqvuntur: *ecce alterum*! qvibus admiratur brevitatem temporis. Qvid igitur? Erat Floro in animo, qvod scribit *Polyb. lib. III. c. 9. & 10.* Romanos Carthaginiensibus, cùm jam profligassent bellum cum mercenariis, hoc est, qvadriennio post primum bellum Punicum (ut colligitur ex ejusd. *Polyb. lib. I. c. 88.*) controversiam movisse de *possessione Sardiniæ*, bellum etiam minatos; sed cùm isti è re suâ non existimarent, iterum cum Romanis collidi, viribus præsertim valdè fractis bello mercenariorum, non solùm *Sardiniâ* cessisse, sed & mille ac ducenta Romanis talenta adjecisse. Hanc Romanorum violentiam, cùm inter causas odiorum novorum, atqve adeò belli Punici secundi dicto loco referat *Polybius*; *Florus* longiùs progressus, ab eo tempore scripsit surrexisse bellum, qvo nova surrexerat causa belli.

§. 1. *Similior victo sit populus, qui vicit*] Ro-

Romani enim initio maximis attriti fuerant cladibus. Similiter Livius lib. XXI. c. 1. de bello Punico: *Adeò varia belli fortuna ancepsq; Mars fuit; ut propius periculo fuerint, qui vicêre.* Huc igitur pertinet illud Vegetii lib. III. de re militari cap. 25. *Eventus omnium prælierum inter initia contra illos magis fuisse, quibus victoria debebatur.* Qvâ de re *infrà* plura *ad cap.* 10. §. 2. Qvadrabat etiam in Romanos proverbium Græcum, ὅσα μῦς ἐν πίσσῃ *sicut mus in pice.* qvod de iis dicebatur, qvi multo cum labore vincerent. Vide *Suidam* in ὅσα μῦς.

§. 2. *Quæ jubere consveverat*] Ut *Rhodii* & alii, de qvibus *Hugo Grotius notis ad lib. II. de I.B. ac P. c. 3. §. 14.*

§. 3. *Fideiq; ergà Romanos magnum quidem, sed triste monumentum*] Ejusdem virtutis *Megalopolitanos* fuisse, plenis buccis de prædicat *Polyb. lib. II. c. 61. Primò agros suos à Cleomene pervi, æquo animo tulerunt: deinde universâ patriâ penitùs exciderunt, partis Achæorum studio: postremò cùm præter omnium spem & expectationem facta esset potestas illius recuperandæ, agris suis, sepulchris, patriâ, fortunis, atq;, ut uno verbo dicam, charissimis rebus omnibus privari præoptarunt, quàm ut datam sociis fidem proderent.* Ejusmodi fides *Pinnensium* erga Romanos. *Diod. Sic. in Exc. Peir. pag. 399. 400. Vide ibi Valesium p. 61.*

§. 4. *Annibal causas novorum motuum quærens*] Hæc omnia accuratè exeqvitur *Polybius l. III. c. 15.*

§. 5. *Summa*

§. 5. *Summa fœderum Romanis religio est*] Itane Romani verâ veri Dei notitiâ destituti? Sic & alius exclamat:

Audite, ô gentes, neu rumpite fœdera pacis,
Nec regnis postferte fidem ------

Nimirum rectè hi faciebant vel infamiæ vel ultionis metu. *Aristoteles in Rhet.* ad Alexandrum M. *Non pejerare timentes, & divinam ultionem, & humanam infamiam.* Nec enim exemplum in omni historiâ monstrari potest, prosperam fortunam habuisse, qvibus fidem fallere voluptas fuit. Infamiam verò eorum semper fuisse maximam apud homines, vel *Capio, Crassus, Galba* & alii, suorum calamis confixi, abundè testari possunt. Ars illa æqvivocationis, qvam Lojolitæ hodiè inter artes Christiano dignas referunt, (videndus *Casaub. epist. 170. ad Frontonem Ducæum pag. 196. 197.* ubi inter alia refert verba Jesuitæ: *Solos esse homines Dei amantes, quibus aqvivocatio placeat*) omnibus sanioribus gentilibus fuit exosissima. Referam, qvod nuper observavi valdè memorabile. *Milesius* qvidam, periclitante sub Harpago, Cyri filio, patriâ, *Tauromenium*, Siciliæ urbem adnavigavit, ibidemq; apud notum qvendam trapezitam, auro depositio, domum rediit. Cyrus posthæc *Miletum* in potestatem redegit, nihilq; in eam gravius, ut metuerant, constituit. Rediit itaq; *Milesius Tauromenium*, ut depositum illud suum reciperet. Ibi mensarius depositum qvidem acce-

pisse non abnegabat, sed reddidisse contendebat. Ut verò Milesius post multas tandem rixas & contentiones ad jusjurandum hominem adegit, trapezita tale qvid machinatus est. *Ferulam tibia instar excavans*, in eamq; depositum *liquefactum infundens*, probè *obturat*. Accedens igitur ad jurandum, ferensq; *pro scipione ferulam*, qvasi pedibus æger *eâ fulciebatur*. Anteqvam tamen juraret, Milesio sibi *adstanti*, veluti *mox repetiturus*, arundinem *tradidit*. Ita dum manibus sublatis jurat, se depositum eidem, à qvo accepisset, reddidisse, Milesius indignans *arundinem projecit*, simuletiam hominum fidem defeciisse clamans. Tùm *fractâ arundine*, oculis patuit compositum illud auri causâ perjurium. Milesius itaq; aurum sibi suum vindicavit: trapezita verò præ verecundiâ, & qvòd improbus coram omnibus deprehenderetur, laqveo vitam sibi abrupit. Hæc *Conon apud Photium narr.* 38. Sic & veteris Ecclesiæ Scriptores abominantur æqvivocationem *Arii* Hæretici; cujus factum Lojoliticis nostris planè simile refert idem *Photius in Excerptis è Metrophanis & Alexandri actis p.* 489. Precibus Constantiæ ab exilio revocatus, cùm Constantino confessus esset, non aliud se sentire, qvàm qvod CCCXIIX. Patres decrevissent; qvin & jurejurando confessionem firmasset: posteà hæreseos & Ægypti turbatæ iterum reus, ac Constantinopolim revocatus, interrogatur ab Imperatore, *an maneret in sententiâ, quam coràm illo confessus esset?* Ipse iterum sine hæsitatione iisdem sese adhærere testatus est, & juramento qvidem. *Sed librum habebat sub axillâ occultatum*, qvi blasphemias illas continebat; & cùm Imperator qværeret de consensu CCCXIIX. Patrum, ipse respondebat, *sic se credere*, scilicet uti scriptum esset in libro suo, simulq; *manum convertebat ad axillam*. Hæc olim infamia erant; nunc licita sunt, & propagandæ Religionis instrumenta. Sed & *Gvicciardinus lib. VIII.* auctor est, *proprium id censeri Pontificum, non curare promissa: essesq; statutum, ut Ecclesia, nullo obstante contractu, promissione adepto beneficio, possit retractare obligationes, & contra eas diserte etiam venire, quas peregerint Prælati solenniter.* Ut hoc modo cum Paganis, qvibus summa fœderum religio erat, longè tutiùs fuerit inire fœdus, qvàm cum Christianis, ut qvidem videri volunt.

§. 5. *Prius more legitimo queri malunt*] Multi, qvia speciè judicii induere non possunt, ad vim armorum convertuntur; ut verba *Taciti lib. XV. Ann. c. 69.* leviter immutata huc traham. Sed hi barbarè, & plusqvàm barbarè. Vide *notam ad lib. I. c.* 13. §. 6. imo stultè: nam ut est apud *Euripidem in Helenâ act. III.* sub finem: *Verum hoc Deorum reperi verbum: Dementes, qui conantur armis Martis res afflictas hominum componere. Nam si pugnæ sanguinariæ arbitræ fuerint rerum, nunquam contentio civitates deseret mortalium.* Imò bellua-rum in modum. Nam ut censet *Tullius lib. I. Offic.* *cùm duo sint genera decertandi, unum per disceptatio-*

tionem, alterum per vim; cùm illud proprium sit hominis, alterum belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiori. Qvibus accedunt sapientes magno numero. Nec n. in scenâ jocatus est *Terentius*, cùm diceret, *Omnia prius consilio experiri, quàm armis sapientem decere.* Sed hoc ipsum seriò inculcat: *Archidamus* apud *Thucydidem lib. I. Qui se sponte offerunt disceptationi, & jure agere parati sunt, eos tanquam injurios bello aggredi INIQVUM EST.* Dionys. Halic. in Excerpt. Legat: *Non à rebus initium faciendum est, sed priùs verbis experiundum.* Adde *Gruter. Not. in Floril. pag. 304. & Piccart. Disp. L. th. 13. 14.* Corbulo apud *Tacitum lib. XV. Ann. c. 5. quamvis secundis rebus suis, moderandum fortunæ ratus, misit ad Vologesem, qui expostularent vim provinciæ illatam, &c.* Imò Deus hoc præceptum Reipublicæ Hebraicæ dedit. *Josephus lib. V. Antiquit. c. 2. Sed retinuit eos Senatus, ostendens, non oportere ita subitò bellum inferri popularibus, priusquam querelæ verbis disceptatæ sint; cùm lex ne in externos quidem permittat injuriâ affectis producere exercitum, nisi legatione prius missâ, tentatisq; viis, quibus ad saniorem mentem injuriæ auctores revocari possent.*

§. 6. *Interim novem mensibus fessi &c. se suosque cum omnibus opibus suis ferro & igni corrumpunt*] Viro generoso nihil optatius, qvàm amissæ libertati ne horam qvidem supervivere, docet *Grut. Disc. XX. in Tac. §. 7. 8.* Atq; hinc *Seneca* Philosophus magnam *calamitatem & pœnam*

nam esse censet *sub M. Antonio vivere*, qvi libertatem publicam oppresserat. Nam *Epist. 82.* de D. Bruto verba faciens, qvi erubescendâ vitæ cupidine mortis moras qværebat: *Præbebo cervicem*, inqvit, *ita vivam. Pane adjecit, vel sub Antonio. O hominem dignum, qui vitæ dederetur.* Qvod ipsum agunt Oratores illi apud *Senecã* patrem *suasor. VI.* sub personâ Ciceronis deliberantes, *An Cicero Antonium deprecetur? & suasoriâ VII.* ubi Cestius Pius: *Si occidetur Cicero, jacebit inter Pompejum patrem filiumq;, & Afranium Petrejumq; Q. Catulum, M. Antonium illum indignum hoc successore generis. Si servatur, vivet inter Ventidios & Canicios & Saxas. Ita dubium est, an satius sit, cum illis jacere, an cum his vivere?* Ubi obiter moneo, legendum esse, *Canidios.* P. CANIDIUS CRASSUS Legatus Antonii nominatur in æreis apud *Goltzium in tomo de C. Julio Cæsare. c. 10.* Nihilominus *αὐτοσχεδίας Saguntinorum* inexcusabilis, de qvâ multa dixi ad *Val. Maximum.*

§. 6. *Machinis*] Machinæ hîc sunt, qvas nostrates Sturm-Zeug/ posteriores verò scriptores Latini *Ingenia*, & earum architectos *Ingeniarios* dixerunt, ab ingenio scilicet, qvod in iis struendis sive moliendis intervenit. *Lipsius lib. I. Poliorc. dial. 1.* Hæc *Virdungus.*

§. 7. *Hujus tantæ cladis auctor Hannibal poscitur*] Sæpè factum, ut qvi culpæ compertus est, poscatur & dedatur. *Hugo Grotius lib. II. de I. B. ac P. c. 21. §. 4. & notis ad illum locum.*

§. 7. *Tergiversantibus Pœnis*] Totus enim Senatus Annibalis erat, eumq; fovebat; qvalis animus & *Ætolorum* fuit apud *Polyb. l. IV. c.* 27. qvi Prętorem insuper crearunt *Scopam*, omnium scelerũ auctorem. Igitur effecêre, ut non jam Hannibabalis, sed omnium Carthaginiensium culpa esset. Nam, ut inqvit *Phartazes* apud *Agath. lib. III. pag.* 76. *non solùm execrabiles Deoq; inviſi percussores, quiq; suis manibus cædem perpetrarunt; verùm etiam omnes, qui cùm prohibere possent, permiserunt, & qui gaviſi sunt, nec majorem in modum indoluerunt.*

§. 7. *Dux legationis*] *Q. Fabius Maximus*, ut appellant omnes. Vulgata lectio Pomponii, *Mucium*: qvam lectionem minimè mutandam cum *Alciato*, ut videtur, sentit *Freinshemius*; Sed omninò substituendum esse, *Q. Maximũ*, pro, *Q. Mucio*, levi mutatione, docui *ad dicti Pomponii* §. 37. neq; docuisse adhuc pœnitet.

§. 7. *Quasi planè sinu*] De sinu togæ, vide qvæ post multas eruditorum sententias affert *Octavius Ferrarius* in recens edito tractatu *de Re Vestiariâ lib. I. c.* 6.

§. 9. *Destinatumq; jam diu fulmen*] Innuit fortasse vatis Martii carmen, qvo diu antea Romanis Cannensis clades prædicta fuerat, ut tradit *Liv. lib. XXV. c.* 12. Notandæ verò elegantiarum studioso venustissimæ *comparationes bellorum* cum tempestatibus, fulminibus, procellis, &c. Imitatus

tus est *Eryc. Puteanus lib. V. Hist. Insubr. p.* 281. *Saraceni agmine facto irruunt, per agros urbesq; stragem ducunt. Tempestas hæc quædam fuit, sed subita & velut vento impulsa. Nam calamitatem postquam effudit, evanuit.* Ipsi bellatores *fulmina. Virgil. lib. VI. Æn. v.* 842:

Quis Gracchi genus? aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyæ? -----

Hinc etiam LEGIONEM FULMINATRICEM dictam voluit *Cl. Reinesius*, honoris causâ, qvòd vehementissimum impetum in hostes aliqvando fecisset. Fabula namq; est, legionem tum demum *fulminatricem* appellatam, cùm *M. Antoninus* Imperator celebrem illam victoriam de *Marcomannis*, precibus *Christianorum* reportasset; & ostendit falsitatem *Scaliger ad Eusebium n.* 1189. *ex Inscript. III. p.* 193. *operis Gruteriani*, in qvâ nominatur Q. PETRONIUS. C. F. PUP. MODESTUS. P. P. BIS. LEG. XII. FULM. qvi vixit temporibus *Nervæ* & *Trajani*. Malim tamen ego amplecti alteram Viri clarissimi sententiam, ita nuncupatam *à fulminibus, scutorum insignibus*. Habeo enim *quatuor tabulas*, in qvibus unius legionis munia *ære Cyprio* expressa sunt, & omnium *scutorum* insigne *fulmen*: ut ad hanc ipsam *legionem fulminatricem* eas tabulas pertinere putem. Sed hæc velut ἐν παρόδῳ. Qvæ huc pertinent, ejusdem *Reinesii* sunt hæc. *Virgil. l. IV. Georg*:

--- Ce-

----- *Cæsar dum magnus ad altum*
Fulminat *Euphratem bello* -----

Lycophron Cassandrâ, modò Ajacem: λήμνιον πρηστῆρα Ἐνυοῦς; *Lemnium fulmen Enyus*, modò Achillem, πρηστῆρα δαΐων μάχης, *fulmen hostilis pugnæ vocat.*

§. 9. *Saguntino igne conflavit*] *Seneca* lib. III. Nat. Qvæst. præf. *Hannibal confirmatum Hispaniæ cladibus bellum Italiæ inopinatus intulit.*

§. 9. *Medias perfregit Alpes*] Vide de *Annibalis* itinere *I. Lipsium Cent.* 1. *ad Belgas Epist.* 9. cui subscribit *Thuanus lib. XXVII. Hist.* De itinere *Henrici IV.* Imp. per Alpes *Brunn. lib. XI. p.* 70. 71. qvi & *lib. XII. p.* 377. de Alpibus: *Alpium angustiæ Italiæ frontem manium vice præcingunt.*

§. 9. *Velut cœlo missa descendit*] Freqvens est apud omnes genres loqvendi genus, ut qvæ supra communem altitudinem attolluntur, dicantur ὑπερουράνια, ut docet *H. Grotius notis in lib. de veritate Christianæ Rel. lib. I. p.* 97. *edit. Lugd. vel p.* 310. *edit. Paris.* hinc de Alpibus etiam dictum, *in cœlum assurgere.* Silius lib. II:

Proinde polo crescant Alpes, astrisq; coruscos
Appenninus agat scopulos -----

Adeoq; qvi de Alpibus descendêre, Florus egregiè dixit, *velut cœlo missos descendisse.* De hac altitudine Alpium idem Silius:

---- *caligat in altis*
Obtutus saxis, abeuntq; in nubila montes.

Mamertinus Paneg. III. cap. 2. *Vicina illa cœlo Alpium juga, quibus Italiam Natura vallavit.* Sed & si altitudinis eximiæ indicium est, qvod de *Casio monte* & *Idâ* veteres memoriæ prodiderunt, ex illorum vertice Solem ante ejus exortum per tenebras videri; certè hoc qvoq; indicio constabit Alpium altitudo, in qvibus *circà solstitium nox brevissima*, & penè nulla est; qvoniam & post occasum Solis diu ejus luce fruuntur montani homines, estq; (ut ait *Simlerus*) jucundissimum spectaculum, ex alto monte contemplari Solem paulatim orientem. Postremò Alpes ex plurimis locis Italiæ, Galliæ, Germaniæ cernuntur; ac rursus ex summis Alpium jugis longè lateq; prospectus patet.

§. 10. *Nisi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipsâ morte rapuisset*] *V. Senecam lib. III. de Beneficiis cap.* 33. Nec minori gloriâ digni, qvicunqve Principes ac Dominos suos in summis periculis protexere. De Clito vide *supplem. Curtian. Freinshem. lib. II. c.* 5. §. 16. Circa annum 1088. cùm *Welpho Bavarus Sigefridum* Episcopum Augustanum adortus, ferro trajicere conaretur, fortissimus Germanus *Ulricus à Blanckenberg* ictum Bavari intercepit, suoq; corpore excepit, confossusq; æternæ fidei in Episcopum elogio occubuit, ut scribit *Abbas Urspergensis.* De *Sebastiano Ribisso Myso, qui* anno 1542. *Mauritio*, Saxoniæ Duci, à *Turcis* sagittis undiqve petito, eodem modo vitam servavit, ac sibi pro vitâ gloriam im-

mortalem peperit, vide *Sleidanum lib. XV. sub init.*

§. 11. *Hic erit Scipio, qui in exitium Africæ crescit*] Imitatur *Livium lib. XXI. c. 46.* Hic erat juvenis, penes qvem perfecti hujusce belli laus est, Africanus ob egregiam victoriam de Annibale & de Pœnis appellatus.

§. 12. *Cùm se ignibus prius oleoq; fovissent*] *Vncta* membra *frigus* commodius ferre, docet *Freinshemius in Curtii lib. VII. c. 4. §. 23.* Similis verò dies Romanis victoriam de *Antiocho* peperit, ut est apud *Liv. lib. XXXVII. c. 41.* Unde tempus diligenter attendendum esse, præter cætera, cauto & prudenti Imperatori, docet *Frontinus lib. II. Stratag.*

§. 14. *Nec de Diis possumus queri*] In his talibus cavenda superstitio est, cui olim immersi Gentiles, qvi ex ominibus, auguriis, auspiciis & ejusmodi malorum Dæmonum commentis vel decipulis pendebant toti. Sed & ad superstitiones illas ac falsas persvasiones eventus plerumq; sequebantur, permittente Deo, ut impiorum aut superstitiosorum fides ita decepta confirmataq;, suæ impietatis aut superstitionis pœnas lueret. Qvin enim pleraq; hæc talia malorum geniorum operâ facta sint apud Gentiles, dubitare Christiano nefas. Ita *jecinorum fibræ & corda inversa, supposita, mutilata, ablata fuerunt olim ab eodem, qui ea sacra uti fierent, suis responsis miseros imbubinarat*; ut eleganter ait *Jul. Cæsar Scal. Exerc. 349.*

§. 14. *In-*

§. 14. *Insidentia signis examina*] Qvod semper inter portenta, ut docet *Lipsius ad Tac. lib. XII. Annal. c. 64. Lindenb. ad Ammiani Marcell. lib. XIIX. p. 74.* adde *Dion. lib. LIV. p. 611.* Vanitatem clarè ostendit *Freinshem. ad nostri lib. IV. c. 2. §. 45.*

§. 14. *Aquilæ prodire nolentes*] Aqvila legionis signum defigebatur in terram, qvæ si evelli non posset, cùm in hostem eundum esset, inter prodigia numerabatur. Qvâ de re nonnihil *Lipsius lib. IV. de Mil. Rom. dial. 5.* sed multa egregia *Casp. Gevartius lib. I. Electorum c. 2.*

§. 15. *Quadraginta millium cæde parta nobilitas*] Hoc est, ut obscurus anteà locus in posterum omnium sermonibus celebraretur, & famâ per orbem terrarum divulgaretur, posteriatiq; innotescet. Sic apud *Q. Curt. lib. IX. c. 6. §. 22.* Alexander, daturum se *nobilitatem ignobilibus locis*, magnitudine scilicet rerum âse gestarum, jactat. Hæc *Virdungus*. Ita verò de Carris loqvitur *Ammianus Marcellinus lib. XXIII. Carræ antiqvum oppidum, Crassorum & Romani exercitus ærumnis insigne.* Adde *Freinshem. ad Curt. lib. IV. c. 9. §. 8.* notam *ad Velleji lib. II. c. 8. §. 2.* Qvomodo *nobilitas* idem sit qvod *claritudo*, docet *Gronov. ad Liv. lib. XXXIX. c. 4.*

§. 15. *Ibi in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cœlum, dies, tota denique rerum natura consensit*] Notandum hic studioso pietatis in-

ſtrumentum iræ divinæ. *Juſtinus lib. XXIV. c. 8. §. 10.* de Gallis: *Inſecuta deinde tempeſtas eſt, qua grandine & frigore ſaucios ex vulneribus abſumpſit.* *Joſephus lib. V. c. 1.* de prælio *Joſuæ* cum Rege Hieroſolymitanorum: *Interfuiſſe huic prælio divinum auxilium evidentibus prodigiis apparuit, cœlo tonante, & crebris fulminum ictibus, grandine inſuper majore ſolito ruente.* De *Trajani* exercitu, vide, qvæ *ſuprà* diximus ad illa *Prologi.* §. 8. *Quaſi reddità juventute revireſcit.* Sic temporibus *Antonini Philoſophi* proſtratus eſt *Marcomannorum* exercitus, de qvo ſupra dixi, cùm Chriſtianorum precibus impetrata tempeſtas, in Romanos ſecunda, hoſtibus exitiabilis fuit. Meminêre pleriq; Chriſtianorum, & ex Chriſtianis antiqviſſimus *Tertullianus in Apologet*: ſed & Gentiles, qvamvis ex iis nonnulli magicis artibus procuratam nugentur. *Claud. in VI. Conſul.* Honorii:

Non tantis patriæ ſtudiis ad templa vocatus
Clemens Marce redis, cùm gentibus undiq; cinctam
Exuit Heſperiam paribus fortuna periclis.
Laus ibi nulla ducum. Nam flammeus imber *in hoſtem*
Decidit. -----

Et mox:

Tunc contentà polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit. -----

Deniq; cùm *Theodoſius M.* adverſus *Arbogaſtem & Eugenium* pugnaret, confeſtim magnum & ineffabilem ventorum turbinem in ora hoſtium ruiſſe, telaq; ab ipſis intorta retrorſum ſupinata egiſſe, conſtat tùm è *Zonarâ*, *Theodoreto*, *Socrate* & aliis; tùm ex iſtis ejusdem Claudiani:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati *veniunt ad claſſica* venti.

Adde *Capitolinum in Gordian. p. 158.* de clade Gordianorum in Africa: *Fuit ingens, qua raro in Africâ eſt, tempeſtas, qua Gordiani exercitum ante bellum ita diſſipavit, ut minus idonei milites prælio fierent, atq; ita facilis eſſet Capeliani victoria.* Ubi *Salmaſius pag. 261*: Hæc tempeſtas videtur occaſionem præbuiſſe qvibusdam Hiſtoricis illius texendæ fabulæ, qvâ Gordianos tempeſtate in mari ortâ, cùm Romam venirent, fuiſſe obrutos & exſtinctos ſcripſere. Vide *Zoſimum*. Et ut hiſtorias obſignem ſententiâ, præter alios præclarè *Nicephorus Gregoras lib. VII. Ex ipſis factis homo diſcat, quacunq; cooperantem & commilitantem non habent ſupernam dexteram, his terram & mare & aërem adverſari.* Et lib. VIII: *Cùm DEus aliquos multare vult; mox terram fortunatam aër gravis infeſtat, aqua maris illi ſuccenſet, importuni venti eam perflant.*

§. 16. *Simulatis transfugis*] Vide notam *ad lib. I. c. 7. §. 6.*

§. 16. *Obſervato loci ingenio*] Seneca lib. V. na-

V. natural qvæst. cap. 16: *Hannibal & contra solem Orientem exercitum nostrum, & contra ventum constituit, cùm venti adjutorio, ac fulgoris præstringentis oculos hostium vicit.* Secutus Annibalem artemq; Cannarum postea *C. Marius*, ut scribit noster *infrà lib. III. c. 3. §. 15.* Eodem stratagemate *Adolphum Nassovium* ab *Alberto* Austriaco in agro *Spirensi* superatum esse, cùm circumtortâ acie *Sol* ipsi *adversus* redditus esset; & nostro tempore Cæsarianum exercitum, totius Europæ terrorem, à Gustavo II. Svecorum Rege, anno 1631. d. 7. Septembris, neminem latet. Ut prudenter monuerit *Vegetius lib. III. de Re Milit. cap. 14. Ordinaturum aciem tria debere ante prospicere*, Solem, pulverem, & ventum. *Nam* Sol *ante faciem eripit visum*; ventus *contrarius tua inflectit ac deprimit, hostium* adjuvat tela; pulvis *à fronte congestus oculos implet & claudit.*

§. 17. *Donec Annibal diceret militi suo; parce ferro*] Non videtur sensum horum verborum satis percepisse *Brunnerus lib. I. Annal. Bojorum pag. 211.*, cùm ait: *Pugna ea tùm demum finita fuit, cùm ipse Annibal, quo nemo intemperantiùs sanguinem Romanum sitivit hausitq;, eo tandem ebrius militi imperavit, modestissimo, quod unquam dedit, mandato, Parce ferro.* Imò contra immanissimum potiùs & crudelissimum hoc fuit mandatum, cùm de ferro, ne retunderetur, qvàm de hominibus solicitior esset. Simili crudelitate in præliо illo, qvod *Hispani* in *Peruviâ* adversus Regem *Atabalipam* depugnaverunt, *monachus* totâ volitans

tans acie, suis inclamavit: *Punctim potiùs quàm cæsim Indos ferirent, ne laminas ensium perfringerent*; ut prolixè narrat *Benzo in Histor. Novi Orbis.*

§. 17. *Paullum puduit*] *Libanius* in Orat. ms. (apud *Vales. Annot. in Marcell. lib. XXXI.*) ad Theodosium de cæde Juliani Apostatæ vindicandâ, ait, *Valentem Imperatorem, in mediâ militum turbâ pugnantem occubuisse, tametsi & equorum regalium copia ei præstò esset, quorum velocitatem nemo ignorat; & duces fugam suaderent, atq; orarent, ut equo avectus salvum se incolumemq; Resp. reservaret. Sed ille indignum esse ducens, tantæ cladi superesse, cæsorum secum militum molem vice tumuli habuit.* Ita *Fulcaris* apud *Agathiam lib. I. pag. 20.* in pugnâ adversus *Francos* solus cum satellitio suo relictus, neqvaqvam sibi, ut aliis, fugiendum putabat: *præclarius facturum se ratus, si gloriosâ morte occumberet, quàm parùm generosè superviveret. Substitit itaq; quàm potuit firmissimè ad tumulum quendam sive sepulchrale monumentum tergo imminens, multosq; ex hostibus occidit, modò impetuose in eos irruens, modò adversâ fronte sensim retrorsum se recipiens. Cùm verò etiam adhuc integrum esset fugam capessere, suiq; ut ita faceret, hortarentur. Et quo pacto, inquit, Narsetis lingvam sustinuerim temeritatis me insimulantem? Convitium itaq;, uti videtur, magis quàm gladium extimescens, mansit, & quàm diutissimè restitit, neq; destitit pugnare, donec circumfusâ hostium multitudine, multisq; jaculis pectore exceptis, & jam cum morte conflictans pronus in*

ſcutum concidit. Hæc *Agathias*, noſtro exemplo planè ſimilia. Nam & *Paullum* calumniarum metu mori in veſtigio maluiſſe, qvàm fugere, ultima ipſius verba indicant ad Cn. Lentulum apud *Liv. lib. XXII. cap.* 49. *Tu me in hac ſtrage militum meorum patere expirare, ne ut reus inteream.*

§. 17. *Paullum puduit, Varro non deſperavit*] Vide notam *ad Vell. lib. III. c.* 11. §. 2.

§. 18. *Pons de cadaveribus factus*] De Cæſare vide noſtrum *infrà lib. IV. c.* 2. §. 85. Immanitas par *Saporis*, Perſarum Regis; de qvo *Agathias lib. IV. p.* 123: *Cilices & Syros depopulatus, & in Cappadoces usq; provectus, immanem ſtragem edidit, adeò ut hiulca concavaq; in ſeptis montium loca, cadaveribus cæſorum oppleret, & diſtantias eminentiasq; colliuminter ſe coæquaret, atq; ita ſuper cadavera equitatum duceret, montiumq; juga tanquam planitiem aliquam transiret.* Eadem *Muſtaphæ*, nefarii illius & Cypri occupatione famoſi; qvi bello, qvod *Amurathes III.* Turcarum Imperator adverſus Perſas geſſit, allatis ad ſe ex prælio *quinq; millibus cæſorum capitibus, & tribus millibus hoſtium captivis* adductis, eos omnes capite plecti, & remoris truncis *capita in formam propugnaculi* horrendo ſpectaculo diſponi juſſit; ut ſcribit *Johannes Thomas Minadous lib. I. belli Turco Perſici.*

§. 18. *In torrente Vergelli*] Benè *Freinshemius* hanc lectionem defendit contra *Pighium*. Sic *Vellejus Paterculus lib. II. c.* 130. *Incenſo monte Cœli.* Vide ibi *Voſſium. p.* 127.

§. 18. *Mo-*

§. 18. *Modii duo annulorum*] Alii *tres modios* habent. Cæterùm oportet hîc intelligere *modium Romanum*, qvi continuit *chœnicas octo*: chœnix autem legitima eſt *menſura, homini in diem alendo neceſſaria.* Qvare *Glareanus* tres hos modios non niſi dimidium *modii Friburgenſis* facere exiſtimat. Hæc *Virdungus.*

§. 19. *Quemadmodum ſciret vincere, ſic uti victoriâ ſciſſet*] Eodem die *Hannibalis gloria* pervenit ad ſummum, & ſimul *ſepulta* eſt. Cùm enim ex artibus boni ducis nulla præſtantior ſit, qvàm *benè uti ardore exercitus*, (id qvod fecit *Corbulo* apud *Tacitum lib. XIV. Annal. cap.* 23. *Antonius Primus* apud *eund. lib. III. Hiſtor. c.* 17. §. 4. *Maſaniſſa* apud *Liv. lib. XXX. c.* 12. *Himilco* Carthaginienſis apud *Polyb. lib. I. c.* 45. ipſe *Hannibal* non ità pridem apud *eundem lib. III. cap.* 70.) & verò ardor exercitus nunqvam major ſit, qvàm poſt pugnam feliciter de pugnatam (qvod ex ejusdem *Tac. d. l. III hiſt. c.* 19. ſatis apparet) ecce fatali qvodam conſilii melioris contemptu retrahit ſuos, potiſſimumq; totius belli præmium omittit, atq; adeò, ut loqvitur *Valerius*, victoriam in victoriâ perdit. Longè igitur præferendus ille *Valens*, ſi qvidem vera de illo prædicat *Themiſtius Orat. VI. Cùm duo ſint diverſa, vincere, & victoriâ rectè uti; cùmq; illud commune ſit cum armis, ſine quibus nemo hoſtem profligaverit, hoc verò ſolùm Imperatoris officio adſcribendum, tanto honorificentius eſt id,*

quod tuum est. Calluit hanc artem illa bellicæ laudis aqvila, & qvem *Scaliger* pater dicebat, *non hominem sibi videri, nisi mortuus fuisset*, C. Julius Cæsar, de qvo *Svetonius* ait in ejus vitâ *cap.* 60. *Nullum unquam hostem fudit, quin castris quoq; exueret: ita nullum spatium perterritis dabat.*

§. 20. *Fatum Vrbis Imperaturæ*] De qvo *Lipsius notis ad lib. I. Polit. c. 4. sub finem*, ubi inter alia: *Romanos imperare fatum est? Annibal à Cannis Romam non petat: Philippus fœdus sine effectu cum illo ineat, & navis cum legatis velut casu capiatur: cæteri item Reges quiescant, & alii post alios vinctur, fatali omnium ignaviâ.*

§. 20. *Aut ipsius mens mala, & aversi à Carthagine Dii*] Hæc à se invicem divelli non possunt. Qvippe ita se res habet, ut plerumqve, cui aversus est Deus, mentem & consilium corrumpat. Vide *notam ad Velleji lib. II. cap.* 118. §. 5. *& ad Valerii lib. I. c. 6. ex.* 10. *dissert.* 1.

§. 20. *Aversi Dii*] Hæc communis erat sententia veterum, *Deos indigenas iratos* esse iis, qvi captivitati exponerentur victorum, aliisqve calamitatibus. *Sinon* apud *Virgilium lib. II. Æneid:*

Ex illo ruere & retrò sublapsa referri
Res Danaûm, fractæ vires, aversa Deo *mens.*

Manilius lib. I. *invitos Deos* dixit, ut observat *Barthius l. LX. Adversariorum p.* 2889. Fuit inter nuperos

ros Philologos, qvi *Deorum iratorum* mentionem credebat fieri in monumento veteri apud *Gruterum IV. p.* 130:

KAL. AELIONIN. DI. IR.
ET. BAL. ET. INO. COS.
CELEIÆ
AUG.
P. ÆLIUS. P. F.
COS. PRO. SE.
ET SUIS.
V. S. L. M.

Sed eum lapidem vitiosissimè descriptum à *Boissardo*, feliciter emendat *CL. Reinesius* in epistolâ ad me scripta, hoc modo:

L. AELIO. CÆSARE. II.
ET BALBINO. COSS.
CELEIAE.
AUG.
P. ÆLIUS. VERINUS. B. F.
COS. PRO. SE.
ET. SUIS
V. S. L. M.

Qvamobrem in hoc lapide frustrà qværimus *Deos iratos.*

§. 21. *Cùm victoriâ posset uti, frui maluit*] Contrà decebat, & cum *Vligango* illo, *Herulorum* duce apud *Agathiam lib. III.* arcere primùm apes, ac dein mel commodiùs legere. Vide plura ad h. l. *c. 8. §. 8.*

§. 21. *Vbi mox & ipse & exercitus ardor elanguit*] *Livius lib. XXIII. c.* 18. de Hannibale: *In hyberna Capuam concessit. Ibi partem majorem hyemis exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana mala sæpè ac diu durantem, bonis inexpertum atq; insvetum. Itaq; quos nulla mali viterat vis, perdidere nimia bona ac voluptates immodicæ; & eò impensius, quò avidius ex insolentiâ in eas se immerserant. Somnus enim & vinum & epulæ & scorta balneaq; & otium consvetudine in dies blandius, ita enervaverunt corpora animosq;, ut magis deinde præterita eos victoria, quàm præsentes tutarentur vires.* Vide ibi plura. Eodem modo exercitum suum corrupit *Vitellius* de qvo *Tacit. lib. II. Hist. c.* 62. & *c.* 99. ubi inter alia: *Longè alia proficiscentis ex urbe Germanici exercitus species; non vigor corporibus, non ardor animis: lentum & rarum agmen, & fluxa arma, segnes equi: impatiens solis, pulveris, tempestatum, &c.* Plura *Grut. disc.* 26. & 38. *ad Tacit.* Et addendus idem *Liv. lib. XXIX. c.* 34. & *lib. XXXVI. c.* 11. De hoc ipso Annibalis exercitu *V. Diod. Sic. in Exc. Peir. p.* 279. 280. de Antiochi, *eund. ib. p.* 296. & qvàm luxus Campanus corruperit Romanum militem A. U. 411. *Appian. ibid. p.* 548. Qvamobrem prudenter *Narses* apud *Agathiam lib. VII. p.* 91. cùm videret, non defutura nova cum Francis bella; & vereretur, ne, si milites sui otio & mollitiei semel sese dedidissent, masculum eorum robur enervaretur, & si rursus in aciem prodeundum esset, ignaviâ victi in præliis animum desponderent, eos

eos oratione gravissimâ à voluptatibus & otio deterrendos censuit; qvam ibidem vide, planè ad illustrandum hunc locum facientem.

§. 22. *Tepentes fontibus Bajæ*] de qvibus plura *Casaub. ad Strabon. lib. V. p.* 116. *lit. E. Morell. in Stat. p.* 35. & *p.* 136. *Pighius in Herc. Prodic. p.* 373. Bajas infames fuisse, constat è *Cicer. lib. I. epist.* 16. *Martialis* de iisdem *lib. XI. ep.* 81.

Litus beatæ Veneris aureum Bajas,
Bajas superbæ blanda dona naturæ,
Vt mille laudem, Flacce, versibus Bajas,
Laudabo dignè non tamen satis Bajas.

§. 23. *Interim respirare Romanus*] *Multùm unus dies, & duo, & tres, Reipubl. contulerunt ad salutem*, ait *Demosth. in Oratione de Coronâ. Ennius lib. IIX. Annal:*

----- *Multa dies in bello conficit unus.*

Hoc cùm Hannibal neglexisset, Romam erexit, Carthaginem evertit. *Liv. lib. XXII. c.* 51, *Mora ejus diei satis creditur saluti fuisse Vrbi atq; Imperio.* Qvod ipsum arguto epigrammate reddidit *Ovvenius lib. II. n.* 119:

Hannibal in paucas fortunam distulit horas,
Non benè Romanas præmeditatus opes.
Vincere cùm sciret, fortunâ nescivit uti
Pœnus homo, quamvis Afer, eoq; vafer.
Heu! quantum Hannibali nocuit differre parato!
Servata est minimâ maxima Roma morâ.

§. 23. *Ab inferis emergere*] Nihil similius, qvàm illud *Statii* in leonem mansvetum Imperatoris.

---- *Mansêre animi, virtusq; cadenti*
A mediâ jam morte redit.

Porrò verisimum hinc esse patet illud Virgilii:

Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.

Cum qvo convenit ille versus Græcus:

Ἀνὴρ ὁ φύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Ennodius in Panegyrico: *Pallentes visi sunt mutatâ sorte victores.* Qvæ in mentem mihi revocant narrationem *Andreæ Mauroceni l. I. Hist. Venet. in A.C.* 1525. *Pontificis & Cæsaris exercitus, qui paulò ante Parmâ inglorius ac penè in fugam versus abscesserat, neq; Insubrum vicos, nedum urbes attigerat, nobili audaciâ prælio depugnans, horæ momento ingentem victoriam est adeptus.*

§. 23. *Arma non erant, detracta sunt templis*] An, & qvo casu destinata sacris bona liceat in profanos usus convertere, docet *Bernegger. Quæst. in Agricol. Taciti.* 180. & addendus *H. Grotius lib. III. de I. B. ac P. cap.* 5. §. 2. *& notis ad illum locum.*

§. 23. *Detracta sunt templis*] Moris enim fuit, tàm apud Græcos, qvàm apud Romanos olim, atq; etiam Barbaros, ut *spolia* hostibus erepta *templis affigerentur.* Lege *Val. Max. lib. VI. c. 6. ex. 2. Lucanum lib. VI. Horat. lib. IV. od.* 15. *Statium lib.*

lib. XII. Thebaid. deniq; præter alios *Silium lib. I. Punic:*

In foribus sacris, primoq; in limine templi,
Captivi currus, belli decus, armaq; rapta
Bellorum ducibus, savaq; in Marte secures,
Perfossi clypei & servantia tela cruorem
Clausiraq; portarum pendent. ---

Ad qvem locum doctissimus *Heinsius*, solvens problema illud Plutarchi, *cur spolia sola non licuerit renovare in templis?* ait veram causam obiter hîc tangi à *Silio*, cùm inqvit: *Perfossi clypei & servantia tela cruorem*; servasse enim clypeos, non qvòd clypei essent, sed qvòd perfossi; & tela, non qvòd tela essent, sed qvòd servarent cruorem; qvod in novis telis esse non poterat: deinde colebant eos, non qvòd *clypei* essent, sed qvòd *spolia.* Hæc *Vird.*

§. 24. *Egebat ærarium; opes suas libens Senatus in medium protulit*] Eadem virtute *M. Antoninus*, cùm exorto gravissimo bello *Marcomannico*, & ærario exhausto, indicere populo nihil vellet, factâ in foro Trajani sectione, distraxit vasa aurea, pocula crystallina ac murrina, uxoris & suam sericam & auream vestem, multa ornamenta gemmarum, ut scribit *Capitol. in ejus vitâ.* Vide ibid. *Casaub. p.* 71. Qvod privatos cives attinet, eorum in hâc re virtus emicuit maximè bello *Punico primo*, cùm Romani post gravissimas calamitates, fortunam belli maritimi denuò tentarent.

rarent. *Ad hoc inceptum*, inqvit *Polybius* lib. I. cap. 59. *Romanos impellebat animorum pervicacia potiùs, quàm ulla res alia. Nam publicam quidem pecuniam ad id, quod parabant, in ærario habebant nullam: sed ea tùm erat generositas, & in Rempubl. munificentia eorum, à quibus administrabatur, ut amplius etiam quàm opus esset pecuniæ adinveniretur. Nam pro modo facultatum singuli aut bini vel etiam terni unam quinqueremem cum omni suo instrumento prehendam suscipiebant: idq; eâ lege, ut rebus ex sententiâ confectis, sumptus reciperent. Hoc collationis genere partæ sunt quinqueremes ducentæ, quibus præfectus C. Lutatius Consul, paulò post victis ad Ægates Carthaginiensibus, bello Punico primo finem imposuit.* Huc referendum, qvod apud *Æn. Tactic. cap.* 13. legimus. Aperit ibi rationem τοῦ ξενατροφεῖν τάχιστα καὶ ἀσφαλέστατα καὶ εὐπαλέστατα, conscribendi alen. diq; militis necessarii, citissimè, tutissimè, & minimâ impensâ. Id futurum ait, *si colligendi quidem & exhibendi, sive alendi cura ditioribus civium demandetur, ipsis verò militibus duces è civibus præficiantur: sumtus verò à privatis factos bonâ fide refundendos esse de publico, eo solùm deducto, quod communi omnium jure tributi nomine, aut* ἐπιδόσεως, *ut Athenienses vocabant, fuerat præstandum.* Ita Æneam explicat *Casaubonus*. Virtus hæc inter maximas, qvæ arctis rebus conservant Reipubl. statum. Nonnunqvam tamen necessitas publica prætexitur avaritiæ privatæ; sicut fecit ille *Berengarius* bello *Hungarico*, qvo premebatur, apud *Luitprandum*

dum lib. V. c. 15, ibi: *Ex Ecclesiarum & pauperum collectione decem numorum modios dedit. Fecit autem hoc, non ut populi curam haberet, sed ut hac occasione magnam pecuniam corraderet, &c.*

§. 24. *Nec præter quod in bullis singulisq; anulis erat*] Intelligit *bullas puerorum*, qvod patet è *Livii lib. XXVI. c.* 36. de qvibus multa *Torrentius in Horatii Epod.* 5. *Pighius in Hercule Prodicio p.* 251. & 424. 425. E veteribus ita Festus: *Bullae erat insigne puerorum prætextatorum, quæ dependebat iis à pectore, ut significaretur eam ætatem alterius regendam consilio.* Porrò sicut *bulla* apud *Romanos* erat signum ingenuitatis; ita *torques* apud *Barbaros & Syros*. Vide *Vales. ad Amm. p.* 156.

§. 25. *Eques secutus exemplum*] *Lavinus* Consul apud *Livium* d. l. *Magistratus Senatui, & Senatus populo, sicut honore præstet, ita ad omnia quæ dura atq; aspera essent, subeunda, ducem debere esse: Si quid injungere inferiori velis, id prius in te ac tuos ipse juris statueris, faciliùs omnes obedientes habeas.* Cujus commatis est illud consilium *Mæcenatis* ad *Octavianum* Cæsarem apud *Dionem lib. LII.* pag. 559: *Ea autem dices ac ages, qua sentire ac facere præfectos tuos velis. Id enim faciliùs eos officium suum docebit, quàm metus legum; cùm alterum imitatione constet, alterum timore.* Accedunt Poëtæ, & inter eos *Seneca* in Thyeste:

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Id ad animum revocasse *Trajanum*, constat è *Plinii*

nii Panegg. c. 44. 45. 46. Vespasianum, è *Taciti lib. III. Ann. c. 55.* ibi: *Sed præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuq; : obsequiũ indè in Principem & æmulandi amor, validior, quàm pœna ex legibus & met*[9]. Ad qvem locum notat Lipsius illud Panegyristis ad Theodosium: *Tua, Imperator, epula mensis communibus parciores. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parcimoniæ cultus inolevit; & quiescentibus legum minis, subiit quoq; privatim pœnitentia.* Contrà malè agat Princeps; eadem sibi qvoq; convenire putabunt subditi. Xenoph. lib. IIX. de Instit. Cyri p. 239: *Nunc si quis sanctissimo jurejurando violato Regi quod expediat facere videatur: hi verò sunt, qui maximis honoribus ornantur. Quæ cùm omnes Asiatici videant, etiam ipsi ad impietatem & injustitiam deflexerunt. Nam quales sunt ii qui præsunt; tales & illi plerumq; solent esse, qui eorum imperio subjecti sunt.* Plura *Gruterus disc. 6. in Tac. Rittershus. lib. IV. Sacrar. Lect. c. 5. & 18. & lib. XIII. c. 13. Bernegg. ad citata loca Plinii.*

§. 26. *Cùm juniores à senioribus consilium de creandis Consulibus petivêre*] Planè ita decebat. Debet enim minor honorem & reverentiam majori; & haud dubiè in istis centuriis seniorum erant non tàm nomine qvàm reipsâ *seniores*, hoc est, consilio & prudentiâ per multarum rerum usum & experientiam collectâ valentes. Qvos consulendos & reverentiâ proseqvendos, tùm illustrium populorum exempla, tum gravissimæ Scriptorum sententiæ jubent. Ut è millibus unum ad-

adducam, *Achilles* apud *Q. Smyrnæum lib. XIV.* jam defunctus, & filio *Neoptolemo* per qvietem apparens, præcipit, ne fortitudine cuiqvam cedat; cæterùm *in concione senioribus obtemperet.* Similiter *Scherbius* Orat. contra Ramistas p. 11: *Accommodare suas cogitationes & consilia prudentum consiliis, est, se iis imitatione quadam similem reddere.*

§. 26. *Non virtute tantùm, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat*] Hoc est, usu edocti virtutem suam adversus tàm callidum hostem non sufficere, & ipsi tandem leoninæ vulpinam assuerunt, atq; ita suis (qvod dicitur) pennis Hannibalem ceperunt. Illud tamen hîc sciendum, Romanos calliditate qvidem calliditatem retudisse; sed honestâ & licitâ. Perfidiam perfidiâ oppugnare, id verò minimè Romanum habebatur. Hinc Scipio Africanus apud *Liv. lib. XXX. c. 25. etsi non induciarum modo fides à Carthaginiensibus, sed etiam jus gentium in legatis suis violatum esset; eorum tamen legatos supervenientes incolumes dimisit, nihil nec institutis populi Romani, nec suis moribus indignum in iis facturum sese professus.* Cum qvo loco confer, qvæ observavit *Hugo Grotius notis in lib. II. de I. B. ac P. c. 18. §. 7.* & adde insignem locum Qvinctii apud eundem *Livium lib. III. cap. 21.* item *Diod. Sicul. in Exc. Peir. p. 291. Dionem in iisd. p. 607. Brunner. lib. XIII pag. 558. Pictart. in Philos. Altdorph. Disp. XLII. th 3. & 4. & Disp. L. th. 36.* Unde patebit, veteres illos paganos nullam latebram qvæsiviſſe perfidiæ suæ. Sed Christianis mirum

rum qvantum placet leoninus ille, barbarus & impius versus Canonistarum:

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

qvem ita reddidit *Henricus Ranzovius lib. VI. Comment. bell. c.* 11:

Audenti violare fidem, violetur & ipsa,
Fallere fallentem publica jura sinunt.

§. 27. *Novam de Annibale victoriam commentus est, non pugnare*] *Multa bella impetu valida per moras evanuere*, dicit apud *Tac. lib. II. Histor. c.* 32. §. 4. Svetonius Paullinus, qvem Fabio nostro (de qvo præter Florum consulendus *Polyb. lib. III. cap.* 89. & 90.) per omnia similem describit idem *Tac. d. l. c.* 25. §. 3. *contatorem naturâ, & cui cauta potiùs consilia cum ratione, quàm prospera ex casu placerent.* Talis erat etiam Julianus teste *Amm. lib. XVI. Julianus nec itinera nec flumina transire posse sine insidiis putans, erat providus & cunctator: quod præcipuum bonum in magnis ductoribus opem ferre solet exercitibus & salutem.* Tales etiam erant *Lacedæmonii*, qvi non pugnabant, nisi cùm iis commodissimum videretur. Hinc cùm eos aliqvando premerent *Thebani*, ut vel ad pugnam exirent, vel deteriores esse se confiteri jubererent, responderunt: *Utri quidem essent meliores, vel ab utrisq; pro Græciâ res gestas testari; cæterùm non ad hostium occasionem vel præceptum pugnaturos esse, sed cùm sibi visum foret; nec in eâ re Thebanorum uti velle consilio*, teste *Photio* ex *Aristidis Platonicâ pro Quatuor viris p.* 443. Contra præceps Dux apud *Ta-*

cit. lib. IV. Hist. c. 71. Petilius Cerialis. Ab eadem porrò virtute commendatur *Christianus I. Rex Daniæ*, cujus hoc consilium adversus *Carolum Canuti, Svecorũ Regem* memoriæ prodidit *Meursius lib. I. Histor. Dan. in A. C.* 1452: *Cùm in bello contra Carolum nihil proficeret, sine bello deinceps Svecos debellare, ac famâ potiùs quàm armis bellum gerere constituit: subditosq;, qui in regni limite essent, accolas, rumore sparso, brevi sese cum exercitu adfuturum, perterrere semper jubet. Ut perpetuâ expectatione belli trepidantes, atq; ad tutelam regni usquequaque concurrentes fatigaret: ac postremùm summâ adeò rerum necessariarum egestate divexatos, tædio præsentis status ad defectionem impelleret. Erant quippe Christiano milites quidam veterani tùm in Scaniæ confinio, tùm in Gothiâ. Hi ut jussi, se in Sveciam magno agmine irrupturos minabantur. Idque seriò dictum rati, qui tuendo limiti præfecti erant sæpè auxilia ab extremis usque finibus advocabant. Quod cùm crebrò eveniret, toties, tam longo itinere, & id frustrà ad suppetias evocari, & molestum ipsis erat, & damnosum valdè incolis, qui à copiis transeuntibus insolentiâ militari vexabantur.* Hæc & plura de successu hujus consilii *Meursius*. Id enim tandem effectum, ut *Carolo* pulso populus *Christianum* obtruderet, & Regem coronaret. Plura dixi *ad Val. lib. IX. c.* 8. §. 3. Sciendum verò, *cunctationem debere esse talem, ut si res poscat, Delphinum ancoræ suæ jungat.* Lipsii judicium hoc fuit, *Fabium* in defensione; *Achillem, Alexandrum, Cæsarem*, in

in aggressu priores ferre. Ita nimiâ cunctatione rem perdidit suprà nominatus *Svetonius* apud *Tac. d. c.* 25. *Aratus* apud *Polyb. lib. IV. c.* 19.

§. 30. *Quamvis tunc (ô pudor!) servili manu pugnaret*] Ira nonnunqvam speciosa cedunt utilibus. Vide *Gruterum ad Liv. lib. IV. cap.* 40. Hinc coacti sæpè Romani duces manu *gladiatorum* pugnare, cujus conditionis homines *infra servos* abjicit ac deprimit noster *infra lib. III. c.* 20. Gladiatorum manu bellum gessit *L. Lentulus*, ut est apud *Cæsarem lib. I. de bello Civili c.* 14. *Otho*, ut scribit *Tac. lib. II. Hist. cap.* 11. Hinc coacti sacra nonnunqvam in profanum usum convertere; ut *suprà* audivimus. Hinc turpi deditione vitam pacisci. *Tac. lib. XV. Annal. c.* 13. ubi de *Cæsennii Peti* militibus à Parthis obsessis: *Aut Corbulonem opperiebantur, ac si vis ingrueret, provisis exemplis Caudinæ aut Numantinæ cladis. Neq; eandem vim Samnitibus Italico populo, aut Pœnis Imperii Romani æmulis. Validam quoq; & laudatam antiquitatem, quoties fortuna contra daret, saluti consuluisse.* Hinc coacti sæpè contemptis supplicare. *Piccart. dec.* 15. *c.* 17. *p.* 185.

§. 31. *Ausus est tamen in diversa respicere*] Hoc in Spartanis *furorem* appellat *Justinus lib. III. c.* 6. §. 11. sed prudenter egisse Romanos, ostendit *Polyb. lib. III. c.* 97. ubi disserit, qvibus rationibus motus S. P. Q. R. res Hispaniæ non omiserit. Et alioqvin hoc modo hostium vires sparguntur, ne una

unâ mole bellum ingruat. *Forstnerus ad Tac. pag.* 89. & 90.

§. 33. *Tota enim insula in unâ urbe superata est*] *Annibal* eodem consilio Sàguntum oppugnavit, qvo Romani Syracusas. Territis enim validissimæ urbis oppugnatione omnibus, sperabat ceteros etiam populos fore dicto audientiores. *Polyb. lib. III. c.* 17. Eodem *Agathocles* invadendam censuit Carthaginem; *Just. lib. XXII. c.* 5. §. 11. *Cæcina* Placentiam. *Tac. lib. II. Histor. c.* 20. *Metellus* arcem regni Numidici, *Sallust. in Iugurth. c.* 56. Idem *Vitelliani* volunt illis verbis apud eundem *Tac. d. l. c.* 28. *Si victoriæ sanitas, sustentaculum, columen in Italiâ verteretur*, id est, si Italiam in suam potestatem redegissent, indeq; Othonianos devictos expulissent; facilem sibi reliqvam fore victoriam: Italiam enim secuturas cæteras Imperii Romani provincias, velut caput sua membra. Et qvantum hoc esset, totum Romanum Imperium sensit in expugnatione Romæ, qvà sub jugum missâ, provinciæ omnes, velut ipsius capitis membra infelicitatum contagione laborarunt. *Quid enim salvi esse potuit* (verba sunt Hieronymi) *si Roma periit*? Deniq; ut è recentioribus unum adjiciam, cùm *Christianus I. Rex Daniæ* anno 1452. contra *Carolum Canuti Regem Sveciæ* bellum gereret, id egit, ut *Stocholmum*, primariam regni urbem, in qvâ regni summa vertebatur, ante omnia lucraretur. *Meurs. lib. I. Hist. Dan. pag.* 22.

Plu-

Plura *Bernegg. ad Iustin. lib. XXII. cap.* 5. §. 11. *Grut. ad Tac. disc.* 8. §. 1. *Forstn. ad Tacit. p.* 78. & 171.

§. 33. *Quamvis Archimedis ingenio defenderentur*] *Archimedes* speculis ex ære ustoriis non semel classiarios ipsasq; naves hostium combusit. Qvod multis seculis post imitatus est *Proclus*, Philosophus & mathematicus sub *Anastasio*; ut scribit *Zonaras*, in hujus imperio. Item *Hugo*, Rex Italiæ, contra *Saracenos*; *Luitprandus lib. V. c.* 15. Sed omnium veterum artes licet vaferrimas qvantum superarint nostrorum temporum *ingenia*, multis docet *Freinshem. ad Curt. lib. IV. c.* 3. §. 2. De igne artificioso, cujus inventum *Callinicus* architectus ex *Heliopoli* Ægypti ad *Constantinum Pogonatum* attulit, *Casaub. ad Æn. Tact. c.* 35. *p.* 105. è *Zonará* & *Cedreno*. Id ipsum *Historia Miscella lib. XIX.* perhibet: *Callinicus, marino igne confecto, Arabum vasa exussit, & unà cum animalibus accendit.* Vocat *marinum*, qvia in mari durabat; alii πῦρ ἔντεχνον, vel ἐντέχνως κατασκευασθέν. Plures dicunt πῦρ ὑγρὸν, qvòd inter humida & humores ipsos vivat; ut *Zonaras in Pogonato*, *Nicetas in Isaaco Angelo. lib. I.* Hæc & plura ille. *Iulius Africanus Operis sui Tactici c.* 45. inscripsit ἀντίμαγον πῦρ ἄψαι. Eo docet rationem pharmaci conficiendi, qvo si arma hostium, aut aliud qvid inunxeris, atq; id posteà radiis solis objeceris, incendio sponte excitato omnia sint conflagratura. *Ibid.* Igni Græco 750. naves Christianorum combusit *Soldanus* A. C. 1222. *Brunn. lib. XII I. p.* 650.

§. 35. *In;*

§. 35. *Insanorumq́ (nam sic vocantur) immanitas montium*] An propter illam ipsam immanitatem ita dicti? Festus: *Insanum magnum pro valdè magnum usus est Plautus.* Ita legit Lipsius *lib. III. Epistol. Quæst.* 20: qvòd Festus respiciat ad istud Plauti: *Insanum magnum molior negotium.* Imitatus hoc *Ausonius* de Crœso: *Dives insanum in modum.*

§. 35. *Desiderio patrii soli domaretur*] Carissimarum rerum periculis compelli hostes ad deditionem, ostendit *Grut. ad Liv. lib. V. c.* 42. Huc referendum illud stratagema *Narsetis*, qvo *Luzenses* ad deditionem compellere conatus est, apud *Agath. lib. I. p.* 17.

§. 38. *Illam seminarium hostilis exercitus*] Vide *Casaub. ad Spart. p.* 23.

§. 40. *Ad profligandam provinciam maximè profecisse singularem Ducis sanctitatem*] Hic colligendæ artes, qvibus plus valemus adversus hostes, qvàm armis. *Sanctitate & pudicitiâ* vicit Scipio hîc, de cujus sanctitate *Dio Cocc. in Exc. Peir. pag.* 603. & juxta eum collocandi Heroës, de qvibus agit *Freinsh. ad Curt. lib. II I. c.* 12. §. 21. *Iustitiâ* Camillus, *suprà lib. I. c.* 12. §. 6. & Belisarius, de qvo *Constantinus* Manasses: *Libyam universam occupavit, & cervices Vandalorum, quæ hactenus flecti nequiverant, inflexit, ipsismet Afris ad eum deficientibus, & operam dantibus, ut à Belisario regerentur.* Nimirum invicta res est *justitia*,

qvæ prius infestos potest amicos reddere, & hostes perindè attrahit ut magnes ferrum. *Comitate & clementiâ* vicit Narses apud *Agathiam lib. I. p.*18. cui addendus *Polyb. lib. II. c.*36.

§. 41. *Dux acerrimus contra Romanos Italicis quoq; viribus utebatur*] Persvasum enim erat Annibali, Romanos nisi Italiæ viribus vinci non posse: qvâ de causâ qvoq; posteriùs *Antiocho* Regi auctor fuit, bellum in Italiam transferendi, teste *Livio lib. XXXIV. c.*59. *& lib. XXXVI. c.*7. Nec Romani hujus stratagematis incuriosi erant, qvos *Tacitus* scribit *lib. IV. Hist. c.*17. *provinciarum sanguine provincias vicisse.* Sic *Mardos* debellavit *Corbulo*, ut refert *idem lib. XIV. Ann. c.*23. *Mardos immissis Iberis vastavit, hostilemq; audaciam externo sanguine ultus est.* Sic *Britannos* debellarunt *Britannis.* Unde *Galgacus* apud eundem *in Agric. cap.*32. *Alienæ dominationi sanguinem commodamus.* Plura *Grut. disc.*27. *in Tac.* §.10.11.12. *Bernegg. ad Agricol. Tac. quæst.*206. *sub fin.* Et sanè sunt qvædam nationes eo ingenio ut utrisq; mereant. Apud *Livium lib. XXXII. c.*34. Philippus Macedonum Rex objicit Ætolorum Principi Alexandro, *quòd Ætoli pro lege hunc morem antiquitus servent, ut adversus socios ipsi suospublicâ tantùm auctoritate demptâ, juventutem suam militare sinant, & contrariæ persæpè acies in utráq; parte Ætolica auxilia habeant.* Cujus ingenii, qvamvis non sine magno pudore & damno patriæ,

triæ, sunt etiam *Germani hodierni*, qvos in contrariis aciebus ferè semper conspiciunt nostri & exteri. Tamen alii svadent, militem contra suę nationis militem non educendum; & huc pertinet consilium *Palæstinorum* Ancho datum de remittendo Davide, apud *Ioseph. lib. VI. Antiquit. cap.*15. qvod neglectum *Xerxi*, pernicioſum fuit, cùm *Iones* adversus *Græcos* duceret, ut legimus apud *Iustin. lib. II. c.*12. §.25. *Bajasiti*, cùm *Tataros* adversus *Timurum* Tatarorum Chanem, id est, Regem, ut apud *Leunclavium lib. VII. Histor. Musulman:* *Ludovico Sfortiæ*, Duci Mediolani, cùm *Helvetios*; ut apud *Luckium in numis & Piccart. dec. III. observ. c.*2. qvi omninò adeundus de hac re. Mihi sic videtur: Cùm aliqvando necesse sit hostes suorum popularium sanguine debellare, propter auctoritates & exempla, qvæ congesserunt *Grut. & Bernegg. ll. cit.* diligenter tamẽ inspicienda *ingenia & affectus*, num ad suos deficiendi animum habere possint. Sæpè enim nullum habent, qvod, juxta *Euripidem in Medeâ.*

Δεινή τις ὀργὴ καὶ δυσίατος πέλει
Ὅταν φίλοι φίλοισι συμβάλωσ ἔριν.

hoc est, interprete Cantero:

Gravis creatur ira & insanabilis,
Inter se amici cùm parant contendere.

Qvæ *Aristoteles lib. VII. Polit. c.*7. confirmat gemino Græcorum proverbio: χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν

Difficilia inter fratres bella. Et: Οἱ τοι μάλα στέργουσι, οἵ ῥ' ἀγαθοὶ φίλοι εἰσί. *Qui vehementer amant, iidem & vehementer oderunt.* Atqve ex hâc causa *Germanorum* auxiliis contra Germanos feliciter utuntur exteri, qvia semetipsos acrioribus odiis prosequuntur, qvàm omnes alios. *Secundò* attendendum illud *Livii lib. XXV. c. 33*: *Ne Duces ita externis adversus externos credant auxiliis, ut non plus sui roboris suarumq; propriè virium in castris habeant.* Hoc enim diligenter observato, peregrinos facilè deterrebunt à clandestinis molitionibus. *Tertiò*, is semper locus in præliis id genus suspecto militi assignandus, qvo velex desperatione adversus suos pugnare cogatur; vel iis sub qvibus meret, nihil nocere possit. Calluit hanc artem *Hannibal*, de qvo vide *Scipionis* confessionem apud *Liv. lib. XXX, c. 35.*

§. 43. *Compulsus ad ultimos metus, ab incepto non destitit*] Nihil mutandum. Videtur enim hæc lectio antiqvissima, & ab ipso *Ammiano* sublecta; qvi *lib. XIV. pag. 84. Quibus visis compulsus ad ultimos metus, &c.* Porrò de hujusmodi constantia in semel cœptis dixi ad *Velleji lib. I. c. 9. §. 3.* adde *Polyb. lib. I. c. 37.*

§. 45. *Vt divinitùs hostem submoveri*] Notata mihi non semel id genus mirabilis fortunæ benignitas in hanc urbem. Ita namq; posteriorib⁹ temporibus submotus est *Attila*, Hunnorum Rex; qvem Romam occupare volentem retraxe-

traxerunt amici, non urbi consulentes, sed veriti *Alarici* fatum, qvi expugnatæ Romæ non diu supervixerat, ut è *Prisco* historico refert *Jornandes*. *Paulus Diaconus* auctor est, cùm *Leonem Episcopum* obviam habuisset, pacis specie atq; habitu; eidem omnia indulsisse: miratos ergò comites post discessum interrogasse, *quid ita contra morem Episcopum Romanum revereretur?* & Attilam respondisse: *Non illum se sed alium juxta stantem in habitu sacerdotali, formâ augustâ, & canitie venerabilem, quiq; stricto gladio mortem esset minatus, nisi Episcopi petitioni sese permitteret, veneratum esse.* Longè verò similius, imò adeò simile, ut ovum ovo non possit esse magis, qvod legimus in *Appendice Aurelii Victoris*. Cùm enim *Longobardi* temporibus *Tiberii Thracis* Imperatoris sub triginta ducibus magna incrementa sumsissent, tandem etiam Romam obsederunt; sed ab urbe *crebris imbribus* repulsi sunt.

§. 46. *Tantùm non adoratam*] Hanc lectionem suam stabilit *Gruterus* etiam in *notis ad Pan. IV. c. 11.*

§. 47. *Hastæ subjectus*] De qvâ *Virdungus* adire *jubet Cujacium ad Tit. de Orig. juris.* Addo *Pancirollum lib. I. Thesaur. Var. Lect. c. 93.*

§. 48. *Voluit Annibal contra fiduciam imitari*] Vide notam *ad lib. IV. c. 2. §. 49.*

§. 48. *Argentarias urbis tabernas*] Intelligit eas, qvas *Argentarii* sive qvi argentariam

faciebant,& numariæ rei negotiationem exercebant,*circa forum* habebant. Unde *circumforaneum æs* Cic.appellat *ep.* 1. *lib. II.ad Atticum.* cùm se ære alieno obrutum innuit, qvòd ab istis *circa forum tabernas* habentibus argentariis sive numulariis pecuniæ fœnori collocarentur. Eas autem tabernas à *Tarquinio* Rege in *foro* positas docet *Dionysius lib.I II.Antiquit.* Hæc idem *Virdungus.* Scripsit de iisdem modò citatus *Pancirollus lib.I. Thesaur. Var. Lect. c.* 31. *Pareusin Electis Plautinis pag.*88.

§. 48. *Vt scias etiam præsagia fatis fuisse*] Id est, ea fiducia privatorum vel diffidentia, fuit velut præsagium felicitatis Romanæ, & infortunii Carthaginis. Porrò similem fiduciam non memini legere in profanis historiis. In sacris occurrit *Hieremias*, sed majore, utpote divinitus confirmatâ mente; qvi eo ipso anno, qvo *Nabuchodonosor Hierosolyma* obsedit, possessiones patruelis sui emit, cùm fore crederet, ut post certum tempus populus suus è captivitate Babylonicâ reduceretur. Consulendus ille Propheta *cap.* XXXII.

§. 49. *Asdrubal frater Annibalis*] Qui qvantus vir fuerit, docet *Diod. Sic. in Exc. Peiresc. p.*283. ex versione Valesii: *Cæterum* Asdrubalis *virtus haud quaquam silentio prætereunda est. Nam cùm Hamilcaris cognomento Barcæ filius esset, omnium ætatis suæ ducum præstantissimi; qui & in Siciliensi bello* μόνος τῶν ἡγεμόνων πολλάκις ἐνίκησε Ῥωμαίους, καὶ ἐμφύλιον κατέλυσε πόλεμον, πρῶτος διεβίβασε δύναμιν εἰς Ἰβηρίαν· *solus Romanos sæpè superaverat, & confecto civili bello primus in Hispaniam copias trajecerat.* Τοιοῦτος δ' ὢν πατρὸς, ἐκ παίδων ἑαυτὸν παρεῖχετο τῆς οἰκείας δόξης. Ὁμολογουμένως γὰρ ἄριστος ἦν στρατηλατῶν ἁπάντων Καρχηδονίων, μετὰ τὸν ἀδελφὸν Ἀννίβαν. διὸ καὶ τῶν ἐν Ἰβηρίᾳ δυναμέων Ἀσδρούβαν κατέλιπεν ἡγεμόνα. Id est: *Hujusmodi patris gloriâ non indignum se filium præstitit. Etenim, quod sine controversiâ est, omnium Pœnorum ducum post Annibalem fratrem* optimus *habebatur. Quocirca & Hispanicis copiis ab Annibale est præpositus: cùmq; multa & magna prælia in Hispaniâ fecisset, & ex pristinis cladibus exercitum recreasset, in maximis periculis sæpè versatus est. Ac tandem procul ab orâ maritimâ fugatus,* διὰ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν μεγάλην ὁδοῖτε δύναμιν, *suâ virtute validissimas copias comparavit; præterq; omnium expectationem in Italiam venit.*

§. 50. *Debellat*] Ad *Metaurum.* Cujus cladis vestigia *Hieron. Magius lib.I. Miscell. c.* 4. scribit se vidisse *Pisauri* in Urbinatum Ducis armamentario, *æreas* nempè *galeas*, agris *Metauro fluvio* adjacentibus effossas, qvę ab iis, qvas hodiè milites nostri gestare solent, ad magnitudinem qvod attinet, non discreparint.

§. 52. *Qua longissima Italia*] De voculâ *Qua*, videndus *Freinsh. ad Curtii lib. III. cap.* 11. §. 12.

§. 53. *Agnosco infelicitatem Carthaginis*] Ita derivantur in *fortunam publicam* pleraq;. *Darius* post infelicem pugnam hortantibus suis, ut eqvum conscenderet, respondit: *Deos ultores adesse*, sicut scribit *Curt. lib. V. c.* 13. §. 16. hoc est, ut ex-

plicat *Freinshemius*, pertinacem illam *fortunam*, qvæ Persas *urgere* non desineret. Ad eundem modum *Sarmatæ* apud *Ammianum Marcell. lib. XVII. Fortunæ non meriti fuisse*, ajunt, *quod evenerit*. Ita qvoq; lamentatus est *Philippus Valesius*, Galliarum Rex, cùm ad *Cressiacum* ab *Eduardo III.* Angliæ Rege ingenti prælio devictus esset. Fugâ enim vix elapsus, ubi ad urbem *Brayum* devenit, interrogatus à præfecto ad portam, qvisnam adesset? miserabili voce respondit: *Fortuna Franciæ. Froissard. lib. I. Histor. & Johannes de Serres in Philippo Valesio.* Ex eâdem causa *Bohemi*, teste *P. Æmilio lib. II. de reb. gest. Franc.* à *Carolo Magno* sæpiùs victi, *Fortunæ filium* appellarunt, & legatos ad eum miserunt cum hisce mandatis: *Victores hactenus multarum magnarumq; gentium, nunquam victi ad hanc diem floruimus. Et nunc, si aqua fata sint, tot gentes nobis militarent, quot sub signis tuis ducis; Dii nobiscum fuerunt; ad te evocati transierunt. Non virtus nostra, sed* fortuna, *tuæ cedit. Utere, dum licet, cœli (quo nihil mobilius rapidiusq; est) beneficio. Dux felix fortissimos viros (quo quid fortunatius?) in deditionem accipe.* Hæc illi. Nec sanè negari potest, qvin Fortuna sæpè suprà virtutem & fortitudinem negotium curet; & qvod *Heraclitum Ephesium* dixisse ferunt, *ab inertibus & ignavis, eventus variante fortunâ, superentur viri præstantes.* Sed prorsus impiè *Fortunæ publicæ* prætextu, *parricidii* scelus obtegere conatus est *Nero* Imperator apud *Tac. lib. XIV. Annal. c. 11. §. 4.* Cùm enim matrem suam

suam Agrippinam interfecisset, scripsit ad Senatum literas falsas & impudentes, qvibus omnia Claudianæ dominationis flagitia in *matrem* transtulit, & *publicâ fortunâ* extinctam memoravit.

§. 54. *Magni æstimabat asperrimum hostem in suâ Africâ debellare*] Facit hic locus ad propugnandum bellum offensivum, qvem illustrat illud *Mamertini in Paneg. Maximiano dicto c. 8. Sic illa quondam Romanæ potentiæ diu æmula & inimica Carthago à P. Scipione devicta est, cùm is trajecto in Africam exercitu, Annibalem ab Italiæ vastatione revocavit. Audieras hoc Imperator? an ipse per te divinâ tuâ mente prospexeras, ita demum hostes funditùs posse subverti, si in propriis sedibus vincerentur?* Sed & hîc locum invenit illud egregium *Brunneri lib. I. Annal. Bojor. pag. 91. Durum est suis agris ingemere, aut cibum exsculpere è patrio solo, in alieno dulciorem, eumq; hilari labore, id est, prædando parabilem.*

§. 57 *Incubantem Italiæ Annibalem*] Loqvitur de Annibale, tanqvam serpente qvodam vel dracone; qvi qvod complexus, ægrè dimittit. Hæc *Virdungus*. Similis locus apud *Vellej. Patere. lib. II. c. 129. Maroboduum inhærentem occupati regni finibus, pace Majestatis ejus dixerim, velut serpentem, abstrusam terræ, salubribus consiliorum suorum medicamentis coëgit egredi.* Martialis lib. XII. epigr. 53:

Largiris nihil, incubasq; gazæ
Ut magnus draco. ------

§. 58. *Major sub Imperio Romano dies*] De non vulgari vocabuli *dies* notione, *Casaub. ad Svet. Aug. c.* 23. qvâ ipsâ *Justinus lib. IX. c.* 4. §. 11. *Hic dies universæ Græciæ & gloriam dominationis & vetustissimam libertatem finivit.* Sic apud Ciceronem *dies ille, quo Atticus quartanâ laborabat.* Vide *lib. VII. ad Att. epist.* 8. *lib. IX. epist.* 4. *f. vbiq; Manut.* Adde *d. lib. IX. epist.* 8. *f. Dirus ille dies Sullanus*, qvo C. Marius pulsus est, dicitur eid. *Cic. lib. X. ad Att. epist.* 8.

§. 59. *Steterunt diu mutuâ admiratione defixi*] Ut plerumq; virtus etiam hostibus admirabilis. Vide *dissertat.* 2. *ad Valer. lib. II. c.* 10. §. 2. *Et dissert. unicam ad lib. IIX. c.* 15. §. 3.

§. 60. *Constat utriusq; confessione*] Grave atq; auctoritatis plenum est illud testimonium, qvod hostes perhibent; ait *Isidorus lib. I. epist.* 228. Vide multa in hunc sensum collecta à *Conrado Rittersh. lib. III. Sacr. Lect. c.* 13.

NOTÆ AD CAP. VII.

§. 1.

Post Carthaginem vinci neminem puduit] Illud *Tigranis junioris* ad Cn. Pompejum huc pertinet, *non esse turpe ab eo vinci, neq; ei inhoneste aliquem submitti, quem fortuna supra omnes extulisset.*

Refert *Vell. Pat. lib. II. cap.* 37. ubi vide *notam nostram.* Simillimus planè locus *Brunneri lib. XII. pag.* 396.

§. 1. *Secutæ sunt statim Africam gentes*] De significatu vocabuli *gentes* adeundus *Gronov. ad Liv. lib. V. c.* 34.

§. 1. *Quodam quasi æstu & torrente fortunæ*] Qvi ubi incurrit & ingruit, frustra solus ei resistes. Id qvod intelligens ultimus Ægypti Sultanus *Tomumbejus* nostris, at Turcis *Tomman bay* dictus apud *Leunclav. lib. XVII. Histor. Musulmann*: Mamaluchis sive Zindis suis ingerit, ut qvando Turcarum Imperatori pares esse neqveant, adversarii violentiæ cederent; & in præsentiâ darent operam, ut pacem ab eo conditionibus qvàm maximè tolerabilibus impetrarent: *Perpetuæ*, inqvit, *fatalesq; rerum humanarum & imprimis regnorum vicissitudines sunt. Osmanidarum fortuna maximos hactenus orbis Principatus, extinctis præpotentibus Regum familiis, suas sub leges redegit: & tyrannus hic felicitate suâ majorum res gestas obscuraturus, & imperium suæ gentis ad summum culmen quoddam evecturus existimatur. Servemus igitur nos temporibus magis propitiis, quando dies iste dabit occasiones ea damna resarciendi, quæ nobis hoc tempore non tàm vis immensa Selimis, quàm fati necessitas inevitabilis inferre videtur.*

§. 4. *Vltra jus victoriæ in sepulchra ipsa sæviret*] *Athenienſium* istorum Legati ad Ætolos apud

apud *Livium lib. XXXI. cap.* 30. *Esse quædam belli jura, quæ ut facere, ita pati sit fas: fata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorumq; agi; misera magis quàm indigna patienti esse.* Sed mox divina humanaqve jura Philippum polluisse referunt, qvi sepulchra monumentaqve diruerit, omnium nudarit manes, circa omnia templa infestos ignes circumtulerit. Sic etiam *Gallorum* auxiliarem manum, qvâ *Pyrrho* Regi adversus *Antigonum* adfuit, graviter perstringunt Scriptores, *qui antiquorum Regum tumulos perfodere aggressi, thesauros illic conditos exhumarunt, diripueruntq; cùm censerent inculti homines, modestis illis mortuis auro nihil opus esse, quo nec pulchriores nec lætiores fierent; molliusq; in pulvere, quàm metallo cubarent*, ut *Plutarchi* narrationem eleganter exhibet *Brunnerus lib. I. Annal. Bojor*: Qvod ait: *Antiquorum Regum*; sciendum: summum nefas eorum habitum fuisse, qvi Regum antiqvissimorum sive conditorum urbium imperiorumq; sepulchra violarent; ut multis docet *Torrentius ad Horatii lib. Epod. od. 16.* Adde *H. Grot. lib. III. de I. B. ac P. c. 12. §. 7. Rittersh. lib. VI. Sacr. Lect. c. 18.*

§. 9. *Nihil terribilius ipso vulnerum aspectu*] Fortiores hac in parte majorum nostrorum feminæ, de qvibus *Tac. lib. de Moribus Germ. c. 7. §. 4. Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt, nec illæ numerare aut exsugere pavent.* Ubi *Lipsius* notat, *Farnesianum & Romanum* codicem habere, *exigere*; qvod robur femineum magis exprimat, tanqvam

qvam illæ non numeraverint solùm plagas, sed *exegerint expostularintq;* cum suis, si illæsi rediissent tanqvam ignavi, & vitæ suæ parci.

§. 10. *Ipsa Macedoniæ claustra penetravimus*] Cùm à qvodam pastore *Charopi*, Epirotarum Principis, qvi omnes montium anfractus & calles noverat, supra caput hostium deducti essent Romani, ut scribit *Liv. lib. XXXII. cap.* 11. Talis dux in *Persidem* Alexandro *M.* fuit, ut legimus apud *Curt. lib. V. c. 4. §. 10. & seqq.* Talium operâ petram *Arimazis Sogdiani* munitissimam occupavit idem Alexander, ut auctor est laudatus rerum Alexandri Scriptor *lib. VII. c. 11. §. 7.* Sed & anno 1552. bello qvod *Mauritius Dux Saxoniæ*, ejusq; fœderati adversus *Carolum Imp.* gesserunt, *Ereberga* arcem, undiq; prærupto saxo impositam, hominumq; opinione inexpugnabilem, simili ferè occasione *Protestantes* ceperunt. Etenim pastor qvidam, qvi in aversam rupis partem, ad primum strepitum adventantium militum aufugerat, *capellam* per veprem in summum enitentem conspicatus, eam & ipse insecutus fuerat, & *notato calle*, qvo miles subire posset, præmii spe corruptus rem sociis enunciârat, qvi è vestigio erepentes per aversam rupem, *præeunte pastore*, præsidiarios audaciâ eorum territos ad deditionem compulerunt. *Thuan. lib. IX.*

§. 10. *Claustra*] Ejusmodi claustra inferioris ævi Scriptoribus *Clusuræ* dicuntur, qvæ sunt viæ sive transitus angusti admodũ per loca montosa,

qvæ

qvę Latinis olim *furcæ* nominabantur & *fauces*. Sic *cliſuras Isladinas* uſurpant Turcici Annales, qvæ in *Thraciam* ex *Bulgariâ* profecturis in *Hæmo* monte occurrunt, eo loco, qvo parvus amnis *Sladitza* ſubter *cliſuras Hæmi* labitur. Hæc ferè *Leunclavius in Pandectis Turcicis n.* 107. *Suidas* tamen ſcribit, Romanos κλεισύρας appellare τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων. Cæterùm adeundus eſt *Cujacius l. III. Obſervat. c.* 24. ubi in *l. IV. de off. judic. milit.* vulgatam lectionem proponit; *caſtrorum quin etiam refectionis luſtrationiſq; curam habeant*; ipſe autem emendat, *cluſuriarumq;*; & tam *cluſurias* qvàm *cliſurias* in libris MSS. reperiri teſtatur. Nam & *cluſuras* habet *Caſſiodor. lib. II. Variar. in epiſt. Theodorici Regis ad Fauſtum Præf. Prat.* ibi: *Præcipimus ſexaginta militibus in Auguſtanis cluſuris jugiter conſtitutis annonas præſtare.* Sic verò in *Vopiſci* Bonoſo, ibi: *Cùm quodam tempore in Rheno Romanas luxurias Germani incendiſſent*, legendum *cluſurias*, idem *Cujacius* monet. Hæc olim *Virdungus* proponebat; ſed jam in prioribus notis monueram, de loco *Vopiſci* me dubitare, cùm legendum videatur *luſorias*; qvarum *navium* meminit *Seneca lib. VII. de Benefic. cap.* 20. *Ammianus Marcell. lib. XVII. & XIIX.* Movebat me præcipuè, qvòd illæ *cluſuriæ* non dici poſſent eſſe *in Rheno*, ſed *ad Rhenum*. Paullò poſt incido in Salmaſianas, hoc eſt, conſummatiſsimæ eruditionis notas ad *Hiſtoria Auguſtæ Scriptores*, & in hoc ipſo *Vopiſci* loco video me planè confirmari; dum miratur vir incompa-

rabilis, *Cujacium*, *Pithœum*, *Caſaubonum*, tantos viros ac tàm minimè ineptos, adeò abſurdam lectionem probare potuiſſe. *Demus*, inqvit, *Latinum eſſe* cluſurias, *quid illæ facient* in Rheno? *In medio ſcilicet Rheno caſtella ædificata accipiemus*, & cluſuras *conſtructas? nihil abſurdius.* Luſorias *igitur vera lectio, & emendatio.* Hæc *Salmaſius p.* 475.

§. 11. *Introiſſe victoria fuit*] Indicat auctor noſter ſummam celeritatem illius victoriæ, ut vult *Freinshemius*. Geminum eſſet illud *Taciti in vitâ Agricol. cap.* 33. §. 5. *Inventa Britannia & ſubacta.* Sed huc omninò pertinet exemplum, qvod refert Salluſtius *in Jugurt. cap.* 76. Jugurtham ſtatim profugiſſe, *cùm Metello nihil infectum cerneret; quippe loca, tempora, deniq; naturam ipſam, cæteris imperitantem, vicerat.* Ita qvoq; *Annibalem* Romanos valdè perculiſſe audaciſsimo per *Alpes* in Italiam transitu, ſcribit *Polyb. lib. III. cap.* 61. Hoc igitur vult noſter, maximum ad victoriam momentum attuliſſe, qvòd T. Qvinctius Flamininus, velut naturæ victor, per invia & inacceſſa irrupiſſet in Macedoniam.

§. 11. *Quos Cynocephales vocant*] Monet *Elias Vinetus*, ſic etiam apud *Jornandem*, Flori mutilatorem ſcriptum reperiri. Apud Livium verò *Cynoscephalæ*, apud *Strabonem lib. IV. Plutarchum in Flaminino & Appianum in Syriacis*, Κυνὸς κεφαλαί; deniq; apud *Zonaram* Κυνὸς κεφαλὴ legitur. Non abludit autem ab hujus loci appellatione vocabulum Germanicum **Hunds-Ruck**; qvo, qvic-

qvid

qvid terrarum *inter Navam, Rhenum & Moſellam* interjacet, jocularitet à noſtratibus vocitatur, propter ingenium loci tùm montoſum tùm aſperum; ut etiam aliqvot oppida & vici nomen à *ſaxis* ſortita ſint, ut Herſtein / Eberſtein / & ſi qva ſunt alia hujusmodi. Hæc olim *Virdungus*. Similes locorum appellationes ludicras obſervavimus paſsim. Apud *Strab. lib. IX.* ſaxum vocatur ὄνου κεφαλή, qvia jacentis grandis aſini ſpeciem præſe fert; vide ad illum locum *Caſaub p.* 185. *lit. D.* Apud *Britannos* oppidum eſt ad *Tinæ* ripam *Gatesthead* Saxonicè *Gatsheved*, id eſt, *capræ caput*; qvanqvam *Camdenus*, ut *Brunduſium* Meſſapiorum lingvâ à *cervi capite*; ſic illud vult dictum ab interſignio diverſorii, qvod fuerit capræ caput. Sic *Gallum gallinaceum* Africæ, *tres ſorores* Hiſpaniæ, *Pirum* Italiæ loca, apud *Antoninum in itinerario* dici, ab hujus modi inſignibus. Vide dictum auctorem in *Britann. p.* 609. Adjiciam adhuc unum, ſed cum præfatione veniæ. Non procul à caſtro, qvod *The Caſtle in the Peatke* vocatur in Britanniâ, ſpecus ſive ſubterraneus meatus eſt, *Divels arſe*, *Diaboli podex* dictus; magno hiatu patet, multiplicesq; receſſus habet; in qvibus paſtorem vidiſſe latiſsimam regionem, rivulis interfuſam, & vaſtos inertium aqvarum conceptus, ſive veri ignorantiâ, ſive mentiendi libidine finxit *Gervaſius Tilburienſis*. Conſulendus idem *Camdenus p.* 444. Sunt alia id genus innumera. Sed hoc tamen ſilentio prætereundum non eſt, qvæ *Virdungus* ſuprà nos docuit, nomen Hunds-

Hunds-Ruck cynicam nominis rationem habere, deſumpta qvidem eſſe è *Joſephi Scaligeri lib. I. Auſon. Lection. cap.* 1. ſed Scaligero vulgum impoſuiſſe; nam vir doctiſsimus *Marquardus Freherus tom. 2. Orig. Palat. c.* 10. ſolidiſsimis rationibus demonſtrat, *Hunnorum colonias*, à *Gratiano* Imper. ductas, huic regioni nomen *Hunes-Ruch* / vel *Hundes-Ruch* dediſſe.

§. 14. *Quinquennalibus ludis*] Ad hunc locum *Virdungus* adeundum cenſet *Scalig. Animad. in Euſeb. p.* 85. *& lib. I. de Emendat. Temporum, cap. de periodo Delphorum Pythicâ.*

§. 14. *Quid florum in conſulem profuderunt?*] De hoc modo ſpargendi flores in viros honoratos *Caſaub. ad Svetonii Neronem cap.* 25. *Freinshem. ad Curt. lib. V. cap.* 1. §. 20. *Morellus in Statium p.* 182.

NOTÆ AD CAP. IIX.

§. 1.

Macedoniam ſtatim] *Drepanius in Panegyr.* Theodoſio dicto ſc. 39. *Rectè profectò germana illa pictorum poëtarumq; commenta, victoriam finxere pennatam, quòd hominum cum fortunâ euntium non curſus ſed volatus eſt.* Pertinet *ad notam lib. I. c.* 9. §. 8.

§. 1. *Quaſi induſtria*] Freinshemianis adde *Curt. 9. c. 5. §. 4.*

§. 2. *Non aliud formidolosius famâ bellum fuit*] De hujus belli formidine *Cic. pro Murenâ c.14.* Verè Alexander apud *Curt. lib. IV. c.2. §.14. Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia illâ tradente majora sunt vero. Nostra quoq; gloria, cùm sit ex solido, plus tamen habet nominis, quàm operis.* Vide ibi *Freinshemium.* Inprimis id genus rumores ab otiosis; qvod patet è loco *Tac. lib. XIV. Annal. c.58. §.4. & Curtii lib. VI. c.2. §.15.* Nonnunqvam tamen deficere famam, apud *Iosephum lib. IIX. Antiquit. cap.3.* testatur Arabiæ Regina, *in Oratione ad Solomonem.*

§. 3. *Cùm humore continuo Cumanus Apollo sudaret*] Dixi hâc de re *ad Val. Max. lib. I. c.6.7.8. dissert.1. §.18.* Sic apud *Nicetam Choniatem lib. II. de imperio Andronici Comneni* legitur, *imaginem S. Pauli* Apostoli, antiqvæ manus opus qvam *Andronicus* auro exornatam in Sanctorum qvadraginta æde reposuerat, imminente ei tyranno exitio, *lachrymasse.*

§. 4. *Nec sanè viris, opibus, armis quicquam copiosius Syriâ; sed in manus tam ignavi Regis inciderat*] Similis ferè locus *Taciti lib. II. Histor. cap.89 §.4. Et militum phaleræ torquesq; splendebant: decora facies, & non Vitellio Principe dignus exercitus.* Et *Iustin. lib. II. c.10. §.21. Huic tanto agmini dux defuit.* Qvamobrem ut nihil profecit *Vitellius*, & *Xerxes*; ita nihil præter nihil *Antiochus.* Sapienter *Vellejus lib. II. cap.111. Senatorum Equitumq; Romanorum exacta ad id bellum opera pollicita. Omnia hæc frustra præparassemus, nisi qui illa regeret fuisset.*

§. 4. *Vt nihil fuerit in Antiocho speciosius, quàm quòd à Romanis victus est*] Qvæ huc faciunt, adduxi ad *Velleji lib. II. c.37. Valerii M. lib. IV. cap.5. ex.5.* Simile illud *Puteani* de Desiderio *lib. III. Histor. Insubr.* p. 186: *Hoc unum in solatium vertens, quòd à Carolo vinceretur.* Contra, *ab ignobili victore omnis rubor.* Aristidis Locrensis dictum huc facit, qvi morsus à *mustelâ*, moriens affirmavit, *jucundiorem sibi mortem fore, si ea leonis vel Pardalis, non contempti illius animalis dentibus obtigisset,* ut refert *Ælianus lib. XIV. c.4.* Hinc etiam noster infrà *lib. III. cap.19. §.1. Quis æquo animo ferat in Principe gentium populo bella servorum?* Adde *Livinejum ad Paneg. VII. c.26. pag.351. Ammian. lib. XXII. p.210 f. & lib. XXVI. pag.325. Lampridius in Alex. Sev. p.134.* qvam vis per summam vanitatem: *Erat autem gravissimum Reip. atq; ipsi, quòd Germanorum vastationibus Gallia diriperetur. Pudoremq; augebat, quòd victis jam Parthis ea natio immineret Reip. cervicibus; quæ semper & minusculis Imperatoribus subjecta fuerat.* Adde locum *Taciti lib. III. Ann. c.46. §.2. & cap.73. §.2.*

§. 5. *Inhonoratam apud Romanos queren; adversus Macedones militiæ suæ societatem*] Tangit ulcus in animo Thoantis, ex qvo, si credimus *Senecæ*, pernicios issimæ iræ nascuntur. Le-

gendus is *l. III. de Irâ. c. 30. & 31.* ubi inter alia: *Tanta importunitas hominum est, ut quamvis multùm acceperint, injuriæ loco sit, plus recipere potuisse.*

§. 6. *Si se consiliis ejus Rex tradidisset*] Qvid impediit? Assiduo colloqvio *Annibalem* suspectum invisumq; *Antiocho* reddiderant legati Romani; ut præter alios scribit *Justin. lib. XXXI. cap. 4. §. 1.* Hic mihi nota fraudem politicam: *Quem destruere cupis, ejus fidelissimos primùm suspectos ei redde*; ut (qvod ait *Sen. lib. II. de Irâ c. 23.*) *præsidia sua suo gladio cadat.* Qvod effectu admodum facile. Nam, ut inqvit *Meursius lib. I. Hist. Dan. p. 58. hoc ferè Regum fatum est, ut fortunâ eminente, cùm periculis non exiguis plurimis q; sint expositi, omnia, sapè etiam tuta metuentes, facile, quod timent, credant: & præcipites crimina nec cogitata ulciscantur.* Pauciſsimi obseqvuntur præcepto *Senecæ lib. II. de Irâ cap. 22. Dandum semper est tempus: veritatem dies aperit. Ne sint aures criminantibus faciles: hoc humanæ naturæ vitium suspectum notatumq; nobis sit: quòd qua inviti audimus, libenter credimus: & antequam judicemus, irascimur.* Qvæ qvidem omnia neglexit *Antiochus*, dum adversus *Annibalem* facilem se præbet criminantibus, neminemq; perfidiæ tàm suspectum habet, qvàm fideliſsimum. Sed redeamus ad artem Romanorũ; cui maximè affinis est, *parcere acerrimorum hostium agris, quò apud suos proditionis suspecti fiant.* Usi hâc fraude *Spartani*, de qvi-

qvibus *Justinus lib. III. cap. 7. §. 8. Periclis agros in populatione cæterorum intactos, hostes reliquerant, sperantes, acquirere se illi posse, aut periculum ex invidiâ, aut ex suspicione proditionis infamiam.* Vide ibi *notam Berneggeri, & Forstnerum hypomn. Polit. 93 p. 272.* Nec alius generis dolus *Agrippinæ*, qvo *Neronem* suum evexit, *Britannicum* Claudii progeniem evertit, apud *Tac. lib. XII. Annal. c. 41. Simul qui centurionum tribunorumq; sortem Britannici miserabantur, remoti fictis causis, & alii per speciem honoris: etiam libertorum si quis incorruptâ fide, depellitur tali occasione. Obvii inter se Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutavere. Quod ut discordiæ initium, Agrippina multo questu ad maritum defert: Sperni quippe adoptionem, quæq; censuerint Patres, jusserit populus, intra penates abrogari: ac nisi pravitas tam infensa docentium arceatur, eruptura in publicam perniciem. Commotus his quasi criminibus Claudius, optimum quemq; educatorem filii exilio ac morte afficit; datosq; à novercâ, custodiæ ejus imponit.* Hanc ipsam fraudem exercuerunt illi Sveci, qvi *Christianum I. Daniæ, Svecia & Norvvegiæ Regem* patria suâ expulsum cupiebant. Nam *Johannem* Benedicti Filium *Salistæum* Archiepiscopum Upsaliensem, sive regni Svecici antistitem primarium, & conspectæ in Christianum fidei, per calumniam apud ipsum accusant, velut omnis mali auctorem: ac futurum esse ajunt, ni maturè provi-

videret, ut qvemadmodum pridem *Carolum Canuti*, ipsum qvoq; regno exigeret. Hæc fingebant, ut si Rex indignitate rei motus, qvod futurum prævidebant, Salistæum comprehenderet, aut suspectum porrò haberet; consangvineos Salistæi toto regno potentissimos ad sumenda in Christianum arma concitarent. Princeps optimus nimiâ credulitate, qvâ plerumq; ut qvis bonitate præstat, ita maximè laborat, dum existimat vera dicere delatores, in suspicionem adducitur: qvam ut porrò confirmarent, etiam libellos spargunt, famam viri innocentis magis impulsuros; ac traducunt velut Regis proditorem, qviq; hoc conatu omni moliatur, uti *Carolum*, ab exilio revocatum, restitueret. Deniq; tantum effecêre, ut consiliis eorum callidissimis sese permittens *Christianus*, nihil tale agitari suspicatus, comprehensum mox in *Daniam* transmitteret. Summa erat ejus viri in Regem fides, summa merita: neqve regno dejici Christianus poterat, nisi priùs hoc remoto, qvi *consilia factiosa unus maximè impediret*. Itaq; ab eo primùm subruendo initium factum, ut minore postea negotio ipse Rex everteretur. Qvare cùm id effeciissent, inchoatas jam insidias perseqvuntur, & amicos capti accedunt, incitantqve ad vindictam; Non ferendam injuriam esse qvæ ad omnes pertineret: ac tentari in Salistæo, qvid passuri ipsi essent: nulli dubiam ejus fidem meritumq;; & si sangvinis communis nullâ curâ afficiantur, saltem viri innocentiâ moverentur: cujus

cujus si periculum spernant, idem omnes aliqvando subituros. Qvare si constare sibi deinceps dignitatem vellent, arma caperent, Carolumq; ab exilio revocarent, & in regnum pridem ejectum restituerent. Qvod si facerent, suum exemplum sine dubio secuturos incolas. Neq; mora: arma sumunt; & cum ipsis passim incolæ. Dein commisso acri prælio *victus Christianus in Daniam fugit*; & *Carolus Canuti* post annos exilii 7. revocatur. Vide *Meursium lib. II. Hist. Danicæ pag.* 38. *& seqq.*

§. 6. *Satis habuit bellum movere*] Contra peritissimorum ducum facta & sapientissimorum Doctorum præcepta. Vide *notam* 3. *ad Vell. lib. I. cap* 3. & adde *Polyb. lib. XVI. c.* 13 *àpr.*

§. 8. *Otia & luxus tanquam victor agitabat*] Vide qvæ notavimus *ad hujus lib. cap.* 6. §. 21. At longè prudentiùs *Sultanus* ille *Muhametes*, Bajasitis filius, qvi exercitibus hostium profligatis, occupatis arcibus *Tocatæ*, ita genio indulsit, ut nihilominus oculos in hostem directos, aures semper arrectas haberet. Auctor *Leunclav. lib. VIII. Histor. Musulm.*

§. 9. *Hic ille positis aureis*] Id genus bellator fuit *Antonius Triumvir*, qvi bello inter sese & *Octavianum Cæsarem* recrudescente, tunc maximè cum *Cleopatrâ* suâ se interim in *Samum* insulam abdidit, eoq; qvicqvid ubiq; erat histrionum ludionumq; contracto, turpissimè genio indulsit;

adeò ut cùm universus pænè circum circa lamentis & gemitibus creparet orbis, una illa per multos dies cantu & tibiis personuerit insula. Refert *Plutarchus in Antonio.* Nec melioris notæ *Commodus* Marci Antonini filius; de cujus mollitie, cùm bellum gerendum esset, *Herodianus lib. I.* & *Isaacius Angelus Comnenus* Imperator Byzantinus, de qvo *Nicetas Choniates lib. II.*

§. 10. *Suâ luxuriâ debellatum*] *Quippe nec ira Deûm tantum, nec tela, nec hostes, Quantum sola nocet animis illapsa voluptas.* ut canit *Silius Italic. lib. V. Punicor.* De *Tyrrhenis* scribit *Diod. Sicul lib. V. c.* 40. In compotationibus & ignaviâ degeneres vitam exegisse: ideoq; mirum non esse, qvòd majorem in bellis gloriam amiserint. Plura *Gruter. discurs. in Tac.* ad illa: *Voluptatibus Romani plus adversus subjectos, quàm armis valent.*

§. 11. *Ne ibi quidem fiduciâ loci resistentem*] Vide notam *ad lib. III. cap.* 1. §. 14.

§. 12. *Nam Rex prælium nec spectare poterat*] Atqvi cùm de summâ rerum alea jacienda est, præsentia summi capitis omnino reqviritur; ut contrà minora tantùm ducibus committuntur. Videndus *Gruterus disc. XXI. in Tac. pag.* 57. 58. *Freinshemius ad Curt. lib. III. c.* 2. §. 1. & *c.* 6. §. 3. & *c.* 11. §. 7. *Lipsius lib. V. Polit. c.* 14. §. 7. 8. & *seqq.*

§. 15. *Mæandrum ad amnem montemq; Sipylum castra ponuntur*] Apud *Livium*, unde noster hæc sumsit, *lib. XXXVII. c.* 37. extat, *Antiochum* Regem circa *Magnesiam*, qvæ ad *Sipylum* est, posuisse castra. *Duæ* autem sunt *Magnesiæ*: una Μαγνησία ἐπὶ Μαιάνδρῳ, altera Μαγνησία ὑπὸ Σιπύλῳ; ut docet *Scalig. Animadv. in Euseb. num.* 961. Noster igitur hoc loco *Magnesiam* illam, qvæ ad *Sipylum*, malè confundit cùm illâ alterâ, qvæ Mæandro adsita, de qvâ *Strabo lib. XIX. Geograph.*: prima ab Epheso, inqvit, est *Magnesia* Æolica urbs, qvæ *ad Mæandrum* cognomento dicitur. Vicina est enim Mæandro: sed vicinior urbi *Lethæus* fluvius, qvi è Pactyâ Ephesiorum monte ortus, *in Mæandrum* influit. At de alterâ Magnesiâ *Idem lib. XIII.* ubi de Æolicis qvibusdam urbibus verba facit; Non procul, inqvit, ab his urbibus *Magnesia* abest, qvæ *sub Sipylo* dicitur, à Romanis libera judicata. Hæc *Virdungus.*

§. 17. *Sed hæc omnia præpedita magnitudine suâ*] Vide notam *ad lib. IV. cap.* 2. §. 49.

§. 18. *Eò libentius, qvòd tàm facilè cessisset*] Plerumq; mitior victoria, ubi minor hostis victi pertinacia. Unde Otho apud *Tac. lib. II. Histor. c.* 48. *Irent properè, neu remorando iram victoris asperarent.* Confirmat, qvod scribit *Idem lib. II. Annal. c.* 22. de Angrivariis: *Mox bellum in eos Stertinio mandat, nî deditionem properavissent; atq; illi supplices nihil abnuendo veniam omnium accepere.* Et qvod *lib.* XIII. *Annal. c.* 41. *Oppidani portis sponte patefactis se suaq; Romanis permisêre: quod salutem ipsis tulit.* Huc pertinet illud *Procopii lib.* II.

Vandal. Pœnitentia in tempore oboriens iis, qui peccarunt, ad veniam dandam provocare læsos solet. Contrà Gallorum, qvos devicerant, contumaciâ irritatæ legiones Germanicæ, ut scribit idem *Tacitus lib. I. Histor. c. 51.* cui simile refert *Livius lib.* XXII. *c.* 49. *Victores morantibus victoriam irati, trucidabant, quos pellere non poterant.* Sic cùm *Ticinum* moraretur cursum victoriarum *Longobardicarum* (nam in tertium annum obsidebatur) juravit *Alboinus*, si urbem caperet, *universum populum se trucidaturum*; qvod tamen ne postea faceret, triste omen oculis oblatum admonuit. Videndus *Sigon. lib. I. de Regno Italiæ pag.* 8. Sed *Aquilejæ* hoc ipsum omnem veniam abstulit, cùm post obsidionem triennii ab Attilâ expugnata esset. Callimachus: *Direpta à militibus præda, & præter paucas feminas, beneficio formæ ad libidinem reservatas, in omnes sævitum propemodum rabiosè, propterea quod tàm obstinatè se defenderant.* Sed hanc diritatem nemo mihi probaverit in illos, qvi fidem & pertinaciam debent Dominis suis; & legimus Heroës magnanimos, qvosdam post victoriam, qvòd acrius sibi restitissent, clementiùs habuisse. Vide *Brunn. lib. XV. p.* 1018. 1019.

NOTÆ AD CAP. IX.

§. 3.

ET memineramus auxilii, sic placuit ignoscere] Ita viros sapientes decet, ut beneficii potiùs

tiùs qvàm injuriæ meminerint. *Seneca* ep. 81: *Sapiens nec offensæ potiùs, quàm beneficii meminit. Quantum potest in priore ac meliore memoriâ se detinet.* At maxima pars humani generis aliter, qvæ proclivior est injuriæ qvàm beneficio vicem exsolvere; qvia gratia oneri, ultio in qvæstu habetur. Vide, qvæ collegit *Lipsius* ad illa *Senecæ lib. I. de Benef.* cap. 1: *Cùm ita naturâ comparatum sit, ut altiùs injuriæ, quàm merita descendant.*

§. 4. *Iugumq; Maleum*] Infestissimum illud navigantibus promontorium Laconiæ in Peloponneso; de qvo ideò proverbium percrebuit, qvo jubentur, qvi illud promontorium flectunt, *oblivisci domuitionis*, sive reditus in patriam. Legendi *Strabo lib. VIII. Pompon. Mela. lib.* II *c.* 3. *Plinius lib. IV. Nat. Hist. cap.* 5. *Ptolem. lib.* II *I. cap.* 16. Μαλέαν ὃ κάμπτων ἐπιλάθεται τῶν οἴκαδε. *Jos. Scalig. Animadv. in Chron. Euseb.* Hæc *Virdungus*. Dixi de hoc ipso promontorio nonnihil ex *Itinerario Breitenbachii ad Vell. lib I. c.* 9. §. 2.

AD CAPUT X.

§. 2.

INitia pugnæ prospera] Hæc verba diligenter considerata facilè prohibent insolescere. Qvamvis enim *Histris* fortuna belli primùm arrisisset, paullò tamen post destituit turpissimè. Eodē modo illusit *Carthaginiensibus* primo & secundo bello Punico: nam paulo antè, qvàm vincerentur ad

Æga-

Ægates, res eorum fuére florentisimæ. *Hanno Carthaginiensis* apud *Livium lib. XXIII. c.* 13: *Nunquam terrâ marique magis prosperè res nostræ visæ sunt, quàm ante Consules C. Lutatium & A. Postumium fuerunt. Lutatio & Postumio Coss. devicti ad Ægates insulas sumus.* Belli Punici secundi qvæ fuerint initia, qvàm læta Carthaginiensibus, Romanis adversa; contrà qvàm dispar exitus, jam didicimus suprà. Audiatur *Annibal* ipsum illud fortunæ ludibrium apud *Liv. lib. XXX. cap.* 30. Eandem perfidiam sensit *Dion*, de qvo *Cornelius Nepos in Vitâ X.* cap. 6. §. 1: *Has tam prosperas tamque inopinatas res consecuta est subita commutatio; quòd fortuna suâ mobilitate, quem paulò ante extulerat, demergere est adorta.* De *Bruto* & *Cassio* similia scribit *Vellejus lib. II.* cap. 70. *non repertos, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata, maturiùs destituerit, quàm illos.* De Othone eadem pænè verba legere licet apud *Tac. lib. II. Hist. c.* 11. qvibus hîc utitur Florus: *Læta Othoni principia belli*; qvi & mox c. 12: *Blandiebatur captis fortuna.* Sed qvis fuerit exitus, describit *à cap.* 41. *ad finem cap.* 50. Eadem de *Petronio Maximo* Imperatore facto post Valentinianum III. *Sidonius Apollinaris* lib. II. epist. 13: *Fortuna diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum ut scorpius ultimâ sui parte percussit.* Qvid multis? pleni omnes libri hujus generis exemplis à mundi nascentis primordio editis. Causæ patent, *insolentia* & *hostium con-*

contemptus. Igitur, *una nostra certaq; felicitas, felicitati nulli credere.*

§. 2. *Epulantes ac ludibundos plerosq; ac ubi essent præpoculis nescientes, Appius Pulcher invadit*] Ita victi sunt à Davide Amalecitæ apud *Josephum lib. VI. Antiquitat. cap.* 15. Xenœtas, Antiochi dux à Molone, apud *Polyb. lib. V. c.* 48. Afri à Maharbale duce Carthaginiensium; & Hispani à Tiberio Graccho, apud *Frontinum lib. II. Stratag. c.* 5. Celtæ à L. Cæcilio Metello, apud *Diod. Sicul. lib. XXIII. c.* 12. *f.* Franci, qvi Pertharitum juvarunt, à Grimoaldo, apud *Eryc. Putean. lib. II. Histor. Insubr. p.* 142. Servii à Turcis anno 1336. ad oppidum Chirmen apud *Leunclav. lib. V. Historiæ Musulman.* ut de aliis innumeris sileam.

§. 3 *Ipse Rex Apulo*] Æpulonem dictum vult *Reinesius lib. I. Var. Lect. c.* 25. *p.* 118.

§. 3. *Cùm subinde crapulâ & capitis errore lapsaret*] Aliter *Livius lib. XLI. c.* 4. *&* 5. ubi scribit, Regem Histrorum temulentum ex convivio raptim à suis in eqvum impositum fugisse. *Idem cap.* 11. Æpulonem hunc refert obsessum in oppido Nesatio, & deploratis rebus suis, anno demum seqventi trajecisse pectus ferro. Porrò similem historiam de Norwegiæ Rege *Svenone* habet *Buchananus lib. VII. rerum Scoticarum pag.* 211. ubi inter alia: *Rex ipse per temulentiam à paucis, qui minus vinolenti erant, correptus, cùm non modò viribus, sed etiam sensu careret, instar oneris in jumen-*

mentum fortè oblatum injectus, & ad naves delatus est.

NOTÆ AD CAP. XI.

§. 1.

FVerint inter auxilia Regis Antiochi, an fuisse, cupidus triumphi Manlius, ac visos eos simulaverit, dubium est] Ita lego cum *Lipsio* & *Freinshemio.* Tot verò exemplis monitæ nationes, alienæ cladis accessio fieri timeant. Hic Gallo græci, dum se bello Antiochi illigari patiuntur, illius etiam ruinâ afflicti sunt. Sic Galli Cisalpini, cùm Carthaginiensium rebus se immiscuissent, peregrinis auspiciis domesticam fortunam corrupêre. Sic *capite superiore* legimus, Ætolos Histris in suam societatem pertractis, etiam calamitates suas affricuisse. Sic *lib. I. cap.* 15. Latini Sabinos secum in præcipitium dedêre. Vide *ibi notam nostram.*

§. 4. *Itaq; ut frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum, Asiaticâ amœnitate mollita est*] Confer ad hunc locum *Senecam epist.* 51. *Polyb. lib. IV. cap.* 21. *notam nostram ad Vell. lib. I. cap.* 4. §. 6. Monstrum igitur, qvod de Massilienſibus refert *Justinus lib. XLIII. c.* 4. §. 2. Massiliam nihil mutatam in Barbarico solo, sed Græciam suam in Galliam etiam transtulisse. Et qvod de Bojis *Brunn. lib. I. Ann. p.* 18. *Inter domestica decora hoc palmarium, fortes illos viros bello indomitos, & iis quas Italia propinabat, deliciis inexpertos & insvetos, cùm in voluptarium illud Italiæ solum immigrassent, illecebris, in quas ex insolentiâ avidiùs se videbantur immersuri, captos non fuisse; sed blandum hunc hostem eodem animo tulisse, quo armatum exceperant, utrinq; victores.*

§. 5. *In altissimos montes*] Consule *Gronov ad Liv. lib. XXXIIX. c.* 19.

§. 7. *Revulsumque militis caput ad maritum suum retulit*] Facinus immortali memoriâ dignum, & ipsâ Romanorum victoriâ illustrius; dum castissima mulier pudorem, qvem captiva servare non potuit, sic ulta est, ut odiosi amatoris interfecti caput veste involutum, velut opimum spolium pudicitiæ triumphantis ad mariti pedes abjiceret. Similem virtutem de *Timocleâ* Theagenis sorore, qvæ occiso Thrace, à qvo violata fuerat, ab ipso *Alexandro* Rege absoluta est, pulchrè describit *Freinshemius in Supplem. Curt. lib. I. cap.* 13. §. 28. 29. *& seqq.* Adde de justitiâ hujus vindictæ *Hug. Grotium lib. II. de I. B. ac P. cap.* 1. §. 7. *& not. ad illum locum.* Alia doligenera, qvibus pudicitiam suam virgines ab insidiatoribus conservarunt, notavit *Rittershusius lib. VI. Sacr. Lect. cap.* 5.

AD CAPUT XII.

§. 2.

MEmoria & recordatio suæ nobilitatis agitabat] *Memoriâ nobilissimorum Majorum in-*

ingens flamma egregiis viris in pectore crescit, neq; priùs sedatur, quàm virtus eorum famam atq; gloriam adæquaverit; ut *verba Sallustii in Jug. cap.* 4. huc transferam. Sic *Pyrrhum* in bella Romana præcipitem agere cœperant exempla Majorum, *Justinus lib. XXIX. c.* 1. §. 2. ubi vide *notam Berneggeri*, & adde hunc ipsum ad *l.* XXIX. *c.* 1. §. 8. *& quæst.* 31. *in Germ. Tac.* ubi disputat, *Nobilitas an Virtus in committendo Magistratu spectanda?* Deniq; *Gruterum ad Liv. lib.* I. *cap.* 22. Hinc *Astyages* filiam suam neq; claro viro neq; civi in matrimonium dedit, ne paterna maternaq; nobilitas nepoti animos extolleret; ut est apud *Just. lib.* I. *c.* 4. §. 4.

§. 2. *Semel in perpetuum victam esse Macedoniam, non putabat ex dignitate gentis*] Non fuit indolis tam generosæ *Perses. Philippi* patris potiùs hæc laus esto. Huc verò pertinet illud *Taciti lib.* II. *Histor. c.* 38. §. 5. *Quòd singulis velut ictibus transacta sunt bella, ignaviâ Principum factum est.* Ignaviam appellat, cùm uno adverso prælio summæ rei diffiditur.

§. 3. *Industriam Macedonum, viribus Thracum; ferociam Thracum, disciplinâ Macedonum temperaverunt*] Locus ex optimis *D. Nazarii* membranis ita legendus: *Atque ita industriâ Macedonum, viribus Thracum, ferociam Thracum, disciplinam Macedonicam temperaverunt.* De constructione vide *Salmas. ad Inscript. Regillæ, conjugis Herodis Attici, pag.* 113. 114. Si-

Similis constructio *lib. I. c.* 9. supra: *Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex; ne potestas solitudine vel morâ corrumperetur.* Nam τὸ *morâ* ultimo loco situm respondet primis: *ex perpetuo annum placuit.* & τὸ *solitudine* proximis: *ex singulari duplex.* Similis autem locus supra *lib. I. cap.* 8. §. 4. *ut acueret ratione virtutem.* Vide, qvæ ibi notavimus; & adde multa de conjunctione virium & rationis è notâ *Rittershusii ad Oppiani lib. IV. Halievt. v.* 53.

§. 4. *Vt non reliquisse aditum nisi à cœlo venturis hostibus videretur*] *Freinsh. ad Curt. lib. VII. c.* 11. §. 5. legit: *nisi cœlo venturis*, qvod est latinius: ibidemq; notat in eadem sententiâ fuisse Noricos, de qvibus idem *noster lib. IV. c.* 12. §. 4. *Noricis animos dabant Alpes atq; nives, quò bellum non posset ascendere.* Sed qvàm isti decipiantur opinione suâ, docebo *ad lib. III. c.* 1. §. 14.

§. 5. *Exploratis diligenter accessibus*] Qvod omninò in re tali faciendum monet cautissimus ille ducum apud *Silium Italic. lib. IIX:*

------ Tu protenus arma,
Tu campum noscas ante, exploresq; trahendo
Quantum hostis virtus valeat, qua copia rerum,
Qua natura loci, quod sit rimabere solers
Armorum genus; & stantem super omnia tela
Fortunam ad spicies, --- --- ---

Observavit omnium artium bellicarum peritissimus ille Hannibal apud *Polyb. lib. III. c.* 34. & 48.

(adde eund. *lib. IX. cap.* 13. *à pr.*) Cæsar apud *Svetonium in ejus vitâ. cap.* 58. Huic muneri scribit *Laurentius Valla lib.* I. *de Ferdinando Arragoniæ Rege*, destinatos fuisse certos qvosdam, qvos *Adelitos Almoganenosq;* Hispani indigitabant; qvorum ea fuit solertia, ut investigarent transitus non eqvorum modò jumentorumq;, sed hominum qvoq; per nudam, per duram humum, per lapides, per saxa, per cotes; ut nec numerus eorum, qvi transierant, unqvam eos falleret. Atq; ob tam necessarias bono duci explorationes, *Strabo lib. I. p.* 10. commendat *Geographiæ studium.* Neglexit hoc *Lutarius* ille, qvi exercitum Gallorum per vices in litus Asiæ nullâ fide cognitum transportavit: qvod factum felicitate suâ defensum est, ne à Scriptoribus in judicium mitteretur. At cum exitio suo neglexit ille *Fulcaris* apud *Agathiam lib.* I. *p.* 19. & *Persa* atq; *Afri*, de qvibus *Strabo d. l.* milites illi, qvos *Christianus I. Rex Daniæ* miserat ad sylvam Holowediam, insidiis valdè opportunam, apud *Meursium lib. I. Hist. Danicæ in anno* 1452. Plura *Onosander in Strateg. cap.* 6. *Vegetius lib.* III. *de Re Milit. cap.* 6.

§. 5. *Illa, quæ volucribus quoque videbantur invia*] *Simile proverbium* fuit veterum, cùm dicerent *de re tectâ* & incognitâ, *ne avibus quidem notam esse.* Nam qvid non latebunt, si aves latuerint? Siqvidem Græci ajunt: οὐδείς με θεωρεῖ πλὴν ὁ παραπέτόμενος ὄρνις, Et, οὐδείς με οἶδε πλὴν εἴ τις ὄρνις; ut

ut *Suidas in* ὄρνις, & *Scaliger* notat ad illum *Virgilii* versum in *Ciri p.* 76.

Sacra nec Idæis avibus, nec cognita Grajis.

Julianus Imp. *ep.* 38. ad Maximum de Vicentione *p.* 180. 181: Ἦδὺ ὄσπερ ὑψηλάτην πιτεῴδης ὄρος ἀνέπηκεν, ἄβατον ὀλίγοις δέον φάναγμα αὐτοῖς ὄρνισι. id est: *Est & in mari rupes excelsa, propemodum ipsis avibus inaccessa.* Amat qvoq; sacra Scriptura. *Job, cap.* 28. *v.* 7. *Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis.* Porrò, non minùs difficili inviaqve itinere superiori seculo *Franciscus I. Rex Gallorum*, cæteris itineribus obseptis penetravit cum exercitu in Italiam: qvod qvidem iter ipsi à *Trivultio* veterano duce monstratum, à *Coctiis Alpibus* initium capiebat; moxq; relicto ad lævam Genebræ monte, vasto horribiliq; deflexu, per abruptas valles montesq; asperos ad *Argentarias* extendebatur. *In eo itinere* (inqvit Jovius *lib. XV. Hist.*) *tormenta nonnunquam magnis funibus ad scopulos & stipites arborum circum ductis, suspendebantur, & versatilibus machinis ergatarum & trochlearum artificio, de rupe ad rupem intercedentibus profundissimis vallibus, cum summâ admiratione totius exercitus trahebantur.*

§. 6. *Ut pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret*] Historiam narrat *Diod. Sicul. in Exc. Peiresc. p.* 311. & *Appian. p.* 560. *in us dē.* Similis locus *infra l.* IV. *c.* 8. §. 5. de Sexto Pompejo: *Pavens atq; respectans, & tantum non timens, ne periret.* Dicam ibi plura. Porrò eam pecuniam, qvam Perses

mergi jusserat in mare, per urinatores postea rursus extraxit; de qvo genere hominum vide *Freinshem. ad Curt. lib.* IV. *c.* 3. §. 10. *Lipsium ad Sen. lib.* II. *de Irâ c.* 12. *Rittershusium ad Oppian. lib.* IV. *Halievt. v.* 593.

§. 7. *Aliâ minatus, aliâ irrepsisset*] *Aliâ* scilicet, *viâ*. Vide de hoc locutionis genere *Gronov. ad Liv. lib. XXI. c.* 56. *& lib. XXII. c.* 53. Nihil autem freqventius hoc stratagemate. Videndus *Polyb. lib. III. histor. cap.* 18. *&* 19. de L. Æmilio Paullo, hujus Æmilii patre, Demetrium circumveniente ad Pharum. Alibi namq; ipse cum classe comparuit veluti pugnaturus in Demetrium; alibi occultavit, qvi exeuntibus in se hostibus reditum & munitissima loca interciperent. De astutiâ Totilæ *Puteanus in Hist. Insubr. p* 90. & planè geminâ Thracum, *Tacit. lib. IV. Ann. c.* 48. §. 3. Pulcherrimum & illud fuit *Venetorum*, cùm Paulus Exarchus à Longobardis pulsus, qvi Ravennam occupârant, ab iis eorumq; duce *Urso Hypato* auxilium petiisset. Nam & dimisêre inopem tanqvam repulsum; & cùm classem instruerent, expeditionis consilium ficto rumore tegunt, qvasi in *Saracenos* profecturi. Erat omninò ad fidem compositus hic dolus. Nam Saraceni tum temporis inqvietabant omnia, & populabantur *Constantinopolim, Siciliam, Sardiniam, Bulgariam, Hispaniam, Galliam* strenuo latrocinio convellebant, nihilq; ferè ab avaris eorum manibus tutum erat. Sed illi rebus paratis recta Ravennam petunt, feliciter pugnant, in

urbem atqve ditionem Exarchum reponunt. Consulendus *Erycius Puteanus lib. III. Histor. Insubr. p.* 164. Simili astutiâ cùm *Ferdinandus Rex Arragoniæ* paullò post Ravennensem victoriam, *Galliam* bello invadere simulâsset, impressionem in regnum Navarræ fecit: ut *Johannes* Rex prius qvam se tueri & hostis impetum sustinere posset, cùm alia munitissima regni oppida, tum verò *Pampalonam* amiserit, & ferè toto regno spoliatus sit; ut refert *Martinus Bellajus lib. I. Comment. de rebus Gallicis*. Affinia sunt illa qvoq; stratagemata in obsidionibus, cùm eo loco oppugnatur urbs qvo minimè putatur, propter naturam loci, de qvibus vide *notam nostram ad lib. III. c.* 20. *§.* 4. Plura huc pertinentia *Freinshem. ad Curt. lib. IX. c.* 13. §. 18.

§. 8. *Cujus adventus ipse adeò terribilis Regi fuit, ut interesse non auderet*] Similimus *Antiocho*, de qvo supra hujus *lib. c.* 8. §. 12.

§. 9. *Quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent*] An irridet ipsam superstitionem paganicam, & tardos ad ferenda auxilia Deastros? An hoc vult, nullâ virtute præditos, & laboribus insvetos destitui qvoq; à Diis? Sic referendus esset hic locus *ad notam lib. I. c.* 13. §. 13.

§. 10. *Nemo Regum diutiùs amissæ fortunæ conscientiam retinuit*] Irridet *Persen*, qvi rebus perditis speciosorum majorem rationem

haberet, qvàm salutis. Vide *Scip. Amirat. lib. XI. p. 155.* Prudenter ille cætera temerarius & factiosus apud *Agathiam lib. VII.* p. 75: *Rebus prosperè succedentibus magna dementia fuerit, priora immutare: cùm verò contrario modo res feruntur, inconsultum putârim, non statim eventibus accommodari.* Hoc ipsum voluit *Otho* Imperator apud *Tac. lib. II. Histor. c. 48. §. 6.* cùm *Salvium Coccejanum* fratris filium moneret, *neu patruum sibi Othonem fuisse nimium meminisset.*

§. 11. *Sed nec reverentior captæ majestatis alius Paullo fuit*] Pauciſsimi, qvi victoriam concoqvere sciunt; innumeri, qvi tumorem ex felicitate nullâ neqve mensurâ neq; modo coërcent. Carent enim hi tales virtute. Nam, ut *Aristoteles* inqvit in *Ethicis*, ἄνευ τῆς ἀρετῆς ὁ ῥᾴδιον φέρειν ἐμμελῶς τὰ ἐυτυχήματα, *sine virtute difficile est ferre aptè res secundas.* Et est hic verè character humilis & angusti animi. Nam, ut inqvit *Sextus Aurelius Victor*, *humillimos quosq; constat superbiâ atq; ambitione immodicos esse.* Cæterùm similis humanitas fuit P. Scipionis in Syphacem. *Diodorus Sic. in Exc. Peir. p. 288.* & *Dio ibid.* pag. 607. 608. Historiam verò, qvam tangit Florus, refert *Diod. Siculus ibid. p. 315. Dio ibid. p. 612.* & *Joh. Antiochenus p. 791. ibiq; Vales. pag. 116.*

§. 11. *In templum recepit*] Non videtur hæc lectio repudianda. Nam & *Prætorium* Josephus alicubi cum *templo* componit: τὸ στρατήγιον ναῷ παρεμπλήσιον, *prætorium templo simile.* qvòd, ut inqvit *Lipsius lib. V. de Milit. Rom. dial.* 2. templa pleraq; rotunda; ex *Varrone* verò constet, Prætorium qvoq; testudineâ formâ penè in rotundum fuisse: sive qvia eminebat in mediis castris, ut in urbe aliqvâ templum; sive qvia & religio ibi & pars sacrorum. Hæc & plura *Lipsius.* Addo & magnificentiam ornatumq; talem Prætorio fuisse, qvalis erat templis: nam materiam pavimentorum, ipsa sectilia *marmoriq; crustas & tesseras* circumferebant in expeditionibus; ut qvoties castra metandum esset, *pavimenta* ex iis in *Prætorio, picta* de musivo struerentur. Vide *Casaub. ad Sveton. Cæsar. c. 46.* Et qvanqvam serior hæc fuit luxuria, tamen ad ævum suum potuit respicere Florus. Deniq; notum & illud, solitos Scriptores *habitationes* eorum, qvi *virtute* humanum fastigium videbantur supergressi, *templa* vocare. Sic *Val. Max. lib. IIX. cap.* 15. in pr. Augustam domum sive palatium appellat *beneficentissimum & honoratissimum templum.*

§. 11. *Vt Fortunam, cui tantum liceret, revererentur*] Oratio plena gravitatis & sapientiæ extat apud *Livium lib. XLV. c.* 8. *Exemplum insigne cernitis rerum humanarum. Vobis hoc præcipuè dico juvenes. Ideò in secundis rebus nihil in quenquam superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cùm quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet.* Hoc idem est qvod Horatiana Musa tinnit *lib. II. Carm. od.* 2.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem. ------

§. 13. *Attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem*] Qvalem stuporem describit *Achilles Tatius lib. III. de Amor. Clitophontis & Leucippes* p. 190: *Ipse autem ea fine ullâ prorsus mente ac fine ullo sensu, stupore scilicet oppressus spectabam: mali enim modum exsuperantis magnitudo à mentis sensu me abstraxerat.* Et alicubi *Euphormio* in Satyrico: *Putares revelatam Persei parmam, & omnes plusquam lapideo frigore obriguisse.*

§. 14. *Eodem die, quo victus est Perses*] De incredibili hujusmodi famæ celeritate dixi *ad Val. Max. lib. I. c. 6. 7. 8. dissert. 1. §. 16.*

§. 15. *Apud Iuturnæ lacum*] Fontem Juturnæ fuisse constat è Lyrico Septimii Severi apud *Statium lib. IV. Silvarum.* Ille ipse fons apparet in numis A. ALBINI C.F. qvos percusit in memoriam illius A. ALBINI, qvi Dictator A.U. 257. Latinos devicit. Nam in alterâ parte referunt *Romæ Deæ caput, cujus comam laurea cingit*, cum Inscriptione ROMA. In alterâ visuntur *Castor & Pollux, pileati, stantes cum hastis erectis, ex crateræ sive fontis conceptaculo, potum equis suis præbentes.* Hic fons erat in *foro Romano*, & faciebat exiguum lacum; ut docet *Dion. Halicarnass. lib. VI. cap. 11.*

AD

AD CAPUT XIII.

§. 1.

M*Acedonici belli contagio*] Inserendus notæ *ad h. l. c. 11. §. 1.*

§. 1. *A Rege Perse conducti*] Sed profectò vix gladiatorium acceperat Gentius Illyriorum Rex, ut ait *Livius lib. XLIV. c. 31.* cùm Perses avarissimus pecuniæ parceret, velut nihil aliud agens, qvàm ut qvanta maxima posset præda ex victo Romanis reservaretur, ut *idem* loqvitur *c. 27.* Ut eqvidem dubitem, peccata hujuscemodi hominum imprudentiamne appellem, an fatalem amentiam, & divinitus immissam; qvi qvidem magna cupiunt moliri, & cuivis periculo suam objiciunt vitam; id tamen omittunt, qvod in consiliis suscipiendis præcipuum est, idq; scientes & prudentes, cùm in potestate ipsorum sit illud præstare, verbis *Polybii Legat. Excerpt. LXXVII.* Eodem modo cùm Perses Gallorum viginti millia evocasset, magnum momentum in bello Romano; eos postea rursus alienavit. Indignantes enim non repræsentari, qvod Rex pepigerat, retrò ad Istrum perpopulati Thraciam, qvà vicina erat viæ, rediere. Ita Perses præsenti auxilio, illiberali malignæ tenacitatis vitio nudatus, qvo subnixus, Romanos vel vinceret, vel profectò sustineret, hostibus prædæ, aliis documento fuit, blandas regum assentatrices, perjuria & avaritiam, certas regnorum

rum peſtes eſſe; qvæ ſunt verba *M. Velſeri lib. II. Rerum Boicarum* p. 85. è *Livii lib. XLIV. cap.* 26. & ſeqq. Confer *Diod. Sicul. in Exc. Peireſ. p.* 312. *Dion. ibid.* p 611. *Appian. in iisdem p.* 563. 564. & *ibi Valeſ.* Prudentiùs Eumenes apud *eundem Diod. Sicul. ibid. pag.* 319.

§. 2. *Hoc bellum ante finitum eſt, quàm geri Romæ nunciaretur*] *Erycius Puteanus lib. III. hiſt. Inſubr.* p. 164: *Hæc celeriùs geſta quàm nunciari Luitprando potuere.* Vide notam *ad lib. IV. cap.* 2. §. 63.

AD CAPUT XIV.

§. 2.

Gravior dum contemnitur] Vide *notam ad Velleji lib. I. c.* 9. §. 1. Prudentius *Tiberius* apud *Tac. lib. II. Annal. c.* 40. §. 2.

§. 3. *Ex ſimilitudine Philippi Pſeudophilippus*] Fraudis hujus exempla congeſsi *ad Val. lib. IX. c* 14. & 15.

§. 3. *Regiam formam, regium nomen, animo quoq; regio implevit*] *Sulpitius Severus lib. I. Sacræ Hiſtor.* de Saulo: *Hic ex tribu Benjamin Cis patre ortus, modeſtus animi, formâ excellenti erat; ut meritò dignitas corporis dignitati regiæ conveniret.* Similiter *Tacitus lib. II. Ann. c.* 41. §. 4. de Germanico: *Augebat intuentium viſus eximia ipſius ſpecies.* Idem *lib. XIII. Annal. c.* 8. §. 4. de Corbulone: *Omnium ora in ſe vertit, corpore ingens, verbis magnificus*

ficus, & ſuper experientiam ſapientiamq; etiam ſpecie inanium validus. Idem *lib. XV. Ann. cap.* 53. de Plautio Laterano Coſ. anno 817: *Animi validus, & corpore ingens. Plinius lib. I. epiſt.* 10. de Euphrate Philoſopho: *Adhæc proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, ingens & cana barba; quæ licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt.* Idem *in Paneg. cap.* 4. de Trajano: *Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris; adhoc ætatis indeflexa maturitas, nec ſine quodam munere Deûm feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam majeſtatem ornata cæſaries; nonne longè lateq; Principem oſtentant? Eumen. Paneg. IX. c.* 17. *Non fruſtra doctiſſimi viri dicunt, naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis ac decore membrorum colligi poſſe, quantus illos cœleſtis ſpiritus intrârit habitator. Camdenus in Britanniâ pag.* 634. ubi de *Caſtris exploratorum*, qvi locus nunc *Burgus ad ſabulum* nominatur: *Nullâ re magis innotuit*, inqvit, *quàm quod Edvvardus I.* (anno 1307.) *Scotorum triumphator hîc immaturâ morte diem obiit. Princeps longè clariſſimus, in cujus fortiſſimo animo hoſpitium metatus eſt Deus digniſſimum, ut regiæ majeſtatis apicem non ſolùm fortitudine & ſapientiâ, ſed etiam decore & dignitate corporis adæquarit.* Gnarus ejus rei *Cæſar Auguſtus*, formæ amplitudinem apud vulgus gratiæ & auctoritatis plurimum mereri, *calceamentis utebatur altiuſculis*, ut procerior, qvàm erat, videretur. Auctor

Sveto

Svet. in ejus vitâ cap. 73. Hinc & *Albericus Gentilis lib. III. de Leg. c.* 3. eam corporis majestatem in Legato suo requirit. Plura *Freinshem. ad illa Curt. lib. VI. c.* 5. §. 29. *Quippe hominibus barbaris in corporum majestate veneratio est; magnorumq; operum non alios capaces putant, quàm quos eximiâ specie natura dignata est.* Contrà deformes corpore, contemptibiles, & plerumq; pares animos habent. Tac. lib. XII. Annal. c. 49: *Julius Pelignus, ignavi animi, & deridiculo corporis juxta despiciendus.* Adde *Just. lib. XXXIIX. c.* 8. §. 9. Quod tamen minimè perpetuum esse, præter experientiam docet *Scaliger Exercit.* 265. & 270. Et hinc fit, ut pleriq;, *quibus magnos viros per ambitionem æstimare mos, visis aspectisq; iis, quærant famam, pauci interpretentur*; ut loqvitur *Tac. in Agric. cap.* 40. ad qvem locum consulendus *Virdungus.*

§. 4. *Invictusq; à veris regibus, ab illo imaginario & scenico rege superatur*] Hæc divina providentia permittit ad retundendos superbiæ spiritus. Qvo pertinet illud *Curt. lib. VII. c.* 8. §. 15. *Leo quoq; aliquando minimarum avium pabulum fuit: & ferrum rubigo consumit: nihil tàm firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido.* Thalmud *Massecheth Scabbas folio* 77. citante *Buxtorffio* in Lex. Rabbinico: *Quinq; terrores sunt, in quibus infirmius terrori est fortiori. Maphgiah* (nomen animalis parvi, vocem habentis maximam) *terrori est leoni: musca terrori est elephanto: aranea terrori est Scorpioni: hirundo terrori est aquilæ: Kilbis* (nomen vermis aqvatilis) *terrori est balenæ.*

NOTÆ AD CAP. XV.

§. 5.

NE metu ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas Vrbis inciperet] *Seneca de Tranq. Animi* cap. 3: *Scias in florenti ac beatâ Republ. pecuniam, invidiam, mille alia vitia inermia regnare.* Qvam non solùm Senecæ, sed etiam Scipionis Nasicæ sententiam comprobavit eventus. *Sallust. in Iugurth. cap.* 41. *Vell. lib. II. cap.* 1. ubi vide notam nostram.

§. 6. *Vt urbs tantum loco moveretur*] Nam, ut ait *Cicero* Agrar. *II. Carthago tum hominum copiis, tum ipsâ naturâ ac loco, succincta portubus, armata muris, excurrere ex Africâ, imminere fructuosissimis insulis populi Romani videbatur.* Porrò nihil freqventius apud veteres, qvàm suspectos populos è patriis sedibus transferre; de qvo multa dixi ad *Velleji lib. II. c.* 32. *n.* 1. Qvibus addo factum *Iohannis Comneni.* Ingentem enim *Tribalorum* turmam in *Orientem* traductam, in *Nicomediensi* provinciâ, uberrimis agris assignatis, collocavit. refert *Nic. Choniates.*

§. 8. *Quod pro rei atrocitate adeò movit iras, ut extrema mallent*] Qvamobrem æternam

nam ignominiam *Iovianus* inusit Romano nomini, qvi *Nisibenos*, amicos & socios & propugnatores orbis Romani jussit excedere civitate suâ, ut traderetur Persis. Cujus rei atrocitatem *Ammianus lib. XXV. pag.* 304. hunc in modum exponit: *Appositis compulsoribus, mortem, si qui distulerint egredi, minitantibus, mœnia permixta sunt lamentis & luctu; & per omnia civitatis membra una vox cunctorum erat gementium, cùm laceraret crines matrona exul fugandala ribus in quibus nata erat & educata, orbata q3 mater liberis, & conjuge viduata, proculab eorum manibus pelleretur: & turba flebilis postes penatum amplexa vel limina lacrymabat. Exin variæ complentur viæ, quà quisq3 poterat dilabentium: properando enim multi furabantur opes proprias, quas vehi posse credebant, contemtâ relinquâ supellectili pretiosâ & multâ: hanc enim reliquebant penuriâ jumentorum. Tu hoc loco Fortuna orbis Romani meritò incusaris, quæ difflantibus procellis Rempubl. excussa regimenta perito rei gerendæ ductori, consummando juveni porrexisti; quem nullis ante acta vitæ insignibus in hujusmodi negotiis cognitum nec vituperari est æqvum, nec laudari.*

§. 9. *Quia Patriam suam mallent hostium, quàm suis manibus everti*] Similis locus apud *Curtium lib. V. c.* 12. §. 11. in ultimis Darii verbis: *Forsitan mireris, quod vitam non finiam? alienoscelere, quàm meo, morimalo.*

§. 10. *Aurum & argentum conflatum est*] Notanda est notio verbi, *conflare*, qvæ vulgò nescitur. Ut enim *flare numos*, Latinis est numos fingere, fundere, formare; qvod & *proflare* Plinius vocat: Ita *conflare*, est ejus rei *contrarium* agere, & qvæ flata erant priùs, igne subacta rursus in massam redigere; ut pluribus docet *Marquardus Freherus lib. I. de Re Monetariâ*, qvi est de antiqvis Principum Romanorum numismatis. Hæc *Virdungus.*

§. 10. *In tormentorum vincula matronæ crines suos*] *Cæsar lib. III. de B. C.* de iis, qvi obsessi erant Salonis: *Præfectis omnium mulierum crinibus tormenta effecerunt.* Similiter *Aristides in Rhodiacâ*: Πάλαι μὲν τὰ ἐκ τῶν γυναικῶν τῶν ἀποκειραμένων μηχανήματα ἐδείκνυτο τοῖς ἐπιδημοῦσι. Narrat & *Dio in Severo*, in obsessâ Byzantio *rudentes de crinibus mulierum factos.* Hæc *Casaub. ad Capitol. Maximin. p.* 188. ad illa: *Ut funes de capillis mulierum facerent.*

§. 13. *Vt quàm maximè mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum*] Poëta Græcus:

Δειναὶ γὰρ καὶ κῆται ἀποιχομένοιο λέοντος.

Quippe timenda etiam morientis lustra leonis.

Sen. lib. I. de Clem. c. 12: *Acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit.* Gunther. lib. X:

Audaces mors certa facit, pellitq3 timorem
Desperata salus.

Brunner. lib. VII. p. 198: *Victis vires ex desperatione crescunt: gravissimi illorum ictus sunt, qui pugnant*

gnant ut morituri; nihilq; crudelius est iris expirantibus. Plura *Putean. comment. in lib. I. Hist. Insubr. p. 93. n. 4. & in lib. V. p. 279. n. 4.* Qvod cùm probè intelligeret *Scipio, belli fulmen*, ut appellavit Virgilius, dicere solebat: *Viam hostibus, quâ fugiant, muniendam*, ut scribit *Vegetius lib. III. c. 25.* Hinc & illi Persæ apud *Agathiam lib. III. p. 89.* cùm viderent Romanos à sese ex omni parte conclusos jam conglobari, & maximo impetu desperatâq; salute in sese ferri, confestim aciem diremerunt, & fugâ elabi passi sunt, hominum cum certâ propemodum morte luctantium, & extrema audentium, neq; qvo ipsis audacia evasura esset reputantium impetum neqvaqvam volentes sustinere.

§. 15. *Quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma prodibat*] Qvoad rem, similis locus illi, qvem habuimus suprà *lib. I. cap. 18. §. 19. Quasi ab angue Lernæo tot casa hostium capita de sanguine suo renascuntur.* Qvoad verba isti, qvem habebimus infrà *lib. III. c. 5. §. 14. Igitur ut extincta parùm fideliter incendia majore flammâ revivi scunt; ita ille de integro auctis majorem in modum copiis veniebat.*

§. 16. *Quod minus credas, duce Asdrubale*] Hic est ille *Asdrubal*, cui cùm paullò antè *Scipio* veniam ac securitatem promisisset, præterea decem talenta ex omnibus bonis, ac servos sex, si *Romanis Carthaginem* dederet, iis auditis, qvæ offerebantur, *femur identidem percutiens*; Deorumq; ac Fortunæ

tunæ invocans fidem, *nunquam eum diem affore* dixit, *quo Asdrubalem stantem, atq; eversam Carthaginem unà Sol videat. Patriæ enim conflagrantis ruinam prudentibus viris pulcherrimum rogi ornamentum esse*, ut refert *Polyb. in Exc. Peir. pag.* 176. 180.

§. 17. *Quantò fortius fœmina*] Loqvitur ex perversâ opinione gentilium, qvi unicum decus & virtutis singulare specimen habebant, si ita res svadere videretur, ipsi sibi violentas manus inferre. Qvâ de re multis egi *ad Val. Max.* Fuerunt tamen, qvi causam ἀναγκαίαν etiam honestam statuerent tum apud Hebræos, tum Christianos; de qvibus *Grotius lib. II. de I. B. ac P. c. 19. §. 5. & not. ad illum locum.*

§. 18. *Ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet*] Ad hunc locum pertinentia congessit *Gruterus discursu XXV. in Tac. pag 65.*

NOTÆ AD CAP. XVI.

§. 2.

Libertate à Romanis datâ adversus ipsos usus est] Qvod supra diximus *ad lib. I. c. 9. §. 3.* de multis qvi libertatem concoqvere non possunt; confirmat hic locus. Adde *Forstn. ad Tac. p. 352. 381. edit. vet.* Planè similes erant *Thessali*, de qvibus apud *Livium* lib. XXXIX. c. 26 extat, insolenter & immodicè abuti indulgentiâ populi

Romani, veluti ex diutinâ siti nimis avidè hauri-entes libertatem. Ita servorum modo prætet spem manumissorum, licentiam vocis & lingvæ experiri, & jactare sese insectatione & conviciis dominotum.

§. 4. *Sed (fata rerum!) cùm Metellus dimicasset, ad victoriam Mummius venit*] Huic occinendum erat è *Procopii lib. II. Goth*: Οὐ γὰρ δίκαιον ὑφ' ἑτέρων μὲν τὰς κηφῆνας πόνῳ μεγάλῳ ἀπόλλυσθαι, ἄλλους δὲ μέλιτος ἐδωδίμου πελωπωλίας ὀνίνασθαι. hoc est: *Non æquum esse, ab aliis magno labore fucos interfici, alios autem sine ullâ molestiâ melle vesci.* Mummio planè similis extitit ille *Cleon Atheniensis.* Cùm enim *Demosthenes* dux Athenienſium *Laconas* conclusos in *Pylo* ad extrema redegisset, & bellū jam confeciſſet; superveniens Cleon alienum laborem in suum fructum convertit, captivis inde abductis Athenas. Unde apud *Aristophanem in Equitibus*, Demosthenes Cleonem urbanè sic tangit: *Nam cùm ego*, inqvit, *in Pylo massam aliquam pinsuissem mihi Laconicam: homo astutissimus circumivit, clanculum surripuit, & à me pistam apposuit pro suâ.* Idem apud *Ætolos* obtinuisse, ut *Prætor novus* succeſſor missꝰ priori, qvi jam maximam partem laborum sustinuerat, jus prædæ administrandæ & arma inscribendi haberet, colligo è *Polyb. lib. II. c. 2.* Ex hoc genere hominum alienam gloriam præcipientium etiam *Cn. Pompejus* M. fuit, qvem ob id *Lucullus* inerti avi comparabat, qvæ *alienis cadaveribus involans*, reliqvias bellorum abſumere solet. Non multùm hinc abludit, qvod de *Diocletiano* proditum est. Cùm *Aurelianus*, cùm *Tacitus*, cùm *Probus*, cùm *Carus* imperium accepiſſent; Druidis dicto, *eum Imperatorem fore, cùm aprum occidisset*, diffidens & qverulus, *Ego*, ajebat, *semper apros occido, sed alter semper vescitur pulpamento.* Deniq; huc pertinet Græcorum proverbium: Ἄλλοι κάμον, ἄλλοι δ' ὤναντο.

AD CAPUT XVII.

§. 2.

PRorsus ut illæ urbes, quasi agitantibus ventis, diffudisse quædam belli incendia toto orbe viderentur] Non longè dissidet, qvod scribit noster supra *h. l. c. 6. §. 9*: Destinatum Romanis jam diu fulmen Saguntino igne conflavit. Ut nec illud *lib. III. c. 18. §. 4.* Eadem fax qvæ illum cremavit, socios in arma & oppugnationē urbis accendit. Et *cap. 23. §. 1*: Sed qvantum lateq; fax illius motus ab ipso Syllæ rogo exarsit!

§. 3. *Hispaniæ nunquam animus fuit adversus nos universæ consurgere*] Consule sapientissimum discursum *Virdungi ad illa Tac. in Agricolâ* cap. 12: *Rarus duabus tribusq; civitatibus ad propulsandum commune periculum consensus. Ita dum singuli pugnant, universi vincuntur.*

§. 4. *Quàm se ipsa cognosceret*] Hinc *Britanni* apud eund. *Tac. d. l. c. 15.* monentur, *ut se numerent*, hoc est, vires suas cum Romanis confe-

rant; statim apparituram imbecillitatem populi Romani. Ubi rursus consulendus interpres modò laudatus *Virdungus*. Utilissimus namq; locus hic est, & diligenter nobiscum reputandus. Quod dum facimus, Sole meridiano clarius apparet, nullam calamitatum totius Imperii Christiani causam potiorem esse, quàm ignorantiam virium propriarum. Dum enim pestifero sopore majores nostri torpuerunt, nec adversus Barbaros, tot provinciarum, quas possidebant, valiturum excitarunt robur, Byzantinosq; planè destituerunt, factum est, ut nihil in rebus humanis toto terrarum orbe majus aut splendidius sit Turcorum Imperio.

§. 8. *Plus est provinciam retinere, quàm facere*] Una è sententiis in prudentiæ cote probè subactis hæc est, cum quâ pulchrè convenit illud *Claudiani Paneg. II.* in Stiliconem:

--------- Plus est servasse repertum,
Quàm quæsîsse novum.

Item illud *Curtii lib. IV. c.* 11. §. 9: *Facilius est quædam vincere quàm tueri: expeditius manus nostras rapiunt quàm continent.* ubi vide *Freinshem*: Non calluit hanc artem *Pyrrhus*, de qvo *Justinus lib. XXV. c.* 4. §. 3. *Themist. Orat. V. pag.* 110. neq; *Galli*, de qvibus *Euphormio in Icone Anim. c.* 3. *Longobardiam, Neapolim, Siciliam, & plerasq; alias per orbem terrarum provincias, frequentibus victoriis subegere; sed mox hostes malè domitos fidentiùs, quàm par erat, con-*

temnere: aut simulantibus obsequium credere, inconsultâ laxâq; bonitate. Tum licenter uti victoriâ, & præter illarum gentium indolem lascivire. Per hæc vitia cessêre in prædam illis ipsis, de quibus triumphabant, læta semper bellorum initia atroci exitu corrumpentes. Calluit *Augustus*, de qvo *Bernegger. in d. Justini locum, & ad Sveton. Aug. c.* 21. *Grut. discursu XIIX. in Tacit. Grotius in not. ad lib. III. de I B. ac P. c.* 15. §. 6. Sed & *Carolus M.* de qvo *Erycius Puteanus lib. IV. Histor. Insubr.* p. 202: *Sed Carolus, cùm in Germaniâ deinceps Hispaniâq; prosperè rem gereret, majoris esse virtutis opus intellexit, Italiam retinere, quàm subjicere; populosq; nonnullos facilius vinci quàm regi*, &c. Nec imperitus hujus artis *Turca*, ut testatur *Busbequius in Consilio de re milit. contra Turcas instit*: *Hic hostis*, inqviens, *eâ est vigilantiâ, eam servat disciplinam, eâ utitur in conservandis iis, quæ sibi adjunxit, ratione; ita regnat ac dominatur, ut ubi semel vestigium fixerit, inde se moveri non patiatur; nunquam se attollat feges, quam semel ista calamitas depresserit: adeoq; difficile dictu videtur, sit ne in acquirendo felicior, an in tuendo quæ acquisiverit, firmior.*

§. 8. *Ferocissimas & ad id temporis liberas gentes, ideò impatientes jugi*] *Cùm nullum animal morosius sit, nullum majori arte tractandum, quàm homo; teste Senecâ lib. I. de Clem.* 17. inter homines tamen, qvi libertatis sunt studiosissimi, ægerrimè contineri possunt, & qvacunq; oblatâ occasi-

casione patientiam abrumpunt, & ad pristinam ferocitatem redeunt. Similis locus infrà *lib. IV. c.* 12. §. 2. *Nova quippe pax: nec dum assuetæ frenis servitutis tumidæ gentium inflataq; cervices, ab imposito nuper jugo resiliebant.* Vide ibi *notam Freinshem. & ad Curt. lib. VI. cap. 3. §. 6. Virdung. ad illa Tac. in vitâ Agric. cap. 13. §. 1:* Jam domiti ut pareant, nondum ut serviant *Grut. in Tacit. discurs. XXV.*

§. 10. *Quum & Contrebiam memorabili cepisset exemplo & Nertobriges, majori gloriâ pepercit*] Locus, qvem non corruperunt solùm, sed mutilarunt. Lego partim è MSS. partim ex ingenio: *Metellus, cui ex Macedoniâ cognomen, meruit & Celtibericus fieri, cùm Contrebiam memorabili cepisset exemplo, & Segobrigæ majori gloriâ pepercisset.* Manuscriptorum qvæ sit lectio, docebit te *Freinshemius*; qvi nobiscum in cæteris consentit, præterqvam in nomine urbis. *Nertobrigas* appellat noster; *Centobricam Val. M. lib. V. c. 1. ex. 5.* Utrumq; ut restituerem, ferè svasit *Strabo lib. II I. p.* 162. ibi: Καὶ Σερτωβέλιδα δ' ἐκ τῶν Κελτιβήρων πόλεις, καὶ Βίλβιλις· ἃς ἀνὰ Μέτελλος καὶ Σερτώριος ἐπολέμησαν. *Celtiberorum quoq; urbes sunt Segobrida & Bilbilis; ad quas Metellus & Sertorius bellum gesserunt.* Duplex argumentum, de eâdem urbe *loqui Florum* & *Strabonem*, tum ex *Metelli* mentione, tum è situ; dum uterq; urbem illam, ad qvam *Metellus* bellum gesit, ponit in *Celtiberiâ.*

Nisi qvis Strabonem interpretari malit de *Q. Cæcilio Metello Pio*, qvi cum *Sertorio* bellum gesit. Sed in ejus rebus gestis nemo Scriptorum meminit *Segobrigæ. Segovia* qvidem nominatur à nostro *lib. III. c. 22. §. 7.* sed ea diversa à *Segobrigâ*; qvod & numi testantur, & *Vasæus* docet. Qvicqvid sit, cùm urbem celeberrimam in *Celtiberiâ* oppugnârit *Metellus*, unde *Celtiberici* cognomento dignus existimatus est; ea verò sit *Segobriga*, qvæ proximè accedit ad lectionem *Flori* & *Valerii*, tum in lapidibus tum in numis veterum nominatissima, & apud Florum legendum existimamus *Segobrigæ*, & apud Valerium *Segobricam*, qvod perindè est: Nam *C.* & *G.* freqventissimè inter se permutari qvis nescit? *Ptolomæus* Σηγόβεγαν dicit per *γ. Plinius* lib. XXXVI. cap. 32. *Segobricam* Qvod de lapidibus dixi, repertus est *Segobrigæ* lapis descriptus *Grutero è schedis Andreæ Schotti p.* 320. *n.* 1. SEGOBRICENS. EREXERE. & alius *n.* 2. *pag. ead*: OMNIBUS. HONORIB. GESTIS. SEGOBRIGÆ. DECRETO. ORDINIS. PECUNIA. PUBLICA. SEGOBRIGENSES. Alius *num. 7. p.* 324: L. GRATIO. GLAUCO. SEGOBRIGENSI. Alius *n. 2. p.* 431: L. LIVIO. L. F. OCELLÆ. Q. SEGOBRIGENSES. Numus æreus apud *Goltzium tomo de Augusto cap.* 1. *n.* 108. *& c.* 18. *n.* 17. ab alterâ parte habet *Augusti caput*, cum inscriptione AUGUSTUS. ab alterâ, SIGOBRIGA in coronâ *quernâ*. Goltzius ponit inter colonias ab Augusto deductas. Nostro

tempore in *Arragonia* regno Episcopatu insignis est, & non nihil mutato nomine *Segorbia* dicitur, ut scribit *Vasæus in Chron. Hispan. c.* 20.

§. 10. *Majori gloriâ*] Iudicium, si qvod aliud in Floro, verè sapiens. Vide *notam ad lib. IV. c.* 2. §. 90.

§. 12. *Formidatumq́ flumen oblivionis*] Propter δυσφημίαν ὀνόματος, qvòd idem nomen fluvio infernali. *Virdungus.*

§. 12. *Cadentem in maria Solem*] Antiqvitas *Apollinem* qvotidie ad vesperam in *Tethyos cubilia* se recipientem fingebat. Ipse apud *Ovid. lib. II. Metam. v.* 68:

Tunc etiam, quæ me subjectis excipit undis,
Ne ferar in præceps, Tethys solet ipsa vereri.

Qvò respiciens *Silius Italicus lib. III.* Tethyn appellat *Phœbea cubilia.* Hinc subjicit noster: *non sine quodam sacrilegii metu & horrore.* Ex eâdem superstitione manavit illud *Scytharum* apud *Curt. lib. VII. c.* 8. §. 12. *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent; orbis te non caperet: alterâ manu Orientem, alterâ occidentem contingeres: & hoc assecutus scire velles, ubi tanti numinis fulgor conderetur.* Vide ibi *Freinshem.*

§. 12. *Obrutumq́ aquis ignem*] Respicit haud dubiè ad putidum illud commentum, de qvo vetus interpres ad illud *Juven. sat.* 14. *v.* 280. *Herculeo stridentem gurgite solem: Gaditano Oceano*, inqvit, *Sol mergens stridet, ut si ferrum candens in aquâ*

aquâ tingas. Sceptra pædagogorum! exclamat ad hunc locum *Laur. Pignorius in Symbol. Epistol. XXXV.* Qvàm verè scripsit *D. Augustin. lib. I. Confess. cap.* 12. *Vela pandere in liminibus Grammaticarum Scholarum; sed non illa magis honorem secreti, quàm tegumentum erroris significare.* Sed non tantùm Grammatici vanitatum istarum rei. Posidonius apud *Strabonem lib. III. pag.* 38: *Solem* ait *ad Oceani litus occidere majorem, editoq́ strepitu, quasi mare strideret sibilaretq́, eo, dum in profundum defertur, extincto.* Ad qvem plures hujus sententiæ Scriptores producit *Casaubonus.* Pulchrè etiam de hâc ipsâ re, ut & de *tripudio solis*, tempore Paschatis. *Bernegg. quæst. in Tac.* 164.

§. 13. *Quippe solis gentium Hispaniæ duces contigerunt*] Confer notam *ad lib. II. cap.* 2. §. 23. & adde *Grut. disc. X. in Tac. p.* 30.

§. 14. *Hastam argenteam quatiens, velut cœlo missam*] Commento usus est apud imperitam multitudinem efficacissimo, qvæ superstitione capta nullum pro duce suo solet recusare periculum, si cum Diis eum putat habere commercium. Vide *Lipsii notis ad lib. I. Polit. suor. cap.* 3. *& in libr. adversus Dialogistam*, ad illa verba: *Hi tales multos impellunt ad mutationem rerum.* Adjice notam nostram *ad lib. I. c.* 2. §. 4. Sic *Attalus*, ut animos militum suorum pavore liberaret, eosdem religione sibi occupandos censuit, qvæ ad impellendam qvoqvo versum multitudinem omni ævo

plurimùm posse credita est. Victimâ cæsâ Sudinus Chaldæus Vates exta prosecabat, ea Rex Attalus manu suâ excepit, qvam *grandibus literis* artificiosè impleverat, REGIS VICTORIA. Qvo oraculo firmatus miles, jam ultrò pugnam poscere ausus est, ut pluribus refert *Brunnerus lib. I. Annal. Boic. pag.* 140. Simili fraude qvàm plurimos mortalium deceperunt *Simon Magus* & *Menander Samaritanus*, de qvibus Petrus *Hallix notis ad Vitam S. Justini Martyris c.* 5. & *Baronius in A.C.* 35. Et *Barchochebas* ille, qvi stipulam in ore succensam anhelitu ventilabat, ut flammas evomere putaretur; de qvo idem *Baronius in A.C.* 130. *num.* 3, *Scaliger Animad. ad Chron. Euseb. num.* 2148. Atq; hi fortasse sunt illi falsi Prophetæ & falsi Christi, qvos paullo post venturos Salvator ipse prædixit. Iisdem deniq; impostoris *Techellem*, *Ismaëlis Sophi* conatus feliciter adjuvisse, è *Philippo Lonicero* docet *Luckius in Numism. pag.* 19.

§. 14. *Cùm pari temeritate sub nocte castra Consulis adiisset, juxta tentorium ipsum, &c.*] Similis audaciæ exemplum refert *Ammianus Marcellinus* de *Gallis* qvibusdam militibus in urbe *Mesopotamiæ Amidâ* à Persarum Rege obsessis, *qui clam noctu urbem egressi, observatâ nocte squalidâ & illuni, cùm propè hostes venissent, conferti validocursu, quibusdam stationariis interfectis, exteriores castrorum vigiles, ut in nullo tali metu sopitos obtruncave-*

caverunt, atq; ita Regi ipsi si prosperior illuxisset eventus, supervenire occultè meditati fuerant: atq; hi Galli (inqvit auctor) *non Rhesum, neq; cubitantes pro muris Iliacis Thraces, sed Persarum Regem armatorum centum millibus circumseptum, nî obstitisset violentior casus, in ipsis tentoris obtruncassent.* Hæc ille. A qvibus non abhorrent, qvæ de *Leodiensium* qvorundam à Carolo Duce Burgundiæ & Ludovico XI. Rege Galliæ obsessâ eorum urbe, simili conatu nocturno memorat *Philippus Cominæus*.

§. 15. *Ex venatore latro, ex latrone dux atq; imperator*] Sic *Maximinus* primâ puritiâ fuit *pastor*, nonnunqvam etiam *procerto* (id est, propugnator, qvi suos vindicabat ab incursibus latronum, eorumq; vim & injuriam propulsabat; ut illum locum restituit & explicat *Salmasius p.* 244.) qvi latronibus insidiaretur, & suos ab incursionibus vindicaret. *Capitol. in Maxim. p.* 138.

§. 15. *Per quatuordecim annos*] De hoc numero vide *Vossium jun. ad Vell. lib. II. cap.* 90.

§. 17. *Hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse*] Semper hoc genus victoriæ turpe visum. *Albericus Gentilis in Syntagm. de I. B. Piccart. decad. X. c.* 2. Adde notam *ad Velleji lib. II. cap.* 1. §. 4. Cæterùm *Hispanicâ* linguâ vulgatus est olim *liber de institutione Christiani Principis*, qvem in *Italicam* versum à *Mambrino Roseo de Fabriano* ediderunt Veneti anno 1546. in qvo præter alia aliis indicta & inaudita, de hoc *Viriato* legitur, *veneno esse sublatum*; cùm Romani

Scri-

Scriptores omnes ὥσπερ ἐξ ἑνὸς στόματος Viriatum *domesticorum suorum ferro periisse* referant, qvo jugulum ei sectum fuerit à conjuratis, cùm toto corpore armatum aliter occupare non possent. Narraturibidem è *Junio Rustico*, Viriatum *voluisse milites suos gestare calceos plumbeos, ne facilè in fugam sese conjicerent.* Utrumq; locum mecum communicavit V. C. *Thom. Reinesius*, ubi & adjicit, no-
„ vum esse, *Junium Rusticum historicum fuisse; nisi*
„ *fortasse Hispanus iste fecerit, quod* Gveraram *&a-*
„ *lios Politicos feciisse constat, qui sapissimè Historicos,*
„ *quamvis nondum natos, ita loquentes introducunt,*
„ *uti negotium, quod ipsi agunt, requirere videbatur,*
„ *etiam nolentissimos, & adfingunt personis illustri-*
„ *bus, quæ eos dixisse vel fecisse suo instituto inservi-*
„ *turum existimant.* Hæc Vir ille, cui parem in his literis Germania non habet; qvi candido simplicitq; studiorum amore conatus etiam nostros opulentiâ suæ doctrinæ gaudet augeri. Mihi videbatur, Hispano isti velut in confusâ mente fuisse *Fabium Rusticum*, qvem cùm alibi citatum meminerim, tum apud *Tac. lib. XIII. Annal. cap.* 20. *& lib. XIV. Annal. c.* 22. Eandem qvoq; imposturam notâram in eodem *Gvevarâ*, qvem ob id tantâ Imperatoris sui, tantâ nostrorum hominum benevolentiâ prorsus indignum, studiosæ juventutis manibus excussum ibam. Refert *lib.* I. *Horologii Principum c.* 1. gentem apud Romanos fuisse *Clavillam* magno in honore, qvæ se originem ducere glorietur à *Camillo* ducum Romanorum celeberrimo;

rimo; viros ex eâ *Camillos*, feminas *Clavillas* dictas in memoriam filiæ *Camillæ*; qvæ abhorrens nuptias in virginum Vestalium numerum cooptari voluerit. Mortuam divinis honoribus cultam, ejusq; monumento inscriptos fuisse hos versiculos:

Unica sub tumulo jacet hoc Clavilla Camilli
Nata, quater denos & sex quæ maluit annos
Vivere Vestales inter conclusa sorores,
Magno Trinacriæ quàm nubere libera Regi.
Quam miserum! extinctæ nunc artus rodere vermes,
Artus, qui vitam puri effulsêre per omnem.

Hoc Epitaphium addit è *Græco translatum* esse; & paullò post, multa refert de *Camillorum prærogativâ*, de *persecutionibus* eorundem sub *Syllâ*; qvæ omnia putida, vana & falsa, nec cuiqvam Historicorum veterum tradita, qvamvis ille *Cinnam* & *Pollionem* laudet, Scriptores, qvos tot anni & profunda seculorum oblivio, ferè cogitationibus hominum & memoriæ, nedum oculis exemit. Siqvidem per *Pollionem* intelligit *Asinium* illum *Pollionem*, qvi de *Bello Civili* scripsit *Historiam librorum septendecim*, qvod *Lipsius ad Tac. lib. IV. Annal. & Torrentius ad Svet. Cæsarem c.* 30. docere te possunt. Si *Trebellium Pollionem*; perennavit qvidem ille, sed nec in eo qvicqvam eorum, qvæ *Gvevara* scribit. Taceo innumeras alias fraudes, qvib' mendaciorum auctori strenuè litat, & id maximè

mè agit, ne ab *Hispanicâ vanitate* descíscere videatur. Qvæ occasione rerum Hispanicarum hic monere volui, ne qvis in devia porrò seqvatur istos male-duces, vel qvantum æra lupinis distent, nesciat.

AD CAPUT XVIII.

§. 2.

Qvippe quæ sine muro, sine turribus] Vide *dissertat. ad Val. Maximi lib. II. c. 7. §. 4.*

§. 3. *Segulenses, socios & consangvineos, Romanorum manibus elapsos exceperant*] Rectè judicat Florus. Ad hoc naturæ lex qvæ arcanâ vi mortales inter se conjungit, *Numantinos* invitabat. Confer *Piecart. Disp. L. th. 27. 28. Aristoteles in Rhet.* ad Alexandrum: *Oportet injuriam passos pro se ipsis arma capere, sive pro cognatis & beneficis; itemq; sociis injuriâ affectis auxiliari.* Adde *Bernegg. quæst in Germ. Tacit. 187. Freinsh. ad nostri lib. III. c. 1. §. 5 lit. S.* Ipsis Romanis placuit denunciari Ætolis, *præsidia ab urbibus Acarnaniæ deducerent, paterenturq; esse liberos, qui soli quondam adversus Trojanos auctores originis suæ auxilia Græcis non miserint*; teste *Justino lib. XXIIX. c. 1. §. 6.* Qvantò igitur magis probare debebant cauſlam Numantinorum, qvi cognatos ipsos recipiebant, non eos, qvos majores & cognati, licet non hostes, tamen nec amicos habuerant? Sed id est superbæ injustitiæ ingenium, ut qvæ his licere vult, in aliis damnet.

mnet. Qvo vitio laborasse Romanos constat ex *Oroſio lib. V. cap. 5.* Tales nostro tempore *Hispani*, qvi qvod ipsi in alterius personâ æqvum credidêrunt, id in suâ personâ non patiuntur valere, ut è *l. 1. in pr. & §. 1. ff. quod quisq; juris.* loqvitur *Bern. in Tubâ Pacis pag. 337.* ubi vide locum similem ex oratione *Cicer. pro Cacinâ.*

§. 3. *Segulenses*] Qvædam editiones habent *Segidenses.* Ita namq; Flori verba citant *Sigonius Comment. in Tabb. Capitol. A. U. 613. Pighius lib. XII. Annal. in A. U. 612.* & est haud dubiè verisima lectio. *Strabo lib. III. p. 162:* Τῶν δ' Ἀρεναχῶν ἐστὶ καὶ Σεγίδη πόλις καὶ Παλλαντία. *Arevacorum urbes sunt etiam Segida & Pallantia. Stephanus de urbibus:* Σεγίδη πόλις Κελτιβήρων. *Ptolomæus* etiam urbem *Arevacarum* qvandam Σεγοβίαν appellat, qvæ fortasis est illa SEGOVIA, de qvâ reperitur numus *Augusti* apud *Goltzium tom. de Augusto cap. 1. num. 93. & cap. 10. num. 4.* ab alterâ parte inscriptus AUGUSTUS DIVI. F. ab alterâ SEGOVIA, & *equitem Hispanum cum hastâ* demissâ decurrentem exhibens. De hac ipsâ plura *Vasæus in Hispaniæ Chronico*; sed eandem cum *Segidâ* dicere non sustineo.

§. 4. *Sic à barbaris acceptum, quasi manus abscinderentur*] Eadem virtus *Cleanoris Arcadis* apud *Xenophontem lib. II. de Expeditione Cyri p. 273.* cùm Artaxerxes, occiso Cyro, tanqvam victor à Græcis arma peteret: ἔφη πρόσθεν ἂν ἀποθάνοιεν, ἢ τὰ ὅπλα παραδοῖεν, *mori se malle, quàm arma tradere* de-

cebat. Notabis autem hîc, *depositionem armorum* fuisse deditionis signum: de qvâ plura *Freinshemius ad Curtium lib. VII. c. 4. §. 38.*

§. 5. *Vt ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret*] Supra jam docuimus, vanis sæpè plus commoveri militum animos, qvàm justis formidinis causis. Qvidam enim solo *aspectu*, qvidam solo *clamore hostium* debellari se patiuntur. De *priori* videndus *Gruterus discursu XIII. in Tac. & Barthius lib. II. Ablegat. Criticor. cap.* 14. nec longè abludens nota nostra *in Val. Max. lib. II. c. 10. §. 2.* de majestate vultus in magnis Heroibus. At de verâ virtute *Seneca l. de Constant. Sapientis cap. 5. Adversus apparatus terribilium rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat, sive illi dura, sive secunda ostentantur.* De posteriori vetus Tragicus apud *Athenæum lib. I. pag.* 19: Ἀλαλὰ πολέμου θυγάτηρ, ἰγχέων προοίμιον. *Vociferatio est belli filia, hastarum proœmium.* Hinc & pugnam βοὴν, id est, vocem & clamorem vocabant iidem veteres, ut scribit *Idem lib. IV. pag.* 178. *Homerus Iliad. β.* Menelaum commendat à clamore:

——— βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.

Plura *Gruterus discursu XII. in Tac. Bernegg. quæstion. in German. Tacit. 8. Freinshemius in Curtii lib. III. cap.* 10. §. 1. His adde *Ammianum lib. XXI.* qvi inter alia: *Spondeo, quod si ventum fuerit cominus, ita pavore torpescent, ut nec oculorum vestrorum vibratæ lucis ardorem, nec barritus sonum perferant primum.* V. ibi *Valesium*; Eadem figurâ usus est *Plinius* in grat. actione ad Trajanum: *Nec tibi opima defuerint, si quis regum venire in manus audeat; nec modò telorum tuorum, sed etiam oculorum minarum, conjectum toto campo totoq; exercitu oppositu perhorrescat.* Et *Pacatus* in Panegyrico ad Theodosium. Sed & Severus in Oratione ad milites apud *Herodianum lib. II.* eadem utitur clausulâ. τὸ ἀν τῆς βοῆς ἡμῶν ἀνέχοιντο μήτηε τῆς μάχης.

§. 7. *Deditione Mancini expiavit*] Id sæpè factum. Vide *Pighium in A. V.* 517. *& Dionem Coccejum in Excerpt. Peiresc. p.* 592.

§. 9: *Sed tunc acriùs in castris, quàm in campo; nostro cum milite, quàm cum Numantino, prœliandum fuit*] Similiter *Tacitus lib. XIII. Annal. c.* 35. §. 1: *Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quàm contra perfidiam hostium erat.* Idem *Metello* Numidico contigit, cùm ei traditus esset exercitus *Sp. Albini* Proconsulis, de qvo *Sallustius in Jugurth.* cap. 44. *Imperatori novo plus ex malis moribus solicitudinis, quàm ex copiâ militum auxilii, aut bonæ spei, accedebat. Statuit tamen Metellus, quanquam & æstivorum tempus comitiorum mora imminuerat; & expectatione eventus civium animos intentos putabat; non priùs bellum attingere, quàm majorum disciplinâ milites laborare coëgisset.* Similis locus apud *Mamert. Paneg. XI. cap* 4. De P. Scipionis disciplinâ vide *fragm. Polyb. apud Vales. ad Ammian. p.* 207. *è Suida in* ἐπανῆγε. *Casaub. ad Spart. p.* 19.

§. 10. *Ad hoc scorta, calones, sarcinæ nisi*

ad usum necessariæ, amputantur] De removendis non tantùm scortis, sed etiam uxoribus è castris militum, consulendus *Berneggerus in Germ. Tac. quæst.* 41. Hinc Romanos *castra* sua dixisse volunt qvasi κεκαθαρμένα ἀπὸ γυναικῶν, *Morellus in lib. V. Silvarum Statii pag.* 170. qvòd nimirum feminas è castris removerent; qvâ de re plura *Lipsius lib. V. de Milit. Rom. dial.* 18. *& ad Tac. lib. XIV. Annal. c.* 27. *Rittershus. lib. II. Sacr. Lect. c.* 8. Imò ne Proconsulibus qvidem aut Legatis permissum erat, ut eos uxores comitarentur in provincias: qvæ tamen consvetudo servâ Rep. eviluit; ut docet *Casaub. ad Svet. Aug. cap.* 24. De calonibus sive servis militaribus idem observatum legimus apud *Sallustium supra cit. l.* & ut ingens flagitium militiæ Romanæ refert *Tacit. lib. II. Histor. c.* 87. §. 2. *Sexaginta millia armatorum sequebantur licentiâ corrupta, calonum numerus amplior, procacissimis etiam inter servos lixarum ingenuis.* Deniq; de impedimentis & sarcinis vide qvæ congessit *Freinshem. ad Curt. lib. VI. c.* 6. §. 14.

§. 11. *Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem*] Vide notam ad *hujus libri c.* 6. §. 25.

§. 12. *Dedere etiam sese volebant, si toleranda viris imperarentur*] Magni usus communis locus hic est, tam calamitoso rerum nostrarum statu, qvo pacem omnes clamant, sed qvalis illa sit, insuper habent. Pacis qvidem augustum nomen, & qvo nullum acceptius mortalibus Immortales Dii concedere possunt:

--Pax

----- Pax optima rerum
Quas homini novisse datum est.

Pax cœlitum pulcherrima, & alma datrix opum. Immanis sit oportet, & ab humanitate & à naturâ desciverit, qvem fera bella, qvem discordiæ civium, qvem cædes tot millium delectant. Cæterùm ubi conditiones intolerandæ viris imperantur, nec qvicqvam ex pace solatii vel beatitudinis ostenditur; sapiens & generosus qvivis paci tam ignominiosæ Martem etiam ancipitem, saluti miseræ mortem in libertate jure prætulerit. Vide *Polyb. lib. IV. c.* 31. *Piccartum decad. XIII. cap.* 8. *Lipsi. lib. V. Polit. c.* 19. *§.* 13.

§. 12. *Quum se priùs epulis, quasi inferiis, implevissent*] *Onosandri* hoc dictum est c. 12: *Milites sobriè pransi, nec nimio satietatis onere ventrem sufferti, solent esse in præliis fortiores; nec rarenter profligati sunt exercitus, deficientibus nimiâ esurie viribus, quando scilicet non momento, sed nocte serâ certamen dirimitur.* Exemplum hujus rei egregium habemus apud *Polyb. lib. III. cap.* 71. *&* 72. ubi refert, qvàm id neglectum *Romanis* cladem, observatum *Carthaginiensibus* victoriam attulerit. Non neglexit *Jovinus* apud *Ammian. lib. XXVII. Igitur non antè instruit aciem, quàm suos cibo & somno recreâsset.* His adde *Trebell. Poll. in Gall.* pag. 183. *Prandium dictum est quasi parandium, ab eo quòd milites ad bellum paret.* Ita legit *Salmasius p.* 296. & addit: *ante pugnam sumebatur.*

tur. Scribit enim *Isidorus*, propriè apud veteres *prandium vocatum fuisse omnem militum cibum ante pugnam.* Qvanqvam de prandii veriloqvio aliter sentit *Plutarchus lib. VIII. Sympos. quæst. 6. p. 726.* Idem *Salmasius* paullò post: *Cinĉti prandebant, ut statim à prandio, nullâ oblatâ morâ pugnam capesserent. Hinc proverbium, Pransus paratus; nam pransi milites erant ad pugnandum parati.*

§. 12. *Epulis quasi inferiis*] Qvi mortem sibi consciscere volunt, ut omnem sensum sibi doloris adimant, solent vino & epulis largiùs indulgere; sic enim homines ad qvidvis suscipiendum audaciores efficiuntur. Atq; hoc fecisse dicitur *Brennus*, non ille, qvi Romam cepit; sed alter paullò recentior, qvi Gallos in Græciam duxit. Nam cùm profligatas res suas cerneret, tædio ac desperatione victus cùm se mero ingurgitâsset, manus sibi attulit; ut scribit *Diodorus lib. XXII. & Pausanias in Phocicis.* Eadem audacia XXVII. *Senatorum Campanorum* refertur à *Livio lib. XVI.* qvi epulati, & qvantum facere potuerant alienatis mentibus vino ab imminentis sensu mali, venenum omnes sumserunt. Idem de *Cæcilio Agricolâ* scribit *Dio* lib. LXXVI. & *Plutarchus* de *Themistocle.* Hæc *Valesius ad Ammiani lib. XXIX. pag.* 395.

§. 12. *Et celiæ*] Genus cerevisiæ. Videndus *Julius Scaliger Exercit. 87. adversus Cardanum.* Etiam *Ægyptii* habebant potum ex hordeo, qvem *Zythum* vocabant, ut scribit *Diod. Sicul. lib. I. c. 34.* Hic

Hic obitur notandum, officinam cerevisiæ coqvendæ, ein **Bräuhaus** / semilatinos inferiori ævo vocâsse *Brachinum* & *Bratiarium*; qvòd nimirum *Bratium* & *Brasium* hordeum aqvatum tostumq; sit. *Reinesius lib. III. Variar. Lect. c. 1.* qvi & videndus *l. eod. c. 9 p. 483.* Hunc potum ex hordeo vel frumento etiam vocari *Sabaiam*, pluribus docet *Vales. ad Amm. lib. XXVI. p. 324.*

§. 13. *Non est permissa pugna morituris*] Refer ad hujus libri *c. 15. §. 13.*

§. 13. *Quatuor castris*] Ita duabus partibus (*ordine scutorum gemino*) obsessam esse urbem Aqvilejam significat *Ammianus lib. XXI.* Sic enim loqvi solet; ut in principio *libri XIX.* de obsidione Amidæ: *Quinquies ordine multiplicato scutorum cingitur civitas.* Etenim ab oriente qvidem tendebant *Chionitæ*, ad Meridiem *Vertæ*, *Albani* à Septentrione, ad Occasum *Segestani: Persæ* verò ipsi omnes murorum ambitus circumsidebant; ut ibidem testatur *Marcellinus.* Idem infra hoc libro: *obsidione geminâ Bezabden aggressurus.* Alii dicerent, *duplici acie*, vel *gemino agmine*; ut Hegesippus *lib. III. cap. 9. & lib. V. cap. 14.* & Scholiastes *Thucydidis* ad hæc ex *lib. I*: ἐπολιόρκει τρισὶ τείχεσι τὴν πόλιν, notat τετραπλῆ τρισὶ τάγμασι. *Quatuor castris* Florus *lib. II. c. 18.* Hæc ibi *Valesius.*

§. 13. *Orantes prælium, ut tanquam viros occideret*] Eodem modo attritis in obsidione Aqvileiæ multis millibus, *Attilam* cæteræ copiæ circum-

cumstant, monentq; *illuc pugnandum, ubi ferro, virorum more, non fame ac lassitudine, veluti debilibus pecudibus occumbendum*; ut è *Callimacho* refert *Putean. Comment. in lib. I. Histor. Insubr. p. 50.* Confer *Amm. Marcell. lib. XVII.* (edit. Vales.) *p. 100. & lib. XXV. p. 299. Cic. Verr. VII. c. 34.*

§. 14. *Sed hoc quoque, ruptis equorum cingulis, uxores ademere*] Geminum huic facinus mulierum extat apud *Jul. Cæsar. lib. VII. de B. G. c. 26.* ubi cùm *Avaricenses* à *Cæsare* obsessi, necqvicqvam omnia experti consilium cepissent ex oppido profugere, matres familiàs repentè in publicum procurrisse leguntur, & cùm à suis, ut manerent, impetrare neqvivissent, conclamare ac significare de fugâ Romanis cœpisse, eoq; timore perterritos Gallos, ne ab eqvitatu Romanorum viæ præoccuparentur, consilio destitisse.

AD CAPUT XIX.

§. 1.

Crescentibus cum ipsâ magnitudine Imperii vitiis] *Sallust. in Cat.* cap. 10: *Sed ubi labore atq; justitiâ Respub. crevit; reges magni bello domiti; nationes feræ & populi ingentes vi subacti; Carthago æmula Imperii Romani ab stirpe interiit; cuncta maria terræq; patebant: Fortuna sævire ac miscere omnia cœpit.* Et hoc in omnibus Rebuspublicis fieri amat. *Postquam enim civitas aliqua multa quoq; magna pericula fuit eluctata; jamq; ad principatum*

tum & potentiam non controversam pervenit: palàm est ubi morâ longi temporis beata fortuna suam sedem in eâ civitate firmaverit, in mores luxum irrepere, in animos virorum ambitionem & pervicaciam, tum circa magistratus, tum circà alia incepta: quæ ubi semel creverint mala, mutationis in deterius principium existet ab honoribus per ambitionem petitis aut negatis: itemq; ab illâ arrogantiâ & luxu quo privatorum mores erunt depravati: perficiendæ verò mutationis auctor erit populus; ut pluribus disserit *Polybius lib. VI. c. 55.* Idem accidisse legimus *in Ecclesiâ*, ut cùm ipsa cessantibus persecutionibus sub Christianis Principibus fortunæ magnitudinem experiretur, pietas decreverit; qvod pulcherrimo discursu probat *Rittersh. l. VI. Sacr. Lect. c. 17.* Adde *H. Grot. lib. II. de I. B. ac P. c. 1. §. 13. & notis ad illum locum, & Brunner. lib. XII. p. 229. 230.* A qvibus non longè abludit sententia *Polydori Virgilii lib. I. de Prodigiis pag. 17.* cur Deus per Salvatorem nostrum malos dæmones non planè sustulerit? *Quia*, inqvit, *id ex usu nostro non foret. Præstat enim, ut ejusmodi hostes sint qui dies noctesq; nos oppugnent, inq; certamen vocent; cùm, teste Apostolo, nemo coronetur, nisi fortiter pugnans.*

§. 3. *Cœlum ipsum gloriâ ascendit*] Poëticum. *Virg.* lib. I. Æn. v. 291. de Julio Cæsare:

----- *famam qui terminat astris.*

§. 5. *Quæ etsi involuta inter se sunt omnia atq; confusa*] *Historicam narrationem perpetuo vel-*

uti filo ductam & colligatam oportet esse, ut monet *Dion. Halycarn. in Iudic. de histor. Thucydidis toto c. 9. & 10.* Itaq; vult noster, nolle se interrumpere seriem laudabilium commemoratione fœdiorum; qvanqvã aliàs chronologiam attendentibus, „ id minimè liceat. Est hic locus inter præcipuos „ notatu dignissimus, qvòd complures hodie, „ dum Scriptores veteres invadunt, ignaros sese „ produnt istius Historicorum consvetudinis. Hanc freqventer seqvitur *Dio*, ut contra interpretes, in *Historiâ Imperii Romani* non semel docui. Qvin & *Tacitus in Annalibus* (qvi teste Sempronio Asellione apud *Agellium*, qvid factum qvoq; anno sit, diligenter pronunciant, neq; separata temporibus facilè connectunt;) ne filum dispergere cogatur, unius gentis historiam, eamq; diversorum temporum conjungit. Refert *lib. XII. Annal. c. 36.* de Caractaco, *vinctum ac victoribus traditum, nono pòst anno, quàm bellum in Britanniâ cœpisset.* Hoc cùm narret inter alias res gestas A.U. 802. multùm sudat *Lipsius*. *Atqui bellum*, inqvit, *cœpit Claudio II I. L. Vitellio Coss.* (A.U. 795.) *nec inde ad hunc diem plus annos septem numeraveris, ut suspicio jure numeralis mendi sit, &c.* & mox: *Pugnare Tacitum secum ipso, ut nihil dici possit, quin Tacitum in historiis aut memoria fefellerit, aut provexerit calor quidam scriptionis.* Nollem in viro non tam docto qvàm sapienti hic qvidem desiderari posse modestiam. Nam qvæ d. *cap. 36.* de Caractaco refert, propterea ad annum 802. referenda non sunt,

sunt, vel ipso Tacito nos jubente, cùm *cap. 40.* de narratione rerum Britannicarum sine velo candidè & apertè testetur, *se plures per annos gesta conjunxisse, ne divisa haud perinde ad memoriam sui valerent.* Qvem locum si attendisset Lipsius, ut fas erat, nunqvam tot tricis se involvisset. Plura de hac consvetudine Historicorum *Freinshemius ad Curt. lib. V. c. 1. §. 2.*

AD CAPUT XX.

§. 2.

IN bonis regis hæc fuerant] *Virdungus* existimabat, pòst hæc verba deesse non pauca, vocabula scilicet regionum atq; urbium & aliarum rerum, qvæ in bonis regis Attali fuerint. Mihi non videtur; qvi hæc refero ad superiora §. 1. *Tota insimul regna veniebant*, conjuncta cum illis §. 2. *Populus Romanus bonorum meorum heres esto.* Vult enim dicere: *In bonis regis*, qvorum Attalus in testamento mentionem fecit, *fuerant hæc ipsa*, subintellige, *regna.* Aliàs non omnia regna ita sunt regum, ut eorum heredem externum aliqvem instituere possint. Vide omnino *Hugonem Grotium lib. I. de I.B. ac P. c. 3. §. 12. & 13. & notis ad illa loca*, ubi similium hereditatum complura notavit exempla.

§. 4. *Regii sangvinis ferox juvenis*] Ejusdem commatis locus cum illo, qvem supra habuimus, *h. l. c. 12. §. 2: Fortissimum populum memoria sua nobilitatis agitabat.*

§. 4. *Vrbes regibus parere ſvetas*] Ut pleræq; Orientalium, vide qvos citavimus *ad lib. I. c. 9. §. 3.*

§. 7. *Mixtis (nefas!) veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam*] *Seneca lib. II. de Ira c 9.* inter maxima ſcelera refert, *violare fontes veneno.* (De fontium aqvis, hoſte adveniente, veneno inficiendis, ſcribit *Philo in Poliorcetico*; ſed qvi adhuc *ineditus* latet in Bibliothecis. *Caſaub. ad Æn. Tact. c. 7.*) Conſulendus hîc qvoq; *Hugo Grotius lib. III. de I. B. ac P. c. 4. §. 16. & notis ad illum locum.* Refert ibi hunc Flori noſtri locum, & ait, *contra fas Deûm* dicere, qvia jura gentium, in qvæ peccetur immanibus iſtis facinoribus, adſcribantur auctoribus Diis. Sed non tam videtur hûc reſpicere, qvàm qvòd fontes, lacus, puteos, fluvios, ſacros & Diis ſacratos ſomniarent; imò tanqvam Deos religioſè venerarentur. *Lapis Brixianus* apud *Gruterum VII. p. 172:*

FONTIBUS
DIVINIS
SACR
M. ANTONIUS
SP. F. SILPHON
V. S. L. M.

Sen. Epiſt. 41. Magnorum fluminum capita venteramur; ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet: coluntur aquarum calentium FONTES, & ſta-

gna quædam vel opacitas vel immenſa altitudo ſacravit. Hinc in qvibusdam erat natare nefas. *Tac. lib. XIV. Annal.* cap. 22: *Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit, quia FONTEM aquæ Martiæ adurbem deductæ nando inceſſerat: videbaturq; potus ſacros, & cæremonias loci corpore toto polluiſſe. ſecutaq; anceps valetudo iram Deûm affirmavit.* Qvi locus in animum mihi revocat illud *Heſiodi* ſub finem Operum: *Qui fluvium tranſit manibus per improbitatem illotis, huic Dii ſuccenſent, & poſtea dolores dederunt.* Qvi & ibidem: *Nec in fontem*, inqvit, *immejito, neq; excrementum cernito.* Ita *Clitumnus*, qvi ex lacu *Vadimonis* egeritur; & ſpecu merſus poſtea oculis redditur, *ſacer* erat; & *Clitumnus DEus* amictus ornatusq; prætextâ, *præſens numen* atq; etiam *fatidicum* deſcribitur à *Plinio lib. VIII. Epiſt. 8.* cui *ſacella* complura, multa *ſimulachra*, & cuiq; ſua veneratio, ſuum nomen fuerit. Nec multùm qværendum eſt, cur *Clitumnũ Deum* vocaverit *Junius Phylargyrus*; cujus locum citat *Scaliger ad lib. II. Propertii p. 253.* Hinc cùm agitatum eſſet, qvî *Tiberis coërceri* poſſet, multiq; cenſerent, vertenda flumina & lacus, per qvos augeſcit; de precati ſunt Florentini, Interamnates, Reatini, *ſpectandas religiones ſociorum, qui ſacra & lucos & aras patriis amnibus dicaverint*; ut eſt apud *Tac. lib. I. Annalium c. 79.* Hinc & *ſtipem in lacus & fontes* ſolebant *jacere*, ut pluribus oſtendit *Caſaubonus ad Sveton. Auguſtum c. 57.* qvem & videre potes *ad cap. 100.*

ubi

ubi de fontibus, *in quibus* credebantur *habitare Heroum animæ*. Sed ut eò revertar unde digressus sum: eodem scelere, qvo *Aquilius* grassatus est, *Venetos* profligavit *Manuel* Imperator Byzantinus, teste *Petro Justiniano lib. II. Hist. Venetæ*. Nam flumina, unde isti aqvabantur, & maria proxima ad perdendam classem veneno infecit; atq; ex illo aqvarum haustu è *centum & amplius* navibus non nisi *septendecim* Venetias evaserunt. Adde *Piçcart. decad. X. c.* 10. p. 264.

AD LIBRI III.

CAPUT I.

§. 1.

QVis *speraret post Carthaginem aliquod in Africâ bellum*?] Ita *Tac. lib. I. Histor.* c. 80. *Unde nihil timebatur, orta seditio propè urbi exitio fuit.* Hæc & alia sapienti contemplatione versans *Horatius lib. II. Carm. od.* 13.

Quod quisq; vitet, inqvit, *nunquam homini satis*
Cautum est.

Et *Sen. epist.* 13. *Quàm multa non expectata venerunt? quàm multa expectata nusquam comparuerunt!* Qvi & *epistol.* 4. *Momento mare vertitur, ubi luserunt navigia, sorbentur.* Deniq; *epist.* 91. *Bellum in mediâ pace consurgit, & auxilia securitatis in metum transeunt; ex amico inimicus, hostis ex socio.*

cio. & mox: *Invadit temperantissimos morbus, validissimos phthisis, innocentissimos pœna, secretissimos tumultus. Eligit aliquid novi casus, per quod velut oblitis vires suas ingerat.* E recentioribus *Puteanus lib. V. Histor. Insubr.* p. 263. de Vidone: *Quæ securitas magnæ sortis? cùm quietem & patem ordinaret, subito quodam motu & prorsus tempestate è culmine rerum deturbatus est.* Qvæ cùm ita sint, non aqvæ, sed cordi aureis literis inscribendum est: VIGILEMUS!

§. 2. *Opibus aggressus est*] Nôrat enim plus *occultâ liberalitate, quàm bello profici; & momentum unicum ad servitutem omnium, emptorem ac venales*, ut scribit *Heinsius lib. I. Hist.* Iisdem armis confligere, & pecuniâ ceu nervosissimâ belli machinâ hostem oppugnare solitum *Vidonem* Spoletinorum Ducem, scribit *Luitprandus lib. I. c.* 7. Artifex inprimis *Philippus Alexandri Pater*, de qvo *Horat. lib. III. od.* 16:

---- diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus. munera navium
Sævos illaqueant duces.

Et in hoc qvidem secutus est sacrum *Apollinis consilium*, cujus hic versus legitur:

Ἀργυρέαις λ'γχαισι μάχου, καὶ πάντα νικήσεις.
Hastis pugna argentatis, atq; omnia vinces.

Qvod oraculum nostro tempore non sprevêre,

qvi

qvi, ut Monarchiam novam conderent, ante omnia Germanorum libertatem arietarunt. Vide *Bernegg. in Tubâ Pacis p.* 12. 13.

§. 2. *Fortuna cessit, ut rex fraude præcipuus, fraude caperetur*] Ut *plerumq; malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit*, qvod *Attali* dictum refert *Sen. ep.* 81. ubi videndus *Lipsius*. Simile est qvod *Tac. lib. VI. Annal. c.* 10. scribit: *Necsecus apud Principem* (Tiberium) *Vescularius Flaccus ac Julius Marinus ad mortem aguntur. Vesculario insidiarum in Libonem internuncius; Marino* participe, *Sejanus Curtium Atticum oppressérat. quò latius acceptum, sua exempla in consultores recidisse.* Multa in hunc sensum egregia notavit *Rittershusius ad Opp. lib. III.* Ἁλιευτικῶν *v.* 384.

§. 3. *Cùm interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate*] Vide notam *ad lib. I. c.* 1. §. 8. & adde illud *Tac. lib. XII. Annal. c.* 47. *Cupido regni fratre & filiâ potior.* & *lib. XV. cap.* 53. *Cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior.* Nec ad h. l. pœnitebit legere notata modò laudato *Rittershusio ad Oppian. lib. II. Cyneg. v.* 46.

§. 3. *Quorum in fide & clientelâ regnum erat*] Consulendus *Virdungus* ad illa *Taciti in Agric.* cap. 14: *Vetere ac jam pridem receptâ Populi Romani consvetudine, ut haberet instrumenta servitutis & reges.* Cui addo illud *Mamertini in Paneg.*: Maximiano dicto *c.* 10. *Ille quidem magnus Alexander jam mihi similis videtur Indo regi sua regna*

gna reddendo, cùm tam multi reges, Imperatores, vestri clientes sint; cùm per te regnum receperit Genobon; Esatech verò munus acceperit, &c. Et est sanè *res illustrissima, coronatos vertices & magnorum Heroum successores non tam inter socios, quàm clientes numerare*; ut censet *Brunnerus lib. I. Annal. p.* 127.

§. 4. *Et hæc fuit de nobis ejus prima victoria*] In eâdem significatione verbo πιάζειν utitur *Apollo* in supra citato *Oraculo*, & *Livius l. XXXIV. c.* 4. verbo *capere*. *Hæc ego*, inqvit, *quò melior latiorq; in dies fortuna Reipublicæ est, quò magis imperium crescit: & jam in Græciam Asiamq; transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas: eò plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quàm nos illas.*

§. 5. *Cùm in Scauro ipsos Romani Imperii mores expugnâsset*] Habebatur enim tunc Scaurus majorum abstinentiæ veterisq; sanctitatis specimen. Everi tripode *Cic. Verr. 1. Nihil esse tam sanctum, quod non violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pecuniâ possit.*

§. 6. *Sed non diu latent scelera*] Placet audire similia sapientum dicta? *Claudianus in IV. Consulatum* Honorii:

> ---- *Nam lux altissima fati*
> *Occultum nihil esse sinit, latebrasq; per omnes*
> *Intrat, & abstrusos explorat fama recessus.*

Lu-

Lucret. lib. V:

Nec facile est placidam ac pacatam degere vitam;
Qui violat factis communia fœdera pacis:
Etsi fallit enim Divûm genus humanumq;
Perpetuò tamen id fore clam, diffidere debet.

Brunnerus lib. IIX. pag. 473: *Rarum est magnorum scelerum secretum, & palliari faciliùs possunt quàm abscondi.* Hûc pertinet numus *Caroli IX. Galliæ Regis*, in cujus alterâ parte *ipsius imago*, in alterâ *cervus odore extrahens serpentes*, cum inscriptione: NULLIS FRAUS TUTA LATEBRIS. Scribunt enim odore cervorum serpentes protrahi è latebris; qvâ de re vide *Rittershusium ad Oppiani lib. II. Cyneg. v.* 239. Sed hæc regula non perpetua, *præsertim in aulis*; nam per *octo annos* latuit scelus *Lygdi Spadonis in Drusum* Tiberii filium. *Tacit. lib. IV. Ann. c.* 8. Adde *Forstner. ad Tacit. p.* 231. *edit. prima.*

§. 7. *Fortius adversus Romanos aurum esse quàm ferrum*] Nec posterioribus temporibus correctiores fuêre Romanorum mores. Avaritia, bellua illa fera, immanis, intoleranda, divina cum humanis permiscebat. Sic de *Carolo Calvo* Scriptor anonymus σύγχρονος, qvem citat *Puteanus comment. in lib. IV. Histor. Insubr. pag.* 245. *Romam profectus est, omnemq; Senatum Populi Romani more Jugurthino corrupit, sibiq; associavit, ita ut etiam Johannes Papa votis ejus annuens, coronâ capiti ejus impositâ, eum Imperatorem & Augustum appellârit.* Sed magis in deterius itum est post hæc tempora, qvi-

qvibus *pecuniæ sitis in tantum invaluit, ut illum nec Tagus, nec Hermus, nec Pactolus, nec postremò, si sit aureus, totus explere posset Oceanus*; sicut scribit *Petrarcha l. XIII. Ep.* 12. Alphonsus Arragoniæ rex facetè dicere solebat; *Harpyjas non amplius habitare Insulas, quod Poëtæ tradant*; *sed ex Insulis migrâsse in Curiam Romanam*, teste *Panormitano lib. I. de dictis & factis Alphonsi cap.* 8. Similiter *Johannes Andreas*, juris Canonici Interpres, monachum dixisse refert: *Romam fundatam à prædonibus, adhuc sapere primordia sua.* Qvod proximè accedit ad *Mithridatis* judicium apud *Justin. lib. XXXIIX. cap. 6. ut conditores Romæ, lupæ uberibus altos*; *sic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles sanguinis atq; imperii, divitiarumq; avidos ac jejunos habere.* Hinc deniq; lusus qvorundam scribentium R. O. M. A. cùm intelligunt *Radicem Omnium Malorum Avaritiam.*

§. 10. *Artibus suis aggressus est*] Ita circumventus *Annibal* apud *Liv. l. XXI. c.* 33. *Alanus* apud *Claudianum* in VI. Honorii Consulatu *v.* 306. Notum proverbium, qvod jubet ἀλωπεκίζειν πρὸς ἄλωπεκα, *cum vulpe vulpinari invicem*; cui consonat illud apud *Diogen. Laërtium*: πρὸς Κάρα Καρίζειν, *cum Care Carizandum.* Sed qvomodo hoc intelligendum sit, dixi *ad lib. II. c.* 6. §. 26.

§. 12. *Iam finium suorum regniq; fugitivum*] Eadem fortuna *Darii*, qvi de se ipso apud *Curtium lib. V. c.* 8. §. 11. *Quoniq; in regno exulabo,*

& per fines imperii mei fugiam externum & advenam regem? Vide ibi *Freinshemium*.

§. 14. *Angvibus arenisq; vallatam*] Magnum in his naturæ propugnaculis adversus hostes momentum, sed nimis tamen iis confidere negat Historia. Vallata erat Macedonia Chaonum tam impeditis difficilibusq; montibus, ut etiamnum Turcorum ridiculo proverbio *ne corniculæ quidem istic excrementa sua ejiciant*; *nec ipse Diabolus in eos baculo subnixus se conferat*, ut extat apud *Leunclavium lib. XVI. Histor. Musulmannica*. At per eos ipsos *Flaminius* penetravit Macedoniam. Qvid de *Hannibale* viâ dicam per *Alpes*? Gallorum per easdem? Jam apud *Curtium lib. IV. c. 5. §. 4.* Darius Codomannus in epistolâ ad Alexandrum M. inter alia, qvibus ipsum à bello adversus se gerendo deterrere conatur, ingerit, *transeundum esse Alexandro Euphratem Tigrimq; & Araxen & Hydaspen, magna munimenta regni sui*. Sic & apud *eundem lib. VII. c. 4. §. 5.* Bessus in convivio crepat, *sese Oxum amnem velut murum objecturum hosti*, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrerent. Ita cum *Sultanus Misirensis* imperium *Selimis* accipiendum svaderet, repugnârunt proceres; nec posse fieri dicebant, ut Selimes invaderet, *cujus aditus omnes vel suis in Ægypti finibus & Syriæ munitionibus obstructi, vel plurium dierum solitudinibus inviis occlusi* essent. Cetera m & Darium & Bessum & Proceres Ægyptios, & plerosq; alios, nimiam in hujusmodi munimentis fiduciam reponentes spes frustrata est; ut partim è *Curtio*, partim è *Leunclavii lib. XVII. Histor. Musulm.* partim ex aliis apparet. *Theophylactus Simocatta* Singaram inexpugnabilem dicit, qvòd omnis in circuitu regio *arida & sticulosa* sit. Vide *Vales. ad Ammian. p. 181.*

§. 16. *Qui ubi diffisus rebus suis alienæ cladis accessio fieri timet* Tale ingenium fuit *Tito Flavio Sabino*, Vespasiani fratri, de qvo *Tac. lib. II. Histor.* cap. 63: *Suopte ingenio mitis; ubi formido incessisset, facilis mutatu, & in alieno discrimine sibi pavens.*

§. 17. *Sic fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus est*] *Tac. lib. XII. Annal. cap. 36.* de Caractaco: *Ipse (ut fermè intuta sunt adversa) cum fidem Cartismanduæ reginæ Brigantum petivisset, vinctus, ac victoribus traditus est.*

AD CAPUT II.

§. 2.

Atrox cœlum, perinde ingenio] *Plinius lib. II. cap.* 80. Gentes Septentrionales *è cœli rigore truces*; & ejus nepos in *Paneg. cap. 12.* easdem *feras gentes, ac ferocissimos populos, qui non telis magis quàm suo cœlo, suo sidere armentur*, autumant. Adde *Sen. lib. I. de Ira cap. 16.* ibiq; *Lipsium*, *Vitruvium lib. VI. c. 1.*, *Vegetium lib. I. de Re militari cap. 2.* Qvæ diligenter observata magnam duci, sive Im-

peratori utilitatem dabunt, in delectu militum efficiendo. Etenim *ubi solâ sagacitate & astutiâ opus est, vix adhibebit in frigidioribus locis ortum & educatum; ubi solo robore & animo, vix in calidioribus; ubi utroq;, tum inveniet in mediis & temperatis locis, qui non minus prudentiæ quàm fortitudinis operibus idonei sunt*; ut scribit *Nicolaus Bellus tom. I. Rerum Polit. c.* 8.

§. 2. *A dextris*] Videtur intelligere eos populos septentrionalis plagæ, qvi versus ortum sunt Italiæ respectu, ut *Thracas, Dacos, Getas, Pannonios, Illyrios, &c.* Hæc *Virdungus.*

§. 2. *Atq; lævis*] Hic verò designat *Gallos* & *Germanos*, aliosq; ad septentrionem vergentes; ut opinatur idem, qvi & mox §. 4. per *Varum* intellexit *Varon* fluvium, qvem *Drunæ* immisceri in montanis *Cavarum* infra vicum *Castillone* notavit in Ausonianis lectionibus *Scaliger.*

§. 3. *Salyi*] Miror *Vinetum* existimare, corruptè dici *Saluvios* apud *Livium* & alios; eamq; sententiam recepisse *Freinshemium*! in Regio exemplari *Ammiani l. XV. p. 55.* nominantur SALUVII, teste *Valesio ad d. l. pag.* 97. nec abit fragmentum marmoreum Triumphorum Romanorum:

SALLVVEISQ. ----- VI. -----
C. SEXTIUS. C. F. C. N. CALVIN. PRO. COS. --
DE. LIGURIBUS. VOCONTIEIS. SALLVVEISQ. -----

§. 5. *Rex*

§. 5. *Rex ipse Bituitus*] De hoc rege dixi *ad Val. M. lib. IX. c. 6. ex. 3.*

§. 6. *Nunquam enim Populus Romanus hostibus domitis victoriam suam exprobravit*] Sed postea exprobrârunt etiam in monetâ: nam devictæ gentes, qvibus in signum subjectionis & recognitionem dominatus sui *certum monetæ genus* pendendum erat, plerumq; *in illâ cognoscebant calamitatem suam*; cùm Romani non tantùm Magistratuum suorum titulos, sed illas ipsas expeditiones suas & victorias inscriberent: ut e. g. à *M. Scauro* & *A. Plautio*, utroqve Cn. Pompeji in Asiâ Legato & Proqvæstore; qvorum *Josephus* meminit *lib. XIV. c.* 4 *& lib. I. de Bello Judaico cap. 6.* illo, ARETAS REX ARABUM, hoc, BACCHUS JUDÆUS Arabiæ & ipse regulus superati in *denariis* exprimuntur, *supplicum ritu dextro genu nixi, camelos tenentes, & olivæ ramum paci impetrandæ dextrâ prætendentes*; qvod observavit *Marquardus Freherus* sermone votivo de verbis Domini: *Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo qua sunt Dei.* Ceterùm non exprobrandam esse hostibus victoriam, neq; id genus tropæa statuenda, qvæ in *Gallorum* ignominiam erexêre *Domitius Ahenobarbus* & *Fabius Maximus*, docet *Forstnerus ad Tacitum pag. 164. 165. & Gruterus discursu XXII.* ad illa *Tac. lib. II. Annal.* cap. 19: *Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quàm ea species dolore & irâ affecit.* Ubi inter alia citat illum locum *Pausaniæ* de *Macedonibus* in

Bœoticis: *Amyntæ quidem filius Philippus, neq; ad Chæroneam neq; uspiam vel de barbaris vel de Græcis à se victis ullum erexit tropæum: neq; fuit omninò patrius Macedonibus mos, victorias suas tropæis ullis testatas relinquere.* Et qvæ ibidem seqvuntur de *Carano* & *Alexandro M.* qvem neq; de Dario neq; de Indicis victoriis tropæum ullum erexisse scribit. Tamen hanc assertionem Pausaniæ in dubium vocat *Freinshemius ad Curt. lib. III. c. 12. §. 27. & lib. VII. c. 7. §. 14.* De tropæis Græcorum *Cic. lib. II. de Invent. c. 23.* Confer etiam *Piccart. Disp. XLII. th. 48. 49.* Qvicqvid sit, in victore placet modestia, semper utilis: & dico verbis *Senecæ* epist. 87. *nimis periculosè ostentari victorias & gentium spolia: quod unus populus eripuerit omnibus, facilius uni ab omnibus eripi posse.* Qvod profectò Romanis accidit, qvi *subegerunt omnia, ut perirent sapiùs; omniumq; ultimùm fortunam rebus conversis subirent*, ut eleganter scribit *Puteanus lib. I. Histor. Insubr. pag. 2.* Qvamvis & *tropæum Sauli* reperiam 1. *Sam. 15.*

§. 6. *Nunquam populus Romanus*] Nunqvam? Atqvi tropæum invenio in numis eorum Romanorum, qvi ante hunc Domitium & Fabium Maximum vixêre. Vide *numum M. Fulvii Flacci* apud *Goltzium in Fastis p. 94.* Item C. *Lutatii Catuli* apud *eundem pag. 95.* Diximus etiam *suprà ad lib. II. c. 4. §. 4.* de tropæo *C. Flaminii.* Hæc ita concilio, ut Florus loqvatur de *saxeis* illis *turribus in hostico* extructis, iisq; *impositis tropæis*; hæc verò qvæ in numis conspiciuntur talia non

non fuerint. *Flaminius* certè *non in hostico* erexit, *sed in urbe Româ*; neq; turri saxeæ imposuit. Ita de aliis qvoq; videtur sentiendum, & qvæ in numis antiqvioribus conspiciuntur, fortasse fercula illa tantùm fuerunt, qvibus imposita hostium spolia conspiciebantur in curribus triumphalibus; ut patet è numo *M. Claudii Marcelli* apud eundem *Goltzium pag. 104.*

AD CAPUT III.

§. 1.

AB extremis Galliæ profugi] *Germaniæ*, legendum esse docet è *Cluverio Freinshemi*[9]; sed vulgatam retinendam esse, *Vossius ad Velleji lib. II. c. 19.* qvem seqvor. Ex abditis Oceani partibus venisse, scribit *Ammianus lib. XXXI. p. 445.*

§. 1. *Quum terras eorum inundâsset Oceanus*] Absurda ratio hæc est, *Valesio* judice ad illa *Ammiani lib. XV. pag. 92: Alluvione fervidi maris sedibus suis expulsos.* Id qvidem, ait *Valesius*, de *Cimbris* & *Ambronibus* veteres prodiderunt, teste *Strabone lib. VII. & Festo Pompejo.* Sed eas fabulas jam pridem refutavit *Posidonius.* Nam cùm mare qvotidiè, & accedere & recedere soleat, idq; statis horis; & hujusmodi æstus omnibus Oceani accolis solemnes sint atq; innoxii; neqvaqvam credibile est, non dico gentem universam, sed ne unum qvidem hominem tam stupidum extitisse, qvi patriam idcirco relinqvendam sibi putaverit.

§. 2. *Petentes, ut Martius populus aliquid sibi terræ daret*] Non imprudenter Romani, qvi petitionem impudentem refutârunt bello. Idem *Usipetibus* & *Tenchteris* negavit *Cæsar*, ut ipse scribit *lib. V. de Bello Gallico cap. 7. & 8.* Tiberius *Tacfarinati* apud *Tac. lib. III. Annal. cap. 73.* Nero *Frisiis* apud eundem *d. libr. c. 56.* Sed & *Probi* Imperatoris hoc judicium fuit, *sentiendum esse, non videndum, cùm auxiliaribus barbaris Romanus juvatur.* Auctor *Vopiscus in ejus vitâ.* Tamen idem *Probus* centum millia *Bastarnarum* constituit in Romano solo, qvæ fidem servârunt. qvod miratur idem *Vopiscus.* At non eandem servârunt alii barbari sub *Valente*, de qvibus *Ammianus Marcellinus lib. XXXI. Marcus Velserus lib. II. Rerum Boic. p.* 131. qvæ una fuit ex causis collapsi imperii, ut rectè judicat *Zosimus.* Adde *Casaubonum in Probum Vopisci.* Sed & *Constantinus Chlorus*, ut est apud *Eumen. Paneg. IX. cap. 6. Francicas* nationes collocavit in desertis *Galliæ* regionibus. Consule de *Constantino Vales. ad Amm. p. 147. & Anonym. de Constant. pag. 476.*

§. 3. *Armis petere constituunt*] In qvibus omne barbarorum jus est. Vide not. ad lib. I. c. 13. §. 6.

§. 5. *Donec invicta illa rabies & impetus, quem pro virtute barbari habent, consenesceret*] Neglexerunt hoc consilium sub *Valente* cum exitio Reip. Romanæ *Trajanus* & *Profuturus* Magistri militum. *Amm. lib. XXXI. p. 447. 448.* De Gallis *Polyb. lib. II. c. 35. Non dicam in plerisq; sed in omnibus actionibus suis, irâ atq; impetu non consilio reguntur.* De Germanis *Tacitus lib. de Germ. c. 4. Magna corpora & tantùm ad impetum valida.* Atqvi aliter virtus, qvæ, ut ait *Seneca lib. I. de Irâ c. 12. diu se multumq; circumspicit ac regit, & ex lento ac destinato provehit.* Ergò cuilibet bono duci *Marius* exemplum erit, & in hujusmodi bellis perpetuum præceptum ejusdem *Senecæ* locus *d. libro c. 11.* de hisipsis Cimbris Teutonisq;: *Facile consenescit impetus, & illa rabies, ut aliquando perculit stravitq; obvia, ita sæpius sibi exitio est.* Qvod seculo superiori A. S. 1566. scriptum sibi putavit clarissimus Maximiliani II. in Ungariâ Dux *Lazarus Schvvendius*, qvi Tatarorum à Solimanno in superiorem Pannoniam immissorum multitudinem, cùm numero militum & viribus imparem sese esse animadverteret, non priùs aggressus est, qvàm immaturorum fructuum esu, inprimisq; uvarum ingurgitatione eorum corpora labefactata, & crebris mortibus numerus imminutus fuisset.

§. 6. *Si quid ad uxores suas mandarent*] Similis confidentia fuit *Vitigis* illius Gothorum regis, cùm ad urbem Romam tenderet. Obvium sacerdotem interrogat, *num Romæ sit Belisarius?* vereri enim ne fugâ sibi elabatur. *Eryc. Puteanus comment. in lib. I. Histor. Insubr. p. 80.* Similis & *Nortmannorum* apud *Brunner. lib. VII. pag. 290.* Convitia autem rarò felicia. animant enim ho-

hostem. *Idem lib. XIII. p.* 473. & 474. Adde notam *ad Val. Max. lib.* II *l.* c. 7. §. 4.

§. 7. *Quo, fidem Numinum! prælio*] *Salmasio* adscribit gloriam hujus emendationis *Freinshemius*. Sed & *Scaliger* propè accessit, qvi *Castigat. in Catulli carmen I.* lectionem hanc ita exhibet: *In loco quem aquas Sextias vocant, quo, fides Numinum, prælio oppressit!* Ibidem elegantissima proponit hujus ἐκφωνήσεως exempla. Sic *Terentius* in Andriâ Act. V. sc. 2. v. 28. *Pietatem gnati! nonne te miseret mei?*

§. 8. *Consultone id egerit Imperator*] Qvod omninò verisimilius. Aliàs summa fuisset temeritas & imperitia, castra in loco aqvarum inopi metari. Vide *Vegetium lib.* II *I. de Re Milit. cap.* 8.

§. 8. *An errorem in consilium verterit*] Adeundus *Onosander c.* 1. & 32 *Strategici*. Dicam & nonnihil hac de re infra *ad lib. IV. c.* 2. §. 84.

§. 8. *Necessitate aucta virtus*] Idem locus communis cùm eo, qvem illustravimus *lib. II. cap.* 15. §. 13.

§. 8. *Viri, inquit, estis, en illic habetis*] Animo maligniore fuit *Q. Capio* is qvi Cos. an. 613. sexcentis imperavit, ut fluvium, juxta qvem castra habebat, cum solis eqvisonib. transgressi, è monte in qvo *Viriathus* confederat, lignarentur. Cujus rei eventum lege *apud Dion. in Exc. Peir. p.* 620. Ceterùm ad locum Flori pertinet, qvod refert *Amm. lib. XXIV. p.* 269: *Qvum milites expectarent pecunias à Juliano; respondit; En Persæ circumfluentes rerum omnium copiis: ditare vos poterit opimitas gentis.* Idem *lib. XXIX. p.* 400. de Theodosio: *Id amorem ejus auxerat in immensum, quòd à provincialib. commeatum exercitibus prohibuit dari, messes & condita hostium virtutis nostrorum horrea esse fiduciâ memorans speciosâ.*

§. 10. *Theutobocchus*] Hic *Orosio* & *Eutropio* dicitur *Teutobodus*, *Hieronymo in Chronico* num 1916. *Teutomodus*, qvam *Iosephus Scaliger* veram lectionem putat. *Teutomotus* enim, inqvit, vel *Teutomodus* est nomen *virile Gallicum*: qvo nomine vocabatur *Rex Nitiobrigum*, Alloviconis filius, qvi amicus Populi Romani à Senatu vocatus est, teste *Cæsare lib. VII. de Bello Gallico*. Nam noster codex scriptus *Teutomotus*, non, ut vulgati, *Teutomatus* habebat. Hæc ille. Ceterùm & *Theutobocchus* non adversatur veteri Teutonismo. Videtur enim iste rex ita dictus qvasi Leut-Bocher. Nam *Theud* & *Leut* pro eodem dixêre antiqvissimi illi Germani. Hinc *Theudericus* i. e. *hominum* seu *populorum dives*, qvi idem est & *Theodoricus* & *Thiedericus* & deniq; *Liedericus*. Hoc enim nomen ita scriptum in *Chronicis vetustis* legisse testatur *Iustus Lipsius*. Præterea ab eâdem stirpe sunt *Theodulfus* & *Theodemarus*; qvi sunt aliter *Liudulfus*, *Leodemarus*, *Luidomarus*; & Livianus ille *Litomarus*, sic dicti, ille qvidem qvasi *auxilium populi*, Leuthülff / hic verò qvasi in *famâ populi*, Leut-

mâhr. *Lætos* qvosdam barbaros ita dictos reperiri in Notitiâ Imperii Romani, & apud *Zosim. lib. II.* & *auctorem Panegyrici*, Constantio dicti, observavit *Vales. ad Amm. lib. XVI. p.* 123. Nec aliunde *Thiepoldum*, qvi aliter *Leopoldus*, id est, *tutor assertorq; populi*; & *Theodahatum* (qvo nomine celebris est Gothorum Rex, sic qvasi *benefactor populi* dictus) deducit idem *Lipsius*. *Virdungus* qvoq; ipsum vocabulum Teutsch hinc derivavit, ut qvemadmodum à Mann Männisch & contractè Mensch; Sic à *Theote*, & contractè *Theut*, dicti sint *Theodisci*, (qvi & *Thiodisci* Gregorio Turonensi & aliis) contractèq; *Theudisci*, sive ut hodiè pronunciant Itali, *Tudesci*, ut verò nostrates, Teutsch: ut sic Teutsch & Leutisch idem sit vocabulum. *Quippe nostri majores*, inqvit, *sicut humanitate erga hospites* (*de quâ legendus Tacitus*) *excellebant: ita sese hominum sive humanorum appellatione solos dignabantur*. Atq; hæc de vocabulo *Teutobocchus*. At *Teutobodus* (si rectè hoc nomen ita scriptum apud *Eutropium* & *Orosium*) videtur idem esse cum Teutoboldo, qvi per Syncopen est *Thieboldus*, *Dipoldus* & *Leopoldus* qvoq; ob rationem suprà jam expositam. Hæc ferè omnia qvondam ad hunc locum commentatus est *Virdungus*; qvæ ut ut prolixa, digna tamen sunt, qvæ legantur. Alia *Vossius de Idol. p.* 275. Ipse *VVelserus lib. III. Rerum Boicarum pag.* 148. Lipsii opinionem non solùm probat, sed & confirmat ex *Otfridi lib. III. c.* 13. apud qvem *fremidemo thiode* signi-

significat *gentes exteras*, *homines exteros*. Sed in eo, qvòd existimat *Virdungus*, ipsum vocabulum Teutsch inde manâsse, diversus est *VVelserus*, dum ibidem notat, gentem nostram debere nomen suum *Teutoni*, qvod antiqvis Celtis *Heroëm* significet. Eum seqvitur *Brunnerus lib. IV. Annalium Boicorum*.

§. 10. *Quaternos senosq; equos transilire solitus*] De his desultoribus videndus *Scaliger commentar. in lib. V. Manilii pag.* 360. ad illum versum:

Nec non alterno desultor sidere dorso.

Lipsius lib. III. de Mil. Rom. dial. 8. *Erycius Puteanus* ad hunc locum Flori; qvos omnes supergressus est *Salmasius ad Vopisci Carinum* à Freinsh. hîc citatus. Adde *Vales. ad Exc. Peir. Appiani pag.* 79. De Sarmatis eundem *Vales. ad Amm. p.* 146.

§. 10. *Super tropæa ipsa eminebat*] Nicetas Choniates de rebus gestis *Alexii Angeli* ferè similia scribit; Toparchas illos nobiles, qvi *Palæstinam* visere cupientes, societatem & fœdus cum *Dandulo*, duce Venetorum, *adversus Byzantinos* inierant, audaces fuisse bellatores, & staturâ suis hastis propemodum pares. Ceterùm capti hujus Regis Theutobocchi, duorumq; adversus Teutonos, eorumq; socios præliorum monumentum adhuc extare dicitur prope *Arausionem* oppidum *Galliæ Narbonensis*, arcus qvidam triumphalis triplici concameratione constructus, in cujus qva-

tuor

tuor parietibus fabrimo artificio præter alia & captivitas cujusdam regis (qvi procul dubio iste *Theutobocchus* est) & veterum Germanorum arma atq; tela, item signa militaria aliaq; spectatu dignissima sculpta atq; expressa conspiciantur, Præterea *Camdenus* & *Forcatulus* ex Gallicis Annalibus referunt, loricam *Belei Regis* ad aqvas Sextias, ubi Marius prælio Teutonos fudit, effossam fuisse A. C. 1235. qvæ peregrinis literis inscripta fuerit: BELEOS CIMBROS.

§. 11. *Provoluti ruinâ descenderant*] Imagine simili Romanus Sapiens lib. III. de Irâ cap. 3. Et qvâ dolor traxit, ruinæ modo regionibus incidunt.

§. 13. *Ipsâ soli cœliq; clementiâ*] Svetonius Paullinus cùm animadverteret, *Vitellianum* exercitum maximam partem constare ex *Germanis*, svasit *Othoni*, ut in æstatem traheret bellum. *Germanos enim fluxis corporibus, mutationem soli cœliq; Italici haud toleraturos*, teste Tac. lib. II. hist. c. 32. §. 4. qvod qvàm verum sit, superiore seculo comprobatum est. Nam, *expugnatâ Româ*, plures nostratium morbis qvàm ferro absumti sunt; cùm diutiùs ibi hæreret *in obsidione molis Hadriani*, cui Pontifex Romanus cum Cardinalibus plerisq; se incluserat. Igitur benè *Marius*, qvi *Cimbros* priùs aggressus non est, qvàm ipsâ soli cœliq; Italici clementiâ eorum robur elanguisset. *Dio Coccejanus in Exc Petr. p. 635.* de his ipsis Cimbris: *Postquam impetus eos destituit, sensim resedêre, atq; inde tardiores*

res infirmioresq; animo & corpore evasêre. Caussa erat, quòd, qui antea sub dio agere consveviſſent, tunc in tecta diversabantur, & aquis calidis utebantur, cùm anteà frigidâ lavari soliti essent. Adhac condimentis ac scitamentis peregrinis sese ingurgitabant, antehac crudas carnes esitare soliti. Denicq; (κατὰ τὸ οἴνου τῆ ὃ μέθη) præter consvetudinem madebant. His enim rebus & impetus omnis animorum enervatus, & corpora illorum effeminata sunt; adeò ut nullum laborem, nullam molestiam, non æstum, non frigus, non vigiliam perferre possent. Idem consilium *Narsetis* fuit contra *Francos*, de qvo *Agathias lib. I.* pag. 24: *Vergente jam autumno, belligerandum sibi nequaquam videbatur. Francis enim æstus valdè inimicus est & gravis; bruma verò tempore vegetantur, validioresq; fiunt. Igitur trahendum bellum, & in proximum ver differendum censebat.*

§. 13. *Dulcedine vini mitigatos*] Victi igitur sunt voluptatibus, armis invicti. Qvod ne sibi accideret, metuentes *Nervii*, Belgarum qvondam fortissimi, *nihil* patiebantur *vini* reliqvarumq; rerum ad luxuriam pertinentium *inferri*, ut scribit *Cæsar lib. II. de Bello Gallico c. 15.* sed & apud Romanos, duces severi vino in expeditionibus militi interdixerunt, ut apud Spartianum *Pescennius Niger*, qvi *aceto* universos jussit esse *contentos*: idemqve cùm apud Ægyptum ab eo limitanei milites vinum peterent, respondit: *Nilum habetis, & vinum quæritis?* & cùm tumultuarentur ii, qvi à Saracenis victi erant, ac dicerent: *Vinum non habemus*,

mus, pugnare non possumus. Erubescite, inqvit, *illi qui vos vincunt, aquam bibunt.*

§. 13. *In tempore*] Hæc est illa maturitas semper commendata in magnis ducibus, de qvâ plura *ad Val. Max. lib. IX. c.* 8. §. 3.

§. 14. *Quem Caudium vocant*] Dubitat *Freinshem.* an in lectione hujus loci certum qvid pronunciari possit. Mihi probant rationes suas *Pigh. in Herc. Prod. p.* 202. *Voss. ad Vell. lib. II. cap.* 12. *Eryc. Putean. ad h. l.* qvi *Raudium* legunt.

§ 14. *Millia inde ad sexaginta ceciderunt, hinc trecentis minus*] *Lucianus* qvidem falsè ridet historicos, qvi *sæpè plures occidunt calamo, quàm hostes ferro.* Talem fuisse illum, qvi referat circa Europam *hostium quidem cecidisse millia trecenta, septuaginta & sex supra ducentos; Romanorum autem non amplius duobus, saucios autem factos fuisse novem.* Sunt tamen Scriptores nunqvam suspecti de fide, qvi exemplorum multitudine confirmant, sæpè magnas hostium copias à paucioribus sine ullo ferè impendio victos. Ipsorum Romanorum dux *P. Claudius Pulcher* à Carthaginiensibus prælio navali victus, amisit *naves centum & septendecim & viginti millia militum*; cùm *Carthaginiensium*, qvi *nonaginta* tantùm *naves* habebant, *ne unus quidem* desideraretur, pauci verò vulnerati essent; ut scribit *Diodorus Siculus lib. XXIV. c.* 1. qvi nullas habebat mentiendi causas, florenti præsertim Romanorum imperio, & ipse

ipse Romanis addictus. Sic *Agathias lib. II. pag.* 39. refert, *infinitam* multitudinem *Francorum & Alemannorum* penitus deletam esse, cùm *Romanorum* tantùm *octoginta* cecidissent. Ubi scriptor sapientissimus unicam causam agnoscit, *ultionem divinam*, idq; pluribus exemplis probat. A. C. 891. ita cæsæ sunt propè *Tiliam amnem* ab *Arnulpho* innumerabiles *Nortmannorum* copiæ, cum duobus regibus; ita ut ex hostibus *vix nuncius* cladis supereresset, cùm copiis *Arnulphi* cum fide lustratis *unus* omnino desideratus est. Consulendus *Brunerus lib. VII. Annal. p.* 294. Centum millia fuisse scribit ex *Helmoldi lib. I. c.* 7. & *Chronico Fuldensi*, *Erycius Puteanus comment. in Histor. Insubr. lib. IV. p.* 256. Plures id genus memorabiliores pugnas observarunt *Lazarus Soranzius in Ottomanno p.* 58. *Freinshem. ad Curt. lib. III. c.* 11. §. 27. *& ad lib. IV. c.* 16. §. 26.

§. 15. *Addiderat virtuti dolum*; *secutus Annibalem artemq; Cannarum*] Junge cum notâ *ad lib. I. c.* 3. §. 4. *& lib. II. c.* 6. §. 16.

§. 15. *Ex splendore galearum, ac repercussu, quasi ardere cœlum videretur*] *Tac. lib. II. Histor.* cap. 22: *Vix dum orto die, plena propugnatoribus mœnia: fulgentes armis virisq; campi. Ammianus Marcell.* lib. XIX: *Cùm primùm aurora fulgeret, universa, qua videri poterant, armis stellantibus coruscabant; ac ferreus equitatus campos oppleverat & colles.* Hæc res cùm terrorem incutiat hostibus, rei militaris Doctores præcipiunt, ut militum ar-

ma qvàm nitida sint. Vide *Onosandrum in Strategico c.28.* qvi & *cap.29.* milites jubet *ante pugnam denso agmine gladios supra capita tollere, & adjolem frequenter crispare.*

§. 16. *Nec minor cum uxoribus eorum pugna*] Ut alia multa fortitudinis muliebris exempla præteream, ab iisdem *Misna* urbs A. C. 1015, contra *Miseconem*, Boleslai filium, Polonum defensa est. Cùm enim ille transito Albi urbem tentaret, cives munimentis diffisi in arcem se receperunt; qvæ ipsa qvoq; cùm duobus locis flammam concepisset, prope desperationem ventum est, actumq; fuerat, nisi virorum deficientium munia feminæ occupassent; qvæ cùm insubeuntes saxa spargerent, ignemq; mulso, in aqvarum inopiâ, sopirent, frementi hosti spem victoriæ eripuêre. Hujusce virtutis ergò Matronis à posteris hic honos est habitus, ut *circa natalitia Mariana* cultæ exornataeq;, agmen ducente *Consulis*, penes qvem fasces essent, *uxore*, templa obirent supplicabundæ, votaq; pro incolumitate urbis à suo olim sexu defensæ nuncuparent. Videndi *Georg. Fabricius lib. I. Annal. urbis Misnæ in A. V. 1015. p. 24. Brunnerus lib. IX. Annal. p. 709.*

§. 16. *Objectis undiq; plaustris*] Sicut illi *Scythæ* apud *Nicetam Choniatem in rebus Johannis Comneni pag.* 17: Omnes currus in Orbem conjunxerunt, iisq; non exiguâ suarum copiarum parte impositâ pro vallo usi sunt: ac multos obliqvos aditus platearum instar in iis reliqverunt. Cùm igitur à Romanis urgerentur, tergis obversis intra currus, tanqvam munitam arcem, nullo fugæ incommodo se recipiebant. Inde recuperatis viribus tanqvam portis erumpentes fortia facinora edebant. Plura *Lindenbrogius ad Ammiani lib. XXXI. p. 206.*

§. 16. *Perinde speciosa mors earum fuit*] Hujusmodi speciosa mors fuit uxorum *Chattorum & Alamannorum*, temporibus *Caracalli. V. Dion. in Exc. Peiresc. p. 748.* Sic autem illa ætas loqvebatur, & *speciosam mortem* vocabat summum scelus, qvo libertas qværebatur. Ipse qvidem maximus pudicitiæ præco *S. Hieronymus tom. 1. de Monogamiâ* Christianas identidem nupturientes, ad has *Germanicas Amazonas* (qvarum *trecentas* fuisse scribit) ablegat, jubetq; illas virtutem ab his pendulis discere. Sed mens beatissimi Patris hæc est, ut pudicitiam & constantiam probet, ipsam autem ἀνυποχείαν minimè.

§. 17. *Ab arboribus pependerunt*] Species ἀνυποχείας, qvam seqvior iste sexus pleruńq; eligit. Hinc *Drepanus in Paneg. XII. c. 28.* de Vallionis indignâ morte: *Manibus Satellitum Britannorum gula fracta, & inusta* FEMINEÆ MORTIS *infamia; ut scilicet maluisse vir ferri amantissimus videretur laqueo perire, quàm gladio.* Eandem elegit Phyllis. *Meurs. de Regn. Attic. lib. III. c. 7.* Erigone, apud eundem *lib. II. de Regn. Att. cap. 3.* De uxore Cornelii Polyhistoris, *Suidas in Alexandro.*

§. 18. *Im-*

§. 18. *Impigrè nec inultus occubuit*] Freinshemianis adde illud *Ovidii lib. IX. v.* 131:

----- *Neq; enim moriemur inulti.*

§. 20. *Quippe eodem die, quo gestare est*] Memorabile est, qvod scribit *Josephus lib. XIII. Antiquit. c.* 18. illâ ipsâ die, qvâ *Hircani* Pontificis filii cum *Antiocho Cyziceno* prælium conseruere, ipsum Pontificem solum in templo Hierosolymitano odoramenta adolentem, vocem audivisse, nunciantem filiorum recentem de Antiocho victoriam: idq; mox progressum renunciâsse multitudini, & paullò pòst venisse certum victoriæ indicem. Sic *Plutarchus* in vitâ *Æmilii Paulli*, suâ ætate contigisse scribit, ut cùm à *Domitiano Antonius* desciviſſet, atq; ingens bellum in expectatione esset à Germaniâ, urbe consternatâ, repentè & sine auctore populum ex sese famam distulisse victoriæ, & interfecti *Antonii*, exercitusq; ejus profligati. Et mox paucis interjectis, *Hujus*, inqvit, *victoriæ & famæ unus fuit dies, cùm Roma ab illis Germaniæ locis plus duobus millibus quingentis milliaribus distaret. Adde notam ad Val. Max. lib. I. c.* 6. 7. 8. *dissert. I.* §. 16.

§. 20. *Laureati*] Laureatas legit *Puteanus*, ut ad literas referatur; de qvibus *Lipsius Cent. IV. Miscell.* ep. 2. cujus tamen sententiam de pinnâ in literis super re tristi valdè exagitat *Casaubonus ad Sveton. Aug. c.* 27. ubi docet, epistolas, qvæ de publicis rebus mittebantur, tantâ celeritate perlatas, ut pennis ferri viderentur. Aliter *Salmasius ad Alexandrum Lampridii p.* 235. Hic tamen præ *Puteano* seqvi malim *Gruterum*, nihil emendantem.

§. 20. *Frequensq; in spectaculo rumor*] Simile post cæsum Maximinum *Capitolinus in Maximinis p.* 147. refert: *Fortè dies ludorum erat, cùm subitò sedente Balbino & Gordiano theatrum nuncius ingressus est: atq; antequam aliquid indicaretur, omnis populus exclamavit: MAXIMINUS OCCISUS EST. ita & nuntius præventus, & Imperatores qui aderant, gaudium publicum nutu & consensu indicaverunt.* Aliter tamen rem narrat *Herodianus*. Neq; enim ludorum diem fuisse, sed populum gaudio exultantem post acceptum nuntium, in circum, qvasi ad concionem cucurrisse; qvod ibidem notat *Casaubonus*.

§. 20. *Victoriæ Cimbricæ Feliciter*] Notanda acclamatio in victoriis, de qvâ plura *Freherus in Petrum Andloum lib. II. c.* 6.

§. 21. *Elata montibus suis Roma*] Qvibus inædificata, ut pueri sciunt. Hinc explicandus *Johannes in Apocal. c.* 17. *v.* 9: Αἱ ἑπτὰ κεφαλαὶ ὄρη εἰσὶν ἑπτὰ, ὅπου ἡ γυνὴ κάθηται ἐπ' αὐτῶν καὶ βασιλεῖς ἑπτά εἰσιν. *Septem capita septem montes sunt, quibus mulier insidet, & reges septem sunt.* Ubi per *reges* intelligit *Imperatores Romanos* ad suum ævum; per *mulierem*, *Romam*: cujus imaginem è prisco monumento ita describit *Pighius in Hercule Prodicio*

pag.389: *Vides Romam Deam bellatricem in septem collibus sedentem: quæ statua est ex Pario marmore humanâ staturâ major, formâ viraginis in tunicâ brevi, succinctâ, nuda genu, cum caligulis militaribus; cui suspensus ab humero dextro baltheus cum parazonio. Caput ejus est galeâ tectum, hastâ manus armata, brachiumq; sinistrum cum clypeo.* Ceterùm huic Flori loco similis est apud *Liv. lib. XXXI. cap.* 14 *f.* de *Athenienſibus*. adde *Paneg. III. cap.* 12.

NOTÆ AD CAP. IV.

§. 1.

Post Macedones, si Diis placet, Thraces rebellabant] Vide notam *ad hujus libri c.* 1. §. 1.

§. 1. *In proximas modò provincias contenti incurrere*] Tales describit Ætolos *Polyb. lib. IV. c.* 3.

§. 1. *Contorta in ipsas aquas tela miserunt*] Qvali stoliditate *Xerxes* Persarum Rex, pedicas aureas in profundum jecit, *Neptunum* se dictitans *alligare*, ut scribit *Herodot. lib. VII.* Adde *Richter. Axiom. Polit.* 306. *Vales. ad Ammian. p.* 289. Xerxi ad omnia similis fuit *C. Caligula*, qvi contra Jovem tonabat machinis, & fulgurabat, teste *Xiphilino*. Hîc non possum præterire, qvin multorum, cetera laudabilium Principum, adversus naturam cœpta, in Historiis notata, velut uno fasce colligam; dum absoluta naturæ opera sæpè ambitiosâ manu vel domare, vel corrigere audent, non sine manifestis iræ

iræ divinæ signis. Talia vetustissimorum Ægypti regum ingenia fuisse etiamnum hodierna Ægyptus loqvitur. Scribit enim *Johannes Breittenbachius in itinerario*, vidisse se vestigia magni operis. Conatum enim regem qvendam Ægypti *conjungere Orientem Occidenti*, perfossâ scilicet terrâ, spatio satis longo, ut *mare rubrum* influeret *Nilum*, qvi deinde in *mare mediterraneum* sese exoneraret; eo consilio, ut naves Indicæ ex mari rubro in Nilum, ex Nilo in mare mediterraneum venire possent. Sed objecta ipsi fuisse magna incommoda, Nili scilicet, & ipsius aqvarum corruptionem, qvæ cùm dulces sint & fructiferæ, corrumperentur à salsis & infructiferis aqvis maris. Tum verò etiam metuendum fuisse, ne conjunctis aqvis Ægyptus operiretur fluctibus. Hæc *Breittenbachius*, qvi in Oriente fuit A. C. 1483. Sed *Levvenstеinius* Romanos hujus operis auctores fuisse ait; cui fortasse in mentem erat, qvod de *Probo Vopiscus* tradidit: *Milites otiosos nunqvam esse passum; extare apud Ægyptum ejus opera, qua per milites struxerit in multis civitatibus.* Sed qvod *Breittenbachius* scripsit, confirmatur multis Scriptorum locis. Vide *Paulum Merulam in dissertat. de Maribus*, & adde *Diod. Siculum. lib. I. c.* 33. ubi ea conatum esse *Neconem*, Psammetichi filium, ac post hunc *Darium Persam*, novissimè *Ptolemæum Secundum*, auctor est. Temporibus *Augusti* cùm terrâ effossâ, *Lucrinus* & *Avernus* miscerentur, tanta tempestas orta est, ut prodigii loco habita sit, qvemadmodum

dum scribit *Phylargyrus ad Virg. lib. II. Georg. v. 161.* Ejusmodi ambitione pruriebat & *Nero*, qvem præterea impellebant ejusdem ingenii homines, *Severus* & *Celer*, qvibus (ut inqvit *Tacit. lib. XV. Annal. c. 42.*) *ingenium & audacia erat, etiam qua natura denegavisset, per artem tentare, ac viribus Principis illudere.* Cujusmodi conatus fuit *Isthmi perfossio*, qvem *Lucianus* notavit; & *Philostratus* auctor est, intermissum esse, ne Ægina submergeretur. Ferunt & *Cæsarem Dictatorem*, & *Caligulam* infelici successu rem eandem tentásse. Nec magis felicem fuisse *Seleucum Nicanorem*, qvi *Isthmum* dirimentem *Euxinum* à *Caspio mari* dirimere conatus sit. Sed & *Cnidios* voluisse propriam Isthmum effodere, prohibitosq; ab oraculo. Videndus *Cardanus in Encomio Neronis p. 41.* De *Q. Pompejo* Vide *Dion. in Exc. Peir. p. 619.* Tale opus in Germania suscepit etiam *Carolus M.*, ut scribunt *Brunnerus lib. VI. Virtutis & Fortunæ Bojorum p. 30. & 31. Ferretus ad lib. XI. Annal. Tac. Scipio Amiratus lib. XIII disc. 10.* qvem imitatus, eundemq; eventum expertus est *Carolus IV.* Imperator, qvi *Multaviam*, *Pragam* Bohemici regni metropolim intersecantem, cum *Danubio* conjungere voluit; teste *Dubravio.* Tamen cui tale qvid contra naturam loci succesisit, nunc qvidem occurrit *Guaynacapa*, Peruanorum rex, notissimi illius Atabalipæ & Guascaris pater, qvi ad *Quitonicum* regnum debellandum proficiscens, qvingentis circiter milliaribus, per asperrimos montes, & invias

vias pænè cautes, exercitum ducere coactus fuit, non sine summis difficultatibus & ærumnis; qvibus superatis, & Qvitonico regno cum metropoli in potestatem redacto, subditi ad regem commodius reducendum, præaltis rupibus dejectis, jugis complanatis, vallibus multis ad triginta aut amplius orgyjarum altitudinem impletis, verè incredibili labore viam ei straverunt tam planam, ut ubiq; vel bigis esset pervia; sicut scribit *Caspar Ens l. V. hist. Occid. Indiæ p. 371.* Successit etiam tale qvid *Tiberio* apud *Dionem l. XLIX. p. 473.* item *Valentiniano* apud *Amm. l. XXIIX. p. 366.* Successit *Omaris* tertii Califæ duci *Amro*, qvi in *Ægypto* fodiendum curavit flumen, qvo *frumentum* portaretur *Golzumam*, & Golzumâ *Medinam*, per mare salsum. *Elmacin. lib. I. Hist. Sarac. cap. 3. p 35.* adde *Eumen. Paneg. X. c. 8.* Unde cum *Berneggero ad Sveton. Aug. c. 16. lit. h. & Scipione Amirato d. l.* censuram Historicorum ita temperabimus, ut si procul ambitione, in solius humani generis utilitatem, *cautè* deniqve & peritè ad hujusmodi opus Princeps accedat, ejus voluntas vituperari minimè debeat; nec ira Numinis adeò formidari, cui succubuêre, qvi suam gloriam suaq; ingenia cœlo velut oppoſuerunt.

§. 2. *Litare Diis sangvinem humanum*] Vide *Gronov. ad Liv. lib. XXIII. cap. 24.* ubi legit *libare.*

§. 3. *Calliditas quoq; ac robur accesserat*]

Hæc mixtura calliditatis & fortitudinis facit invictos viros. Ab utrâqve *Sallustius* Jugurtham deprædicat in *Histor. belli Jug.* c. 7. *Prælio strenuus erat*, inqviens, *& bonus consilio: quorum alterum ex providentiâ timorem, alterum ex audaciâ temeritatem afferre pleruṅq; solet.* Harum altera defuit illi *Fulcari*, Herulorum Duci, de qvo *Agathias lib. I.* p. 20: *Vir non è multis, neq; obscurus, sed strenuus inprimis, multisq; victoriis clarus, qui nunquam ab hoste vinci potuisset si prudentiam cum fortitudine conjunctam habuisset.* Neutra defuit *Chanarangi Armenio*, de qvo *idem lib. II.* pag. 35: Ἀνὴρ δεῖος τὰ πολέμια καὶ φρενήρης, καὶ οὐ δέουτι φιλοκινδύνως; *inprimis erat strenuus & prudens, & in adeundis periculis moderatè audax.*

§. 4. *Silvarum & montium situs cum ingenio consentiebant*] Cic. II. Agrar: *Non ingenerantur hominibus mores tam ab stirpe generis ac seminis, quàm ex iis rebus, quæ ab ipsâ naturâ loci & à vitæ consvetudine suppeditantur, quibus alimur & vivimus.* Eadem est sententia *Polybii lib. IV. cap* 21. ubi tamen has animorum proprietates, qvas situs & natura loci conciliant, emendari institutione ac disciplinâ verisimè addocet. Adde *Tacit. lib. IV. Ann. c.* 46. de *Thracibus*: *qui montium editis inculti, atq; eò ferociùs agitabant*, qvi & *lib VI. Annal. c.* 34. *Hiberi Albaniq; salutiosos locos incolentes, duritiæ patientiæq; magis insvevere.*

§. 4. *Interceptus exercitus, quem duxerat Cato*] Neglexerat enim id, qvod Imperatorem jubet *Onosander in Strategico cap. 2. & 6.* At magna in his solertia fuit *Philopœmenis*, ducis Achæorum; de qvo *Livius lib. XXXV. c.* 28.

§. 5. *Didius*] Cujus res gestas ex numo illustravi *ad Val. Max. lib. II. c. 3. ex. 2.*

§. 6. *Piso Rhodopen Caucasumq; penetravit*] *Julius Obsequens de Prodigiis c.* 103. cujus locum citat *Freinshemius*, primùm emendandus est. Ait, *in Macedoniâ Thracas subactos C. Mario, C. Flacco Coss.* Nemo repugnabit, opinor, si legamus: *C. Mario VI. L. Flacco Coss.* Hi cùm consules fuerint A. U. 653. qvomodo hîc locum habet ille *L. Piso*, in qvem invehitur *Cicero*? qvi Proconsul lege Clodiâ Macedoniam obtinuit A. U. 696. qvod apud omnes in confesso est. Qvisqvis igitur hic fuit, qvem *Florus* nominat, alius est ab eo, qvem existimat *Freinshemius. Pighius in A. U.* 650. conjecit esse *C. Pisonem*, L. F. illius, qvi consulatum gesit A. U. 605. Caji nepotem, illius, qvi Consul fuit A. U. 573. qvod hucusq; stabit, donec certius qvid eruatur.

§. 6. *Lucullus ad terminum gentium Tanain*] De hujus victoriâ rariora qvædam leges apud *Scaligerum ad Eusebium num.* 1944.

§. 7. *Nec aliter cruentissimi hostium quàm suis moribus domiti*] Idem fecit Hercules, de qvo *Boëthius lib. II prof. 6. Busiridem accepimus necare hospites solitum ab Hercule hospite fuisse necatum.* Horrendum est, qvod apud *Polyb. lib. I. cap.* 86. le-

86 legimus de bello Carthaginiensium cum mercenariis suis: *Carthaginienses Spendium eorum ducem ceperant. Eum cum aliis captivis muris Tuneti (in quâtum obsidebant Mathonem, ducem alterum) admotum, in hostium conspectu cruci affigunt. Matho post vincit Carthaginienses & capit ipsum ducem Annibalem, quem illicò ad Spendii crucem adductum, post acerbos cruciatus, depositò Spendii cadavere, vivum eidem infelici ligno adfigit: mactatis circa Spendii corpus triginta è nobilissimis Carthaginiensium: quasi de industriâ hos populos inter se fortuna composuisset, ut occasionem alternis vicibus utrisq; præberet, exquisitis suppliciis invicem sæviendi.* Adde *Diod. Sic. in Exc. Peir. p.* 276. Nec alius generis, qvod apud *Camdenum in Hiberniâ p.*707. legimus: *Thomas Smith Eques auratus, & Reginæ à secretis, in regionem Hibernicam Arde anno* 1572. *præclaro ausu, sed infesto fato, coloniam duxerat. Filium enim naturalem, quem præfecerat, ex insidiis interceptum, canibus objecerunt Hibernici. Cujus immanitatis has postea dederunt pœnas, ut & ipsi lupis in prædam dati sint.* Sapientibus igitur valde commendatum esse debet illud ejusdem *Polybii d. l. c.* 88. ubi de Uticensibus: *Nullum aditum neq; causam postulandi pacem habebant: quoniam à principio ejus consilii neq; locum neq; spem ullam misericordiæ aut veniæ sibi fecerant reliquam. Adeò etiam in hujusmodi peccatis moderari sibi, & inexpiabile nihil ultrò admittere longè præstat.*

§. 7. *Ab-*

§. 7. *Abscissis manibus*] *Ammianus* lib. XXIX. pag. 402. de sagittariis à *Gildone* adductis: *Sagittariorum verò primoribus manus incidit, residuos supplicio capitali multavit; ad æmulationem Curionis, acerrimi illius ducis, qui Dardanorum ferociam in modum Lernæa serpentis aliquoties renascentem hoc genere panarum extinxit. Sed obtrectatores malivoli vetus factum laudantes, hoc ut dirum vituperant & asperrimum; Dardanos hostes memorantes internecivos, & justè, quæ sustinuêre, perpessos: hos verò subsignanos milites debuisse leniùs corrigi, ad unum prolapsos errorem.* Adde *Freinshem. ad Curt. lib. III. c.* 8. §. 15.

NOTÆ AD CAP. V.

§. 1.

Post Artabazes, à septem Persis oriundus] Regum Ponticorum successionem ac seriem post sublatam dominationem Persarum ab Alexandro M. communico tecum è literis ante qvadriennium ad me scriptis, à V CL. *Thomâ Reinesio*, qvi omnia diligenter excusit.

PONTI REGES.

MITHRIDATES (*Mithradates* an sit scribendum disputat *Voss. de Idol. p.*350.) vel *Teridates*, in exercitu *Eumenis Cardiani*, Cappadociæ Satrapæ, contra Antigonum militans, ex unius septem illorum Persarum, qvi *Smerdin Magum* everterant, prosapiâ genus ducens. *Diodor. lib. XIX.*

XIX. cap. 40. Ariobarzanis filius. *ibidem.* Vir regio Persico genere, familiaris Antigono Regi Asiæ, post Alexandrum Mag. Petitur ab *Antigono*, ob somnium de eo qvoddam, insidiis; sed à *Demetrio* ejus filio monitus (*Plut. in Apopht. pag.* 183.) fugit in *Cappadociam*, ibiq; communito qvodam vico, multis ad ipsum deficientibus, (anno 4. Olymp. 123.) *Cappadociam* & gentes *Ponticas* ad finem vitæ usq; obtinuit. *Appianus in Mithrid.* Hic est, qvem *Heracleenses* contra Seleucum Nicanora post occisum Lysimachum solicitârunt. *Memnon c.* 12. habuit filium

ARIOBARZANEM, cui ab *Eumene*, successore Philetæri, (Eumenes Philetæro successit anno 3. Olymp. 129.) gratis concessa est *Amastris* urbs Ponti, ab Amastri Heracleæ reginâ, primùm Dionysii, tum Lysimachi uxore condita. *Memnon c.* 17. [Ariobarzanem *præfectum Lydiæ & Joniæ, totiusq; Phrygiæ* nominat *Cor. Nep. in Datame, c.* 2. §. 4 *c.* 5. §. 6. ejusq; filium *Mithridatem. c.* 10. §. 1.]

MITHRIDATES, Ariobarzanis F. *Memnon c.* 25. Proavus Mithridatis Magni, à *Seleuco Callinico* in dotem acceperat *Phrygiam* majorem. *Justinus lib. XXXIIX. c.* 5. §. 3. (Seleucus autem obiit Olymp. 138.) Ejus adhuc pueri regnum Galatæ infestârunt. *Memn. cap.* 25. Filiam ejus *Laodicem* duxit *Antiochus Magnus*, Cerauni frater. *Polyb. lib. V. c.* 43.

PHARNACES, avus Mithriditatis M. vixit cum

cum Eumene Pergameno seu II. (qvi incepit Olymp. 146. desiit Olymp. 155.) *Justin. d. l. cap.* 6. §. 2. successor Eumeni datus per arbitria cognationum. *ibid.* Cepit Sinopen antea liberam. *Strabo lib. XII.* bellum ei primus indixerat Mithridates. *Polyb. lib. V.* Olymp. 142. [Pharnacem hunc perfidum fuisse virum, constat è *Diod. Sic. in Exc. Peir. pag.* 303. Meminit ejusdem, ut iniqvissimi, *Polyb. in iisdem pag.* 131.]

MITHRIDATES, Ponti Rex, *Evergetes* dictus: Is *primus Populi Romani amicus ac socius* appellatus. *Appian. p.* 226. naves in auxilium misit contra Pœnos, *ibid.* auxiliis ejus victus Aristonicus, rex Asiæ Pergamenæ, Eumenis nothus. A. U. 623. Olymp. 162. eiq; in præmium postea Romani majorem Phrygiam concesserunt. *Justin. d. l. Eutropius* tamen *lib. IV. & Appian. p.* 231. Mithridatem M. hujus filium socium fuisse Romanorum contra Aristonicum ajunt. Obiit A. U. 630. Olymp. 164. repentinâ morte, *Justinus*. Sinopæ necatus, *alii*.

* * *

EX liberis Mithridatis ad *Pompejum* captivi ducti sunt in triumphum *Artaphernes* annorum XL. *Darius, Xerxes, Cyrus, Oxathres*; & filia *Orsabaris*, Phanagoriæ deprehensi: *Cleopatra* filia restitit, & erepta est à patre. *Appianus*.

Mi-

Mithridates F. Fimbriæ occurſaverat, ſed victus fugit. *Memnon c.36.*

De Appiani fide, qvi Mithridatem Eupatora octavum à Mithridate, familiari Antigono facit, dubito; qvòd tempora inter Olympiadem 119. & 160. qvâ natus Mithridates, vix ferant plures, qvàm qvos aſsignavi. Hæc *Reineſius.* E qvibus facilè conſtare poteſt, *Artabazen* Floro noſtro appellari, qvem alii dicunt *Mithridatē* Ariobarzanis filium, Mithridatis M. atavum. Cùm enim celebratiſsimos *regum Ponticorum* recenſere voluiſſe dicendus ſit; ecqvem poſt *Ætam* alium potuit, debuit, niſi *Mithridatem* illum *conditorem regni* poſt mortem Alexandri M. eodem modo deſcriptum à *Diodoro* & aliis, qvo ipſe deſcripſit *Artabazem* ſuum, ſcilicet à *ſeptem Perſis* oriundum? Neqve mirum in appellando illo rege, diverſum eſſe noſtrum à ſcriptoribus reliqvis. Ecqvid enim freqventius in Orientalium Hiſtoriâ? Qvis non multas hujusmodi diverſitates notavit in Perſicis? in Aſſyricis? & ratio in promptu: qvòd ipſi Ponti reges pro ratione temporum mutârunt nomina. Hac enim licentiâ Mithridates unum ex filiis appellavit *Ariarathem*, mutato priori nomine, ut patet è *Juſtini lib. XXXIIX. cap.* 1. §. 10. qvòd ſciret *Ariarathis cognomen* Cappadocibus *acceptum* eſſe. Sic igitur fieri potuit, ut Mithridatis atavus nunc *Artabazes*, nunc *Mithridates* fuerit dictus.

§. 3. *Cauſam quidem illius belli prætenderat apud Caſſium legatum, attrectari terminos ſuos*

ſuos à Nicomede Bithynico] Benè, & ut prudentes ſolent, *veram cauſam* diſtingvit à προφάσει. Diverſa enim ſunt belli *principia*, *cauſæ* & *prætextus*, ut docet *Polyb. lib. III. c.* 6. & 7. Fraus verò uſitatiſsima malitioſorum, culpam & injuſtitiam ſuam aliis aſpergere. Ita *Ptolemæus Phyſcon* apud *Diod. Sic. in Exc. Peir. p.* 351. & *Pyrrhus* apud *Dion. Halic. in iisdem p.* 640. Sic *Bicon* ille, qvi *Athenodorum* invitatum ad epulas in convivio occiderat, advocatâ concione, *ultrò ſibi inſidiatum Athenodorum pleriſq; perſvaſerat*; ut ſcribit *Curtius lib. IX. c.* 7. §. 5. Eâdem malitiâ *Jugurtha* reſpondet legatis Romanis, qvi jubebant abstinere injuriam à fratre *Atherbale*, apud *Salluſt. in Jugurth. cap.* 22. *Atherbalem dolis vitæ ſuæ inſidiatum, quod ubi comperiſſet, ſceleri obviam iiſſe; Populum Romanum neque rectè neque pro bono facturum, ſi ab jure gentium ſeſe prohibuerit.* Sic *Nero* cùm *matrem* ſuam interfeciſſet, ſcripſit ad Senatum, *repertum cum ferro percuſſorem Agerinum, ex intimis Agrippinæ libertis*; & qvæ alia refert *Tac. lib. XIV. Ann. c.* 11.

§. 4. *Spem ac fiduciam dabant noſtra vitia*] Sic *Eumenes*, qvi Bithyniæ præerat, cùm *Antiochum* & *Seleucum* fratres bello funeſto inter ſe certare vidiſſet, ipſe qvaſi ad legenda ſpolia accurrebat, & totâ impunè Aſiâ graſsatus eſt. *Juſtin. lib. XXV II. c.* 3. §. 1. Et hi ſunt illi *transitus rerum*,

qvos vocat *Tacitus lib. I. Histor. c.* 21. magnis conatibus opportunos, cùm in mutatione rerum, his vel illis inter se decertantibus multa magnaq; videntur effici posse, qvæ aliàs non possent. Qvâ spe illectus est *Amyntas* apud *Curtium lib. IV. c.* 1. §. 27. ad qvem locum videndus *Freinshemius*. Similiter *Dio in Exc. Peir. pag.* 735. de Æmiliano: Ἐφεδρεύων τοῖς πράγμασι, *opportunitati temporum ac rerum imminens.*

§. 4. *Cùm civilibus bellis disjungeremur*] Idem dicit *Memnon* apud *Phot. c.* 33.

§. 7. *Aderat, instabat, sævitiâ quasi virtute utebatur*] Sentio cum *Grutero*, non abesse debere vocem, *Aderat*. Simile illud *Cic. Verr. II: Adest, instat, urget Dolabella, ut quàm primùm securi feriantur.* Porrò, qvòd ait noster, Mithridatem usum sævitiâ qvasi virtute; idem est qvod scribit *Agathias lib. I. p.* 10. de Theodiberto: *Furorem temeritatemq; fortitudinem esse credebat.* Ita multi *impudicitiam* vocant *urbanitatem*. Minutius Felix in Octavio: *Tota impudicitia vocatur urbanitas.* Alii *loquacitatem* dicunt *facundiam*; *impudentiam, constantiam*. Tertull. adv. Hermog. cap. 1: *Qui loquacitatem facundiam existimet, & impudentiam constantiam deputet. Vulgati corporis vilitas* apud Babylonios *Comitas* habetur. *Curt. lib. V. cap.* 1. §. 38. De aliis *Seneca Tragicus* sub personâ *Thesei*, in *Hippolyto* v. 915:

O vita fallax, abditos sensus geris,
Animisq; pulchram turpibus faciem induis!
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum; vera fallaces probant
Simulantq; molles dura ------

Nostri Germani *ebrietatem* qvoq; specioso *humanitatis & latitiæ* pallio vestire satagunt. Qvâ de re *Berneg. in Germ. Tac. q.* 128. Plura huc facientia leges apud *Piccart. dec. I. cap.* 9. *Scalig. Exercit.* 149. *Virdung. ad illud Tac. in Agric.* cap. 30: *Auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium: atq; ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.*

§. 7. *Nam quid atrocius uno ejus edicto*] Memnon: *Mithridates intellecto, cives Romanos per urbes Asiæ dispersos, consiliis suis impedimento esse, ad civitates scripsit, ut uno die omnes apud se Romanos occiderent. Et plerique dicto ejus audientes eadem tantam patrârunt, ut uno eodemq; die* 80000. *mortem oppeterent gladio.* De hac lanienâ *Cic. pro Flacco, cap.* 25. *pro L. Manil. c.* 3. Cetertùm de hujusmodi improvisis lanienis videndus *Camerarius Cent. I. Horar. Subcis. c.* 83.

§. 8. *Exceptâ Rhodo*,] Præter *Vellejum*, qvem Freinshemius citat, idem Memnon: *Bithyniâ occupatâ, ceterarum Asiæ civitatum aliæ capiuntur, aliæ in fidem Regis concedunt. Et repentè ingens fit rerum commutatio, Rhodiis solummodò in amicitiâ Romanorum perdurantibus. Ideoq; terrâ marique contra ipsos bellum gessit Mithridates, licet Rhodii virtute & fortunâ ita antecellerent, ut propè esset ipsum regem navali prælio in hostium venire manus.* Et Cic. Act. III. in Verrem: *Rhodii bellum illud propè*

soli

soli superius cum Mithridate rege gesserunt, omnesque ejus copias acerrimumq; ejus impetum mœnibus, litoribus classibusq; suis exceperunt.

§. 10. *In honorem tamen mortuorum*] Vide notam ad *Val. lib. VIII. c. 1. §. 9.*

§. 11. *Nisi de Mithridate triumphare citò quàm verè maluisset*] Hi tum mores erant: non triumphabant, qvia vicerant; sed vicisse videbantur, ut triumpharent; verbis *Plinii in Paneg. cap. 17.* leviter immutatis. De nimiâ triumphandi cupiditate, qvâ bonum publicum subvertebant, dicam *ad lib. IV. c. 10. §. 2.*

§. 13. *Non jam quasi alienam, sed quia amiserat, quasi raptam belli jure repetebat*] Eâ indole fuit *Evagoras* Cypri rex, qvi cùm antea privatam vitam egisset, in exilium actus, regnum sibi vindicandum arbitrabatur; ut est apud *Isocratem.* Et eâdem planè persvasione triginta illi Tyranni Athenienses urbem repetunt apud *Justin. lib. V. c. 10. §. 8.* ibi: *Tyrannis se in exilium actos indignantes, quasi verò aliorum libertas sua servitus esset, bellum Athenienses inferunt.* Simili mente *Jason* apud *Aristot. lib. III. Pol. c. 4.* Πειναῖν ἔφη, ὅτε μὴ τυραννοι, οὐκ ἐπιτρέπεσθαι ἰδιώτης εἶναι: *Lædi se dicebat, quia non regnaret: scilicet insciis privatum agere.* Qvibus ferè verbis *Tiberius* objurgavit *Agrippinam* apud *Tac. lib. IV. Ann. c. 52.* & apud *Svet. in Tib. c. 53.* ubi videndus *Casaubonus.*

§. 14. *Extincta parùm fideliter incendia majore flammâ revivisc unt*] Similes locutiones vide apud *Brann. lib. VIII. Ann. p. 550. 551. lib. IX. p. 743. lib. XI. p. 24.* Hoc, si qvid aliud, qvi Respubl. regunt, solicitè observandum meminerint: ut qvos animos afferant, qvi in gratiam positis inimicitiis redeunt, aut novam amicitiam ineunt, ne ignorent: qvando temporibus cedentes, qvando victis animis pacis conditiones amplectantur: ut ab illis qvidem, ceu temporum suorum insidiatoribus semper sibi caveant; his verò fidem habeant, & ut subditis vel amicis veris, qvicqvid inciderit, sine cunctatione imperent; ut prudenter differit *Polyb. lib. III. c. 12.* Adde *notam ad Velleji lib. I. c. 12. §. 5.*

§. 14. *Auctis majorem in modum copiis*] Gruterus legit, *auctis in modum copiis*, ut notat Freinshemius: cui nullus assentire possum. Non enim mens Floro, dicere, Mithridatem maximas adduxisse copias; sed nonnihil expressiùs, majores scilicet evocâsse vel conscripsisse, qvàm antea habuerat, cùm ipsi bellum cum Syllâ esset. Sanè *Memnon c. 33. & 39.* refert, *Mithridatem*, cùm descenderet in Romana bella, centum & *quinquaginta millium* exercitum adduxisse. At cùm *Lucullus* adventaret, præter validas *Diophanti* copias, qvas Lucullo obviam misit, *centum quinquaginta millia* peditum sub vexillis apud se retinuisse, & *duodecim millia* eqvitum, qvos falcati sequebantur currus *centum viginti*, nec ullam machinarum omnis generis copiam abfuisse. Hæc

Memnon. Ob qvæ non possumus exscindere *majorem*, qvod refertur ad superius bellum & multò significantiùs rem narrat, qvàm si legamus: *auctis in modum copiis.* Nihil refellit, qvod legimus infrà *lib. II I. cap.* 10. §. 18. *Reversus in Galliam, classe majore, auctisq; admodum copiis.* qvi enim comparativus præcesserat, invenustè admodum repeteretur.

§. 16. *Qui (horribile dictu!) per medias hostium naves utre suspensus*] Similia de Cæsare *Svetonius* in ejus vitâ *cap.* 57. ubi videndus *Casaubonus*; & addenda, qvæ de his utribus observârunt *Lipsius lib. II. Poliorcet. c.* 5. *& Steevvechius ad Vegetii lib. III c.* 7. Nostro seculo *Franciscus Kessler* artificiosi cinguli & caligarum, qvæ inflatæ medium plus hominem supra aqvas extantem, & subjecto pedibus plumbo aptatisq; pinnis iter adgubernantem sustineant, delineationem descriptionemq; populari lingvâ vulgavit; ut notat *Bernegg. ad Svet. Cæsar. d. l.* Qvod ait noster, *per medias hostium naves*, non plus admirationis habet, qvàm illa *Hannibalis Rhodii* audacia, de qvâ *Polyb. lib. I. c.* 46.

§. 17. *Mox clade conversâ*] Videtur levissimè tangere cladem ad Chalcedonem, vel omninò dissimulare, qvæ longè fuit atrocissima. Uno enim die terrâ mariq; profligati Romani, *octo millibus* in conflictu navali occisis, *quatuor millibus & quingentis* captis; de pedestri autem exercitu Itasorum *quinq; millibus & trecentis*; cùm à parte Mithri-

thridatis Basternæ, qvi cum Romanorum pedestribus copiis conflixerant, *triginta*, ex reliqvâ multitudine *septingenti* cecidissent. Hæc omnia *Memnon c.* 41. Unde patet *quo affectu noster* accesserit, ad tradendas res Romanas & exterorum.

§. 18. *Spargi à fugientibus sarcinas & pecuniam jussit*] Idem nuper A. C. 1635. d. 26. Martii *Elector Trevirensis* feciisse dicitur, cùm *Embdanus Comes* Treviros vi occupasset; sed nullo successu. Aliàs saluberrimo commento Mithridates hanc militum avaritiæ illecebram objecit, *Castorem* imitatus, qvi se ipsum in difficili fugâ eunuchum facit, easq; partes morsu avulsas projicit, qvarum gratiâ se maximè peti novit. De hoc stratagemate Mithridatis *Cic. Manil. c.* 9. Neq; solùm hæc aviditas spolia legendi moratur victores, sed & conversis hostibus sæpè trucidandos propinat. Videndus *Erycius Put. Comment. in lib. V. Hist. Insubr. num.* 5.

§. 19. *Quasi quodam cum fluctibus procellisque commercio*] Suprà *lib. II. c.* 2. §. 5. *Illam ipsam ruentis æstus violentiam pro munere amplectebatur.* Pari adulatione, an pompâ? *Themist. Orat. V. ad Valentem*, p. 98: *Danubius autem ad bellum trajiciente Imperatore invitus junctus fuit: at mox fœdus facturo, operam in id velut contulit suam, seq; serenum substravit voluntarius pacem componituris triremibus.* Adde similia è *Vales. Amm.* pag. 137. pr.

Mamert. Paneg. II. c. 12. Paneg. III. c. 9. Pan. VI. c. 18. Paneg. IX. c. 5. f. & 13. Brunn. lib. XI. p. 77.

§. 20. *Animus malis augebatur*] Vide notam *ad lib. I. c. 10. §. 2.* & adde qvæ notabimus ad illa *lib. IV. c. 8. §. 3. Magna indolis signum est, sperare semper.*

§. 22. *Priusquam inter se gentium robora coirent*] Magnum boni ducis πλεονέκτημα, discretos viribus aggredi. Ut enim tunc validissimi sunt hostes, cùm omnes vires suas conjunxere: ita infirmissimos esse liqvet, cùm dispersas habent copias. Hinc & *Ap. Claudius Caudex* separatos aggressus est *Hieronem Syracusanum & Carthaginienses*, apud *Polyb. lib. I. c. 11. & 12. Antonius Primus Vitellianos* apud *Tacitum lib. III. Histor. c. 15.* Neglexerunt fœderati Protestantes anno 1547. in bello adversus *Carolum V.* sed cum magno suo malo; dum & *Ratisbonæ*, dein etiam *Landshuti*, ac postremò in castris ad *Ingolstadium* Cæsarem opprimere potuissent, anteqvam copiæ ipsius universæ convenirent; ut præter alios scribit *Thuanus lib. II. Historiar.*

§. 23. *Nocturna ea dimicatio fuit*] De nocturnis prœliis omnia diligenter excusit *Bernegg. quæst. in Tac.* 199. Potes addere prœlium *Gorgopæ* navale ad lunam apud *Xenoph. lib. V. Histor. Gr. pag.* 545.

§. 24. *Quanquam omnia expertus*] De hoc non vulgari genere loqvendi apud Latinos videndus *Scalig. in Culic. Virg. p.* 20. ad illum versum: *Spiritibus rumpit fauces: cui cuncta parante.* & *Barth. ad Gratii Cyneget. pag.* 72. ad illum locum: *Quem mare, quem tellus, quem præceps janua Ditis Omnia tentantem, quà laus erat obvia, passi.*

§. 26. *Malè tentatum veneno spiritum*] Nam antidota sæpiùs bibit & ita se adversus insidias exqvisitis tutioribus remediis munivit, ut est apud *Justin. lib. XXXVII. cap. 2. §. 6.* sic & *Agrippina*, Neronis mater, præsumendo remedia, contra venena munierat corpus, auctore *Tac. lib. XIV. Annal. c. 3. §. 3.* Deniq; & *Alexium Angelum* scribit *Nicetas Choniates lib. I. ab Alexio Ducâ Murzufio* per insidias captum, & bis veneno, sed frustra, tentatum fuisse, qvòd ea adolescens, tum ætatis robore, tum antidotis, qvibus clam utebatur, vicisset.

§. 28. *At in Septentrionem Scythicum, iter, tanquam in mari stellis secutus*] Nullis aliis viæ signis extantibus, solitos veteres, ut nautas, astris pro ducibus uti, docet *Freinshemius ad Curt. lib. VII. c. 4. §. 28.*

§. 30. *Et vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens*] Cur ait, patuisse grande impiæ gentis arcanum, si vidit sub aureo vitem cœlo? Fuit gentilibus incognitum, qvem *Deum* colerent *Iudæi.* Sed cùm viderent *in templo auream vitem*, credebant jam illud arcanum patere, & deprehendi Judæos in *Bacchi* cultu. *Tac. lib. V. Histor. cap. 5.*

§. 10. *Sed quia sacerdotes eorum tibiâ tympanisq; concinebant, hederâ vinciebantur, vitisq; aurea in templo reperta: Liberum patrem coli, domitorem Orientis quidam arbitrati sunt.* Iniqvam verò hanc calumniam fuisse, nec qvicqvam tam abhorruisse Judæos qvàm cultum *Liberi*, vel illud *lib. II. Maccab. c. 6.* arguit: *Ducebantur cum amarâ necessitate natalitio festo regis ad sacrificia: & cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circumire.* Lipsius *lib. II. Elect. c. 5.* benè assecutus est Flori mentem, sed non pari felicitate huc trahit *Iosephi* locum *lib. XIV. c. 5. Pompejus autem cùm Damascum venisset, legati ad eum venêre ex omni Syriâ, Ægypto, Judæâ. Misit verò illi insigne donum Aristobulus vitem auream, pretii quingentorum talentorum. Cujus doni etiam Strabo Cappadox meminit, &c.* De hac vite *Lipsius* opinatur loqvi Florum; sed fallitur vir doctissimus. Qvod enim ex Josepho constat, *Pompejus* vitem auream ab *Aristobulo* missam accepit, cùm venisset *Damascum*, & obiret Cælesyriam, hoc est, anteqvam movisset in Hierosolymitanos. At hanc, ut vult Florus, primùm vidit ingressus Hierosolyma & templum, hoc est, aliqvantò post. Igitur ex ipso tempore, qvo templum ingressus est Pompejus, colligas, de aliâ vite loqvi Florum; & ut benè de Aristobuli vite sive domus Hasmonæorum κειμηλίῳ, sic malè de vite templi capitur *Plinii* locus *lib. XXXVII. c. 2.* ubi triumpho *Asiatico Pompejum* intulisse refert, *montem aureum quadratum, cum*

cum cervis & leonibus & pomis omnis generis circumdatâ vite aureâ. Imò nihil eorum ablatum est in triumphum, qvæ Pompejus in templo vidit. In hac ipsâ re manifestus erroris est *Baronius in A. C. 34. num. 158.* qvi Tacitum erroneam illam opinionem de Baccho Judæorum Deo inde hausisse putat, qvòd *vitem* in templo *Iovis Capitolini* positam sciret allatam *ê Judæâ*, donatamq; Pompejo ab Aristobulo. Atqvi dum ait Tacitus, *vitem auream repertam in templo, intelligit templum Hierosolymitanum*; adeoq; nugas agit *Baronius*, dum Tacitum respexisse scribit ad κειμήλιον domus Hasmonæorum in templo Capitolino positum, qvod in Hierosolymitano nunqvam fuit. Ut taceam, vero simile non videri, gentiles ex illo Aristobuli dono argumentum capere voluisse de religione Judaicâ; utpote qvod respectu totius gentis privatum erat. Ne igitur deprehendamur cum Lipsio & Baronio πάντα ποιῆσαι ἄνω ποτὶ κάτω, diligenter distingvimus inter *vitem* auream *Aristobuli*, & *vitem* auream *templi*; de qvâ omninò interpretamur nostrum. Unum illud velim me doceant viri harum rerum periti, an illa vitis, de qvâ loqvitur Florus, sit eadem cum illâ vite aureâ, de qvâ *Iosephus lib. XV. c. 14.* ubi de templo ab Herode extructo: *Ianua erat ipsi templo par, & superliminare aulæis variegatis ornabatur, floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intertextas, sub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus botryonibus; mirandum sanè opus, tam manus, quàm materia*

riæ pretio. Id enim negare qvispiam posſit, qvòd iſta vitis *Herodis opus* videatur, adeoq; recentius, qvàm ut à *Pompejo* conſpici potuerit. Sed ne cogar duas vites aureas templi Hieroſolymitani ſtatuere contra *Joſephum*, qvi unius tantùm meminit; neq; *Florum* invadere, tanqvam falsò ſcripſerit, Pompejum in templo Hieroſolymitano vidiſſe, qvod diu poſt necem Pompeji ibidem ab Herode collocatum fuerat; dicam, de eâdem hac vite loqvi *Joſephum d. lib. XV. c.* 14. eumq; explicandum de *vite translatâ* potius in novum templum, qvàm novâ. Et hæc vitis in templo fuit ad excidium usq;. Vide eundem *Joſephum. lib. VI. de Bello Jud. c. 6.* ubi eam ita deſcribit: *Circum portam auratus paries, deſuper autem habebat aureos pampinos, unde racemi ſtaturâ hominis dependebant.*

§. 31. *Quam extremam habebat imperii provinciam, mediam fecit*] *Cicer. in Catil.* 3. de Pompejo: *Fines veſtri imperii non terræ, ſed cœli regionibus terminavit.* Et in eâdem: *Pompeji res geſtæ atq; virtutes, iisdem, quibus Solis curſus, regionibus ac terminis continentur.* Porrò ſicut noſter hîc, & ipſe de ſeſe *Pompejus in Senatu* gloriatus eſt, *Aſiam ſe, quam ultimam provinciarum accepiſſet, mediam reddidiſſe*; ita de *Claudii* victoriâ Britannicâ canit poëta vetus apud *Scalig. in Catalectis pag.* 209:

Euphrates ortus, Rhenus recluſerat Arctos;
Oceanus medium venit in imperium.

Et

Et mox:

Ultima cingebat Tibris tua, Romule, regna,
Hic tibi finis erat, religioſe Numa.
Et tua, Dive, tuum ſacrata potentia cœlo
Extremum citra conſtitit Oceanum.
At nunc Oceanus geminos interluit orbes,
Pars eſt imperii, terminus antè fuit.

NOTÆ AD CAP. VI.

§. 1.

Sublatisq; commerciis, rupto fœdere generis humani] Hunc locum pulchrè explicat *H. Grotius lib. II. de I. B. ac P. c.* 2. §. 13. *& in notis. V. Salmaſ. de Uſur. p.* 289. *Communes hoſtes omnium* vocat *Cic. Verr. VI. c.* 9. adde *Verr. V II. cap.* 30. Ceterùm damna à piratis illata partim cognoſces è *Cic. Manil.* partim è *Verr. V. cap.* 80.

§. 2. *Sub alieni belli tumultu*] Eſt idem locus communis, qvem illuſtravimus ad *ſuperioris cap. num.* 4. Adde Pharnacen infrà *lib. IV. cap.* 2. §. 61.

§. 5. *Phaſelin*] Vide *Cicer. Verrin. VI. cap.* 10.

§. 5. *Olympon evertit*] *Cic. Verrin. II I. c.* 21. ubi MSS. & antiqvitus cuſi *Olynthum*, accedentibus Lambino & Manutio. Sed *Olympum* mavult *Grut. è Strabonis* lib. XIV. & hiſtoria.

§. 5. *Iſaurumq; ipſam arcem Ciliciæ*] De hac urbe

urbe videndus est *Vales. ad Ammian. Marcell. libr. XXVI. pag. 38.*

§. 5. *Vnde conscius sibi magni laboris Isaurici cognomen adamavit*] De rebellionibus Isaurorum frequentibus etiam inferiori ævo *Casaub. ad Trebellii Pollionis Trebellianum p. 216.*

§. 6. *Sed ut quædam animalia*] De quibus *Rittershus. in Opp. lib. II. Cyneget. v. 217. & v. 386.*

§. 6. *Sub ipso hostis recessu*] Minor semper absentium respectus est. Ita *Athenienses* rebellârunt *Alexandro M.* absente, apud *Justin. lib. XIII. cap. 5. §. 1.* Ita *Saxones* absente *Carolo M.* nec aliter *Itali & Pontifices* Romani *Germanicis Imperatoribus* extorserunt Italiam, olim partem imperii nostri, qvàm qvòd *Cæsares in Palæstinâ*, vel procul Italiâ degerent. *Forstn. ad Tac. p. 79.* Qvam obrem ea premenda sedes imperii, unde in ferocissimos facile sit regimen; qvod neglectum à Romanis Principibus, qvi *Constantinopolim* secesserant, totum imperium occidentale, cum ipsa urbe Româ propinavit bellicosissimis Europæ nationibus; ut docet præter alios complures *Leunclavius Apol. pro Zosimo.*

§. 7. *Sic ille quoque ante felix, dignus nunc victoriâ Pompejus visus est; & Mithridaticæ provinciæ factus accessio*] Verba malè trajecta, qvæ in locum suum ita reponenda suspicor: *Sic ille & ante felix, & Mithridaticæ provinciæ factus accessio, dignus nunc quoq; victoriâ Pompejus visus est.* Non sunt absq; aculeo in *Pompejum* dicta, dum *Mithridaticæ provinciæ* nominatur *accessio*, qvasi qvi Luculli gloriam ex victoriâ Mithridaticâ interventu suo delibârit, & interceperit. Eodem significatu aliis *accessio* opponitur *auctori*. *Val. Max. lib. V. cap. 7. ex. 1. Nec accessio gloriosæ illius pompæ, sed auctor spectatus est.* Malè factum, qvòd qvidam ibi substituetunt: *nec accessor.* Ceterùm de istis jam dixi suprà *ad lib. II. cap. 16. §. 4.* Nunc illud hic monere sufficiat, non absqve causâ Populum Romanum in Pompejo spectâsse felicitatem. Qvod nec *Cicero* imprudenter factum judicat, qvi in Manilià: *Existimo*, inqvit, *Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis Imperatoribus, non solùm propter virtutem, sed etiam propter fortunam, sapius imperia mandata, atq; exercitus esse commissos.* Sed attendendum, qvòd mixturam facit *virtutis* & *fortunæ*. Siqvidem felicitatem omninò comitari debet consilium sive ratio. Nam aliàs soli fortunæ confidere, & contra rationem insistere spei, nimium profectò stultum mihi videtur; qvoniam spes, qvæ fortunam tantùm in consilio habet sine ratione, cùm aliqvid aggreditur, sæpè fallit; imò plerumq; prorsus perdit, si credimus *Thucydidi lib. V. Belli Pelop.*

§. 7. *Nunc quoque*] Longiùs à veritate historicâ nostrum abripuit dispositio narrationis suæ; & qvoniam suprà jam retulit Pompeji expeditionem Mithridaticam, de bello Piratico hîc loqvitur, velut posteriori. Sed hoc priùs esse gestum,

ſtum, qvàm Pompejus Lucullo ſucceſſor mitteretur, ex Annalibus Romanis conſtat.

§. 8. *Vtraq; Ponti & Oceani ora*] De potentiâ Romanorum in tot maria, conſulendus *H. Grotius notis in lib. II. de I. B. ac P. c. 3. §. 13.*

§. 10. *Quaſi portam obſervavit*] Qvamvis erudita ſit lectio *Salmaſii* legentis, *obſeravit*; malim tamen propter auctoritatem primi & ſecundi Palatini MS. & editionem veterum retinere vulgatam. *Curt. lib. X. c. 7. §. 16. Igitur Perdicca territus conclave, in quo Alexandri corpus jacebat, adſervari jubet.*

§. 14. *Non aliàs tam incruentâ victoriâ uſi unquam ſumus*] Tam incruentâ contra latrones victoriâ uſus eſt etiam *Iorgutzes* Baſſa, *qui* tempore *Murathis II.* Sanzacatum Amaſianum tenebat. Cujus rei deſcriptio cùm prolixior ſit, remitto te ad *Leunclavii l. XIV. Hiſt. Muſul. p. 536. 537. 538.*

§. 14. *Sed nec fidelior in poſterum reperta gens ulla eſt.*] Hoc in victoris poteſtate ſitum eſt; qvi qvalem gerere ſeſe debeat, fusè docet *Gruterus diſcurſu XXVII. in Tacitum.*

AD CAPUT VII.

§. 2.

Vt plures catenas in navibus, quàm arma portaret] Gemina planè ſtultitia *Carthaginienſium*, apud *Diodor. Sicul. lib. XX. c. 13. C. Flaminii* apud *Polyb. lib. III. c. 82. Ætolorum* apud eundem *lib. II. c. 4. Pompejanorum* apud *Caſ. lib. III. de B. C. cap. 72. & Cicer. lib. XI. ad Att. epiſt. 6. Germanorum* apud *Tacit. lib. II. Annal. cap. 18. Britannorum* apud eundem *lib. XIV. Annal. c. 34. Nachoragani* apud *Agath. lib. III. p. 91. Zirforum* A. S. 1390. in bello contra Turcos apud *Leunclav. lib. V. Hiſtor. Muſulm. pag. 298. Danorum* bello Dithmarſico anno 1500. apud *Meurſ. lib. II. Hiſt. Danicæ p. 93.* & qvæ alia refert *Piccartus dec. X. c. 6.* Omnium iſtorum idem fuit exitus, qvi *Antonii Cretici*, hoc eſt, dederunt pœnas vecordiæ. Nec aliter ſolet magnus ille Deus, qvi dejicit, qvicqvid vanè ſe attollit; ut pulchrè ait *Lipſius ad Tacit. d. l. II. c. 18.* Adde notam *ad Velleji lib. I. c. 9.*

§. 3. *Dedit itaque pœnas vecordiæ*] Cùm à *Cretenſibus* tantâ clade victus ſit *M. Antonius*, non videre ſeſe confitetur *Freinshemius*, qvamobrem *Creticus* ſit appellatus. Novit enim vir doctiſſimus, *Romanorum olim ductibus nomen addidiſſe, contectos hoſtium cædibus campos, & infecta victoriis maria*; uti loqvitur *Plinius in paneg. c. 12.* Sed enim verò corruptis moribus Romanis, cùm, verbis *Salluſtii in Catil. cap. 12.* pudorem nihil penſi haberent, praviſsimâ ſuperbiâ elati *cognomina affectabant* ex iis gentibus, à qvibus devicti erant. Igitur cùm de hoc Antonio in *Appiani excerptis legationibus* legimus, *Cretici cognomen retuliſſe, quamvis adli*

ver-

versus Cretenses improsperè rem gesserit; interpretamur id factum ex vanitate; & qvidem à progenie hujus Antonii (nam ipse bello isto Cretensi periit) seqventibus temporibus admodum potenti; qvam haud dubiè inflabat, tantam huic parenti suo potestatem delatam esse, qvantam, præter Pompejum, liberâ Repub. nulli. *Lactantius* lib. I. c. 11: *Cujus regnum tale fuisse dicimus, quale M. Antonii fuit infinitum illud imperium, cui totius orâ maritimæ potestatem Senatus decreverat.* qvem locum minimè solicitandum esse, rectè docuit *Vossius in lib. II. Vell. Paterc. c. 31.* Nam idem scribit *Asconius* in duobus locis, qvæ jam observata sunt *Sigonio in A. U. 685.* De simili vanitate disseruimus *ad lib. I. c. 11. §. 6.*

§. 6. *In alienâ provinciâ inclitus fuit*] *Gruterus* propugnat hanc vulgatam, ut sit sensus, Pompejum clarum factum in alienâ provinciâ. *Freinshemius* Vineti lectionem, *irritus fuit*. Gruteri explicationem convellere videtur, qvòd Pompejus in illâ provinciâ ludibrio potiùs fuerit, qvàm inclitus; nisi fortasis ea mens Grutero, *eò infestiorem fuisse Metellum Cretensibus, quò magis præsese Pompejum æstimaverant*; ut illud, *inclitus*, referatur ad opinionem Cretensium. Ita sententia planissima esset, & vel propter ipsâ seqventia, qvæ *Freinshemium* movebant, ut *Vineto* accederet alterâ lectione favorabilior. Pulcherrima namqve connexio: *Nocuisse Cretensibus, quòd Pompejum in tantum honorâssent; in ejusq; clementiâ spes suas reponere voluissent.* Nihilominus si MSS. lectionem, (in qvibus pro *inclitus* est *irritus*,) cum historiâ confero, malim præ conjecturâ Gruteri & Freinshemii tanqvam certum & auctoritate manifestâ stabilitum reponere, *in alienâ provinciâ irrisus fuit*. Plutarchus *in Pompejo* de hac ipsâ re p. 634: *Unum ex legatis suis misit L. Octavium, qui cum obsessis includens se muris, atq; cum his arma socians, ἐ μόνον ἐπαχθῆ καὶ βαρὺν, ἀλλὰ καὶ καταγέλαστον*, i. e. *non modò odiosum & invidiosum, verùm ridiculum quoq; Pompejum reddidit, qui invidiâ in Metellum & æmulatione hominibus nefariis & impiis nomen suum accommodabat, & velut amuletum appendebat auctoritatem.*

AD CAPUT VIII.

§. 1.

Qvatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus aßveverat] Cum hac domo qvas compares, paucas admodum familias reperies in historiis. Vide *Bernegger. ad Iustin. lib. XII. cap. 16. §. 3.* & adde *Pighium in Hercul. Prod. pag. 66. 67.* Adversa familiarum freqventiùs legas. In *Corneliâ Scipionum* (at qvantâ gente! qvàm benè de patriâ meritâ!) *P. & Cn. Scipiones* fratres Punicæ fraudis insidiis cæsi sunt in Hispaniâ. Alter horum (Publius) reliqvit *Scipionem Africanum* majorem; alter (*Cnæus*) *P. Scip. Nasicam.* Africanus factus est exilio ignobilis vici & desertæ paludis

ludis accola. *Val.lib.V.c.3.* Neq; Nasicæ licuit in patriâ mori. *Plin.lib.VII.c.34.* Africanus major nepotem habuit *Africanum Æmilianum*, qvi percussorem domi reperit. *Plut.in Gracchis.* Nasicæ nepos fuit *Scipio Nasica Serapio*, qvi propter iniqvissimam virtutum suarum apud cives æstimationem sub titulo legationis Pergamum in exilium secessit. *Val.d.l.* Serapionis nepos *P.Nasica Orator*, avitæ qvoq; fortunæ compos exilium tulit. *Cic.lib.III.de Orat.* Oratoris filius *P.Scipio Metellus*, victus à Cæsare semetipsum interemit. *Sen.ep.* 24. In gente *Quintiliâ tres* continuâ serie *gladiis suis* incubuêre *Vell. lib. II. c.* 119. In gente *Iuniorum Silanorum* æqvè occurrunt atrocia. *D. Silanus* velut adulter in Juliâ nepte relegatus est ab Augusto. *C.Junius Silanus* Proconsul Asiæ à Tiberio A.U.774. *M.Junius Silanus* Decimi modò dicti frater, *pecus aureum* dictus à Caligulâ, mori jubetur ab eodem genero suo. *Junia*, Furii Camilli Præsidis Dalmatiæ uxor relegatur A.U.796. *Ap. Silanus* occiditur à Claudio Imperatore confocero suo. *M.Silanus*, Ap. F. interimitur veneno per dolum Agrippinæ. Hujus frater *L.Junius Silanus*, gener Claudii, suâ manu obit anno 802. Soror *Junia Calvina* pellitur Italiâ. *Iunius Torquatus Silanus* interficitur à Nerone anno 817. Hujusdem nepos è fratre *L. Silanus* ab eodem. Et hæc omnia *intra sexaginta annos* facta sunt, ut è lectione *Dionis*, *Taciti*, *Svetonii* cuivis patebit. In Historiâ recentiori, exemplum pertinacis infortunii

nii præbuit domus *Petri Bajardi*, nobilis Galli, de qvâ *Caspar Ens lib.IV.Pausilypi p.*134. è Pasqverio: *Abavus Bajardi in prælio ad Pictavium ante pedes Iohannis Regis cecidit: proavus prælio ad Arincuriam interfectus Carolo VI. rege: Avus ad montem Leherium vitam amisit: Pater denique ad Guinegatam graviter vulneratus est.*

§. 1. *Altero ex liberis ejus Cretico facto*] Falsum est, qvod scribit *Stadius*, Q. Cæcilium Metellum Creticum L. Dalmatici filium fuisse, probari è Tabulâ Capitolinâ. Imò eo in loco Tabula Capitolina intercidit; & qvæ Stadius vidit, fuerunt indubiè recentiorum supplementa. Sed & illa nullius momenti argumentatio est: Fuit L. Metelli Dalmatici filius, E. Macedonici nepos. Vehementer enim errare, qvi *Diadematum* Macedonici filium, eundem cum Dalmatico putant. tum ex fragmento triumphorum Romanorum probavit *Pighius in A.V.*635. tum nos è Cicerone & Pediano ad *Val.M.lib.VII. c.*1. sed cùm è Floro nostro constet, fuisse *Creticum* è *Macedonici* domo, credam *filium* esse *Diademati*, adeoq; cum Pighio describam L.F.Q.N. cùm, si fuisset filius Dalmatici, haberet avum L. Cæcilium Metellum Calvum, fratrem Q. Macedonici.

§. 1. *Ex liberis ejus*] Igitur *liberorum* appellatione comprehendit etiam noster *nepotes*, more JCtorum; ut rectè observat *Freinshemius.* Malè *Sabellicus Enneadis sextæ lib. IV.* Q. Cæcilium Cre-

 ticum

ticum *Balearici fratrem* vocat, non satis examinato Flori loco.

§. 2. *Piraticâ rabie*] Uti *Cilices, Baleares, Illyrii* apud nostrum; sic aliæ pleræq; nationes barbaræ infesta habebant maria & terras; & latrocinium olim gloriæ habebatur, ut scribit *Iustin. lib. XLIII. cap. 3. §. 5.* ubi consulendus *Bernegger. & in Germ. Tac. q. 75. H. Grotius notis in libr. II. de Verit. Christ. Relig. pag. 179. & lib. III. de I. B. ac P. cap. 3. §. 2.* Et in Germaniâ qvidem feritas ista ad novissimum ferè seculum obtinuit, cùm latrones honestiore vocabulo *Aventurieros* (qvi sunt Italis *viri nobiles*, ludis Eqvestribus nomen dantes, & velut in omnem eventum excurrentes; sicut *Mantenitori*, qvi ludos indicunt) sese appellarent. Qvod audiens vulgus, & cum infami studio nomen abominans, omne deinde monstrosum & prodigiosum ab hisce *Aventurieris* dixit ein Aventhür vel Abentheur; qvod *CL. Hofmannus* me docuit. Cetertim restiterunt huic malo egregii Cæsares ac Principes; & de *Henrico* qvidem videndus *Regino in A. S. 920.* De *Friderico I.* Palatino *VVimphelingius in epit. rerum German. cap. 55.* cujus etiam tumulo fuit inscriptum: FULMEN PRÆDONUM. Sed omnium hac in re maximus verèq; Pater Patriæ, *Maximilianus I.* Austriaci Imperii conditor; sub qvo fœdera contra latrones icta, receptacula & arces eorum exustæ, ipsi gladio & nonnunqvam acerbissimo rotarum supplicio necati, passimq; securitas viis reddita; ut è Chronicis illorum temporum omnibus constat.

§. 4. *Tribus quisq; fundis*] Videndus *Casaubonus ad Strab. lib. III. p. 78. lit. E.*

§. 5. *Cibum puer â matre non accipit*] De *Ceremissis, Mordovotibus* & *Vachinibus*, qvi populi inter *Viatkam* & *Volochdam* habitant scribit idem *Alexander Gvagninus* in Moscoviæ descriptione: *Apud eos*, inqviens, *tam viri quàm feminæ cursu sunt velocissimo, sagittandiq; peritissimi. Arcum nunquam de manibus deponunt; quo adeò delectantur, ut filiis cibum negent, nisi prius signum monstratum ex arcu sagittâ ferierint.*

§. 6. *Et pila venientia*] Suspectus mihi locus de vitio. An legimus, *Et pila vehementia*? Liv. lib. IX. c. 19: *Pilum haud paullò quàm hasta vehementius ictu missuq; telum.*

§. 6. *Quærendi fuerunt, ut vincerentur*] Paneg. V. cap. 4: *Tibi cunctis hostibus alacritatis tuæ terrore compressis, interim deest materia vincendi.* De Q. Metello Celere *Cic. lib. I. ad Attic. ep. 20.*

AD CAPUT IX.

§. 2.

INsulam veteribus divitiis abundantem] Ob ritum, qvem *Iustinus lib. XVIII. cap. 5.* tangit, *Cyprum Veneri sacram* fuisse, *rectè* meo animo Freinshemius negat. Fuit enim impius ille mos prostituendi se suasqve virgines hospitibus, non

tùm Cypriis, sed toti penè orbi superstitioso, & tenebris plusqvam Cimmeriis submerso familiaris. Vide *Tomasinum lib. de Donariis cap. 16. Casaub. ad Strabonem pag. 126. C. 165. A.* ipsum etiam *Freinshemium ad Curtii lib. V. cap. 1. §. 37. & 38. Bernegger. in Germ. Tacit. quæst. 106. & 125.* Adde *Plautum in Menæchmis act. II. sc. 2. v. 63. in Cistell. a. II. sc. 3. v. 20. in Curcul. act. IV. sc. 1. v. 21.* Nec casti magis fuerunt ipsi Romani. *Seneca pater controv. 1.* de sacerdote prostitutâ: *Nuda in litore stetit; ad fastidium emtoris omnes partes corporis & inspectæ & contrectatæ sunt.* Invehitur in hanc ipsam impietatem Propheta *Baruch c. VI. §. 42. & 43.* Ceterùm offendit idem Freinshemius ad illa nostri: *Divitiis abundat, & ob hoc Veneri sacra est.* Nulla enim assertionis ratio. Legit igitur: *ad hoc.* Nec sanè exempla desunt, *ad* & *ob* sæpè locum commutâsse. Adeundus præter alios *Giphanius Indice Lucretiano in Vagor.* Nihilominus videntur mihi trajecta esse verba, & locus ita constituendus: *Insulam Veneri sacram, & ob hoc veteribus divitiis abundantem.* Inter antiqvissimas, inqvit *Casaubonus præfat. in Athenæum*, veterum librorum corruptelas, trajectiones sunt hujuscemodi. Jam olim Critici antiqvissimi, qvorum extant in *Homerum* & *Hippocratem* observationes, corruptos hoc vitii genere locos multos annotârunt. Sed & ætatis nostræ docti viri similia peccata in multis libris deprehenderunt. Vel unus ille Hercules Musarum, *Iosephus Scaliger* qvàm multa apud *Tibullum*,

Propertium & *Manilium* mirè perturbata pristino nitori hac ratione restituit. Florum nostrum qvin eadem infelicitas alicubi oppresserit, nullus dubito. Simili trajectione *Lipsius ad Taciti lib. III. Histor. c. 13.* eum sanat suprà *c. 5. §. 23.* Hîc certè dum meminit *veterum divitiarum*, alludere mihi videtur ad ἀναθήματα, sive ἀφιερώματα donaria, qvæ à regibus dicata *Veneri Cypriæ*, suspensa seu affixa erant tholis & parietibus & columnis templi, de qvâ superstitione gentilium peculiarem tractatum scripsit *Tomasinus*. Herodotus ἀναχείματα vocat sacra dona, res consecratas, dono dicatas Deo alicui. Sed hanc opinionem meam planè confirmat *Tacit. lib. II. Histor. c. 4.* ubi de *Tito* ad *Galbam* ituro, & auditâ morte ejus, cupidine adeundi visendiq; templum *Paphiæ Veneris* inclytum per indigenas advenasq; *Cyprum* regresso: *Titus spectatâ opulentiâ donisq; regum, quæq; alta lætum antiquitatibus Græcorum genus incerta vetustati affingit, de navigatione primùm consuluit.* Igitur haud indecens connexio est; insulam fuisse *Veneri sacram*, & ob hoc *veteribus divitiis* abundasse. Porrò injustitiam expeditionis in Cyprum notat *Cic. in Sext. c. 26. 27. & seq. & pro Domo cap. 8. & 20. 25.*

§. 3. *Sed divitiarum tanta erat fama*] Pulchra, si Diis placet, causa belli, qvæ etiam *Fimbriam* contra *Cyzicenos* stimulavit. *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 408.* & *Tarquinium Priscum* contra multos è Patribus. *Dio Cocc. in iisd. p. 572.* Adde *Joh. Antioch. in iisd. pag. 792. & 832. Ammian. lib. XXIX.*

*pag.*390. *Procop. in Arc. Hiſtor. p.* 20. de Verre cùm paſsim *Cic.* tum *in Verr. XI. c.* 19. *Verr. VII. c.* 7. *pro S. Roſcio c.* 2. Longè diverſus ab his *Conſtantius Chlorus*, apud *Ioh. Antiochen. in Exc. Peir. p.* 836. utpote qvi *contentus dignitate Auguſti, Italiæ atq; Africa adminiſtrandæ ſolicitudinem recuſavit, ac ſponte Galerio ceſſit. Felicitatem non in magnitudine imperii, ſed in quiete ac tranquillitate vitæ collocans, vir egregius, & præſtantiſſimæ civilitatis.* Porrò *Vellejus lib. II. c.* 45 ait: *Ptolomæum omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum.* At nemo Sapientum dubitare poteſt, qvin calumniis in caſſes perducta ſit præda. Ita ſolet in mundo. *Tuta res eſt paupertas, & audax. Quò* pertinet illud *Diodori Siculi lib. V. c.* 17. *Baleares ne bellis petantur, nihil cum auri argentiq; divitiis ſibi commune fore ſanciverunt.* Et illud *Tac. lib. XIV. Annal.* cap. 60: *Inde crebriqueſtus, nec occulti per vulgum, cui minor ſapientia, & ex mediocritate fortunæ pauciora pericula ſunt.* Unde temporibus Caligulæ partem ſuarum facultatum maximam de induſtriâ prodigebant, vel res illius monſtri venales iniqviſsimo pretio emebant, ut pauperiores facti, ſalvi eſſent, ſicut ſcribit *Dio. lib. LIX. p.* 754. At *nimiæ opes* (verbis *Curti lib. IV. c.* 11. §. 9.) *magnæ jacturæ locum faciunt.* Qvod intelligens *Iuvenalis* ſat. X. v. 25. ait:

------ *ſed nulla aconita bibuntur*
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Ex-

Exemplorum in hiſtoriis infinitus eſt numerus. Magnitudo pecuniæ ſubvertit *Q. Arbelium* apud *Plutarchum in Sullâ. Sext. Marium*, apud *Tacit. lib. VI. Annal. c.* 19. *Statilium Taurum* apud eundem *lib. XII. cap.* 59. multos *nobilium Gallorum* apud *Dionem lib. LIX. p.* 754. *Ptolomæum*, Jubæ filium, apud eundem d. l. *pag.* 758. multos *alios ſub Nerone*, rurſus apud *Tacitum lib. XVI. Ann. c.* 14. Eadem nocuit *Rutulis* apud *Livium lib. I. c.* 57. ubi videndus *Gruterus*; *Macedonibus* apud *Iuſtinum lib. XXV. c.* 1. §. 7. Sed ut omnibus flagitiis pulchra facies induitur; ita cùm *rapinæ* fiunt, ſæpè *neceſſitatis velo* earum turpitudo abſconditur. Ipſe Tacitus *neceſſitate armorum gravia atq; intoleranda* excuſat *lib. II. Hiſtor. c.* 84. Cui conſonare videtur illud Poplicolæ apud *Dionyſ. lib. V. c.* 64. *Neceſſitati impares ſunt humani ingenii vires*; & qvod ait *Livius lib. XXIII. c.* 35. *Quæ fortuna coegiſſet fieri, eandem cogere tueri factum.* Item illud *Senecæ lib. IX. Controv.* 4. *Neceſſitas magnum humanæ infelicitatis patrocinium.* Me verò Taciti, vel aliorum auctoritates non movent. Neq; enim ſi qvid naturâ probrum eſt, ſive ea ſcelera, qvæ jus naturæ violant, ulla neceſsitas excuſaverit. Qvid autem natura magis averſatur, qvàm injuſtitiam? qvid furtis, rapinis, extorſionibus, iniqvitatibus ſpecie juris exercitis, ſceleratius, Deoq; inviſius, magisve deteſtandum ullo pacto eſſe poteſt? Eandem neceſsitatem, cùm raptibus ſuis prætende-

derent *Scipio Metellus*, ejusq; socii, de iis rectè judicavit *Cæsar lib. III. de Bello civili*, honestâ præscriptione rem turpissimam texisse, *De Valentiniano I.* similis censura est *Ammiani Marcellini lib. XXX. Post procinctus Parthici clades magnitudine indigens impensarum, crudelitati cupiditatem opes congerendi miscebat, dissimulans scire quòd sint aliqua, quæ fieri non oportet, etiam si licet.*

AD CAPUT X.

§. 2.

Immanissimi gentium Galli atque Germani] Vocabulum hoc referendum tum ad animorum incredibilem audaciam, tum ad ingentem corporum magnitudinem; de qvâ *Freherus in Andloum lib. I. c.* 15. ubi qvod ait, *ingentes Rhenos* dici pro *Rhenanis*, explicat etiam *Salmas. ad Treb. p.* 328. adde *Cas. ad Svet. Tib. c.* 68. *Bernegg. ad Germaniam Taciti quæst.* 13.

§. 2. *Hoc sacramentum fuit, ne redirent*] Vide notam *ad lib. I. c.* 12. §. 8.

§. 3. *Sed petito tempore ad deliberandum*] Nota hîc stratagema, legationibus missis, & consultationibus institutis, morari & circumvenire hostes; de qvo *Forstnerus ad Tac. p.* 386.

§. 4. *Quippe pro libertate pugnantium*] De studio libertatis apud Germanos veteres *Tacit. in Germ. c.* 37. *Ioseph. lib. II. de Bello Iudaico cap.* 16. *Cyrillus lib. IV. contra Iulianum.* Facit huc illud *Po-*

lybii lib. XI. c. 11. *Alacrius multitudo liberarum civitatum bellica certamina capessere amat, quàm plebs aliqua urbana tyranno subdita.*

§. 4. *Rapto fugientis è manu scuto*] Idem *Polybius lib. XI c.* 12. valde commendatissimam constantiam & alacritatem in rebus dubiis. Exempla plura qvi desiderat, adeat de *C. Mario Sallustium in Iugurth. c.* 101. de *Arminio, Tac. lib. II. Annal. c.* 17. de *Antonio Primo* eundem *lib. III. Histor. c.* 17. de *Cereali* eundem *lib. IV. Histor. cap.* 77. de aliis, *Frontinum lib. II. Strat. c.* 8. cum qvo conferendus *Vegetius lib. III. de Re militari c.* 25. & è recentioribus *Gruterus disc. XV. in Tac.*

§. 7. *Absente Cæsare*] Vide notam ad *hujus libri cap.* 6. §. 6.

§. 8. *A Dolabellâ*] Hîc monendus es, *Florum sapissime recedere à narratione C. Iulii Cæsaris*, qvi ipse hoc bellum descripsit. Qvæ hîc tribuit *Dolabellæ*, Cæsar adscribit virtuti *Labieni*. Sic qvod scribit *Helvetios* non sufficientibus terris, venisse sedes petitum; nullo modo probabit, qvi legerit Cæsarem. Imò §. 5. è diametro adversatur Cæsari. Nihil etiam Cæsar eorum, qvæ de *Aquitanis* in speluncas sese recipientibus refert noster §. 6. Falsa deniq; qvæ de qverelis *Tenchterorum* adversus Germanos prodit §. 14. ut alia taceam.

§. 11. *Quæ Arioviſti superbia?*] Hæc jam illustravimus ad *Val. Max. lib. IX. cap.* 5. §. 2. & ad *Velleji lib. II. cap.* 101. Adde *Cic. Epist. 7. lib. III. ad*

Ap-

Appium; è qvâ cognoſces, Romanos in iſtis valdè fuiſſe ſolicitos.

§. 11. *Quis eſt autem Cæſar?*] Similis interrogatio *Igmazenis* apud *Ammian. lib. XXIX. pag.* 406. ad Theodoſium: *Cujus loci es tu? inquit; vel quid ácturus huc veniſti? reſponde. Quem Theodoſius fundatâ mente intuens torvum: Comes, ait, Valentiniani ſum, orbis terrarum domini, ad opprimendum latronem funereum miſſus: quem niſi ſtatim reddideris, ut invictus ſtatuit Imperator, peribis funditus cum gente, quam regis.*

§. 12. *Vt teſtamenta paſſim in principiis ſcriberentur*] De *Turcis* contra *Hiſpanicam* claſſem exeuntibus ſimilia ſcribit *Busbequius* initio *epiſt. IV.*

§. 12. *Eò magis gladiis ferroq; patuerunt*] Maximam corporis partem nudi erant Germani, ut præter Cæſarem ſcribit *Tacitus de Germ. c.* 17. *Seneca de Irâ lib. I. c.* 11. Dein arma ipſis erant parùm firma. Idem *Tac. lib.* II. *Annal. c.* 14. Ne miremur ergò victos à Romanis. Nimis enim exitioſum, objicere inermem probè armato. Qvò pertinet judicium *Vegetii lib.* I. *de Re Milit. c.* 20.

§. 16. *Quaſi hic Romanis orbis non ſufficeret, alterum cogitavit*] Sic Britanniam, velut *alium orbem terrarum* intravit Cæſar, de qvo *Eumen. Paneg. X. cap.* 11. Hoc autem minimè juſtum, qvic-

qvicqvid tandem in laudem Cæſaris dicat *Cic. pro M. Marcello. Quis Sapientum aliud quàm inſaniam dixerit, circumferre pericula, & ruere in ignotos; iratum ſine injuriâ, occurrentia devaſtare, ac ferarum more occidere, quem non oderis?* ut ait *Sen. lib. V. Natur. Quæſt. c.* 18. qvi & conſulendus *præfat. in lib.* III. *Natur. quæſtion. cum Boëth. lib.* IV. *de Conſolat. metr.* 4. *Agathiâ lib.* II. *p.* 30. *Bernegg. in Germ. Taciti q.* 2. *&* 187. *Grotio in Mari Libero c.* 4. Extat numus *Franciſci* I. Galliarum Regis, in qvo *duo globi*, alter cœleſtis, alter terreſtris, *cum coronâ* & inſcriptione: UNUS NON SUFFICIT ORBIS. qvem explicat *Luckius*, ſingulari animi præditum magnitudine, non unum duntaxat, qvem debellaret, ſibi orbem depoſcere. Sed liberemus qvæſo regem ſapientiſsimum doctiſsimumqve à culpâ ſtultæ ambitionis. Cùm alter *globus* ſit *cœleſtis*, indubiè id voluit, non ſufficere *Chriſtianis* hunc *terreſtrem*, nec æſtimari debere tam fragilia; ſed alterum *cœleſtem* potiùs *quærendum*. Qvod pientiſsimum fortaſſe repoſuit æmulo ſuo, cujus ambitioſum illud erat PLUS ULTRA, adſcriptum duabus columnis Herculis.

§. 17. *Niſi improbam claſſem*] An idem ſentit noſter, qvod *Albinovanus*.

------ Aliena quid æquora remis
Et ſacras violamus aquas, divúmq; quietas
Turbamus ſedes?

ut revera fuerit improba, qvæ alienum orbem qværendo, ipſum Oceanum violârit? an meliori

ſigni-

significatu *improbam* dixit pro *audaci*? Ita placet *Freinshemio in Indice*; nec repugnabo: qvòd videam, *Flori judicium* hujusmodi in causis *ambiguum* esse. vide *hujus libri c.* 12. §. 4. Freinshemio saltem jugendus erit *Salmas. ad Spart. Pescennium Nigrum*, & *ad Solin.* p. 368.

§. 17. *Castigâsset*] De hac ipsâ re *Valerius Flaccus* ad Vespasianum: *Oceanus Phrygios prius indignatus Iulos.* Similiter loqvuntur alii, ut notat *Dresemius in Iscani lib. I. de bello Trojano v.* 157.

§. 18. *Caledonias secutus in silvas*] Sicut in immensum fœcunda licentia vatum crescit, ita *Flori* nostri, qvi *Poëta fuit*. Certè nunqvam *Caledonias silvas* vidit Cæsar. *Plinii* ætate (ut ipse testatur) triginta propè annis à *Claudio*, Britanniæ notitiam non ultra vicinitatem Caledoniæ silvas Romana arma propagârunt. videndus *Camdenus in Britanniâ p.* 669.

§. 18. *E regibus Cavelanis invincula dedit*] Qvòd si ad historiam emendandum censebimus Florum, hîc qvoq; tum mutilum tum trajectum esse, non inviti fatebimur, atq; ita textum constituemus: *E regis Cassivelauni ducibus in vincula dedit.* Cæsar *Lugotorigem* ducem nobilem *Cassivelauni* cepit, ut ipse scribit *lib. V. de Bello Gallico c.* 22. Freinshemius cogitabat, *è regulis Cassivelauni*. Sed *regulum regis* pro *duce regis* dictum esse, num persvaderi sibi patiatur styli Floriani gnarus, valdè dubito. Eqvidem non adeò temerarius sum, ut putem ipsa Flori verba me reperisse, (nam manu-

manuscriptorum suffragio hîc opus est) vero simile tamen est, hoc, qvod dixi, dicere voluisse. *Cassivelauni* nomen variè scribitur à variis. Ut *Dionem* emendet *Freinshemius*, videbis apud ipsum *ad Curt. lib. IV. c.* 13. §. 36. Mihi videtur nihil aliud significare, qvàm *Cassiorum* dominum. *Cassios*, Britannorum nationem *Dobunis* ad ortum conterminos fuisse, ejus gentis historiarum conditores tradunt. *Velaunus* æqvipollet *Bellino* (unde *Cinobellinus* eorundem Britannorum rex) & ut evidentissimum, voculam *Bellin* è Chaldæâ Syriâq; omnium gentium vaginâ reliqvam esse, & planè eandem cum *Baal* & *Beel*; ita hîc *principem dominumq;* significare facilè constabit. Sic *Decebalus*, qvi cum Trajano bellum gessit, est Dacorum Princeps. Consulendus *Reinesius in tractatu de Deo Endovellico*.

§. 18. *E regibus Cavelanis*] Si ab hac omnium Palatinorum lectione nimis recessisse videbor religioso cuidam, neq; rectè fecisse, qvi ex *Cæsare Florum* emendandum susceperim, *à quo sæpiùs*, ut ipsi notavimus, *diversus est*; is sibi habeat lectionem manuscriptorum, & unicâ saltem literulâ insertâ legat: *E regibus Catuelanis*; ut sic novum & indictum Cæsari prodat noster, Lugotorigem illum fuisse regulum *Catuelanum*. *Catuellanos*, Britanniæ populus, nominat *Diolib. LX.* Κατελανὸς; *Ptolem. lib. II. c.* 6.

§. 19. *Contentus his: non enim provinciæ, sed nomini studebatur*] Similis locus occurrit

infra lib. III. c. 12. §. 4. Armenios etiam & Britannos, ut non in usum, ita ad imperii speciem magna nomina acquisivisse, pulchrum atq; decorum. Eâdem mente Corbulo apud *Tac. lib. XIII. Annal. c. 34. dignum magnitudine Populi Romani rebatur partæ olim à Lucullo Pompejoq; recipere.* Sic alii complures, verbis *Curtii lib. V. cap. 1. §. 8.* speciosa dictu, qvàm usu necessaria sequuntur. Sed vir bonus unicè probat, qvod monet *Augustinus lib. III. de Civ. Dei c. 14:* Satius esse, cujuslibet inertiæ pœnas luere, qvàm illorum armorum gloriam qværere.

§. 20. *Nomine etiam quasi ad terrorem composito*] Cùm sæpè vana plus possint in bello, qvàm veræ formidinis causæ; non adeò vanè iste *Vercingentorix.* Stilico apud *Claudianum* de bello Gildonico *v. 384:*

----- *Plus nominis horror,*
Quàm tuus ensis aget.

Et huc pertinet illud Ovidii:

Nomina sunt ipso pænè tremenda sono.

Nazarius Paneg. VII. cap. 18: Quid memorem Bructeros? quid Chamavos? quid Cheruscos? Vangionas, Alamannos, Tubantes? Bellicum strepunt nomina, & immanitas Barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem. Adde *Gruter. discursu VII. in Tacit.*

§. 21. *Ille festis diebus & comitialibus*] Vide notam *ad Val. lib. IX. c. 7. ex. 6 ext.*

§. 22. *Std*

§. 22. *Sed ille qualis erat, ad nuncium rei felicissimâ temeritate per invios saltus*] Ita fortasse legendum: *Qualis erat*, id est, sicut erat. *Ovid. lib. III. Met. v. 179. Sicut erant nudæ, &c. Claudianus Paneg. in III. Consul.* Honorii:

----- *nec plura locutus,*
Sicut erat, *liquido signavit tramite nubes.*

Vult, nisi fallor, eundem ardorem animi in vindictam hostium festinantis describere, qvalem in Semiramide *Val. Max. lib. IX. c. 3. ex. 4.* qvæ, qvalis erat, ad nuncium defectionis Babylonem advolavit. Verba scriptoris sunt: *Cùm ei circa cultum capitis sui occupatæ nunciatum esset, Babylonem defecisse, alterâ parte crinium adhuc solutâ, protenus ad eam expugnandam cucurrit, &c.* Ceterùm hunc locum felicissimè restituit *Gronov. ad Liv. lib. XXXIIX. c. 17. sub f.* legens: *Sed ille, qualis erat ad nuntium (res felicissimæ temeritatis!)*

§. 22. *Ante in mediâ Galliâ fuit*] Ita *Justinus lib. XI. cap. 2. §. 10. Himerius apud Photium de Alexandro Magno.*

§. 23. *Alexiam*] De hac urbe *Casaubonus ad Strab. lib. IV. pag. 9. lit. D.* & de toto Flori loco *Voss. ad Vellej. lib. II. c. 47.* ubi notat errorem nostri, qvi circa *Gergoviam* totam belli molem fuisse scribit, cùm fuerit circa *Alexiam*, secundum Vellejum, & alios omnes.

§. 26. *Habes: Fortem virum vir fortissi-*

 mè

*me victi*ſ*ti*] Malim legere: *habet*, id eſt, victus eſt vir fortis. Nam ut docet *Caſaubonus ad Ariſtippum* Diogenis, *Habeo* Latinis non eſt νικῶ, ſed νικᾶμαι, ſumpto loqvendi genere à gladiatoribus. Terent: *Continùo egomet mecum, certè captus eſt, habet.* Hæc Caſaubonus. *Seneca* in Tragœd: *Habet, peractum eſt; quas petis, pœnas dedit.* Idem: *Habet, peractum eſt; fata ſe noſtra explicant.* Erecta porrò verba in victo! qvalia etiam ad Claudium uſurpavit *Caractacus apud Tac. lib. XII. c. 36.* contra qvàm *Perſes* ad *Æmilium Paullum*, qvem obid victor increpat apud Plutarchum: *Quid verò non præbendo te generoſum nec dignum Populo Romano adverſarium victoriam maculas meam, & palmam elevas? Virtus magnam conciliat vel apud hoſtes reverentiam afflictis: ignavia apud Romanos etiam fauſtis rebus prorſus contempta.*

NOTÆ AD CAP. XI.

§. 2.

NEc *de fortunâ queri poſſumus*] Ut aliàs mortales ſolent. Hanc enim ferè proſcindimus, qvoties noſtræ levitati perfidiæqꝫ ſtigma inurendum eſt. *Brunn. lib. XV. p.* 1010.

§. 2. *Adverſis & Diis & hominibus*] Non meliore Numinum favore legimus in eosdem *Parthos* iviſſe *Cæſennium Paetum* apud *Tac. lib. XV. Annal. c.* 7. & 8.

§. 4. *Percuſſorum cum Pompejo fœderum Syllâqꝫ*]

Syllâqꝫ] Legatorum Parthicorum ad Sullam meminit *Vellejus lib. II. c.* 24.

§. 5. *Nihil, ne imaginario quidem jure*] Qvo facto Craſſus barbaros omnes longè ſuperavit. Vix enim unqvam qvisqvam tam barbarus, tamqꝫ profligatæ improbitatis fuerit, qvi aliena invadens non aliqvam ſuo facto juris ſpeciem prætexat; ut *Brennus* ille apud *Plutarchum in Camillo*, cùm aliena invaderet, in eo *naturæ legem antiquiſſimam* dicebat ſe ſuosqꝫ ſeqvi, ut nimirum validioribus ſubderentur infirmiores. Sic nec *Annibali* defuere prætextus, cùm *Saguntum* oppugnaret, apud *Polyb. lib. III. c.* 15. Græci vocant προφάσεις, de qvibus plura cognitu digna *H. Grotius notis in lib. II. de I. B. ac P. c.* 22. §. 1. Craſſo verò per omnia ſimiles *Ætoli*, de qvibus idem *Polyb. lib. IV. c.* 16. ſubitò atqꝫ audacter *Meſſeniorum* agros in cursâſſe; neqꝫ aut illius amicitiæ atqꝫ ſocietatis, qvæ à longo tempore ipſis intercedebat cum *Meſſeniis*; aut communis juris, in qvod gentes omnes conſenſêre, rationem habuiſſe vel minimam, jura omnia avaritiæ ſuæ poſtponentes. Qvæ cùm ita ſint, nihil miremur, *iniquitatem Craſſi undecim ſtrage legionum & ipſius capite multatam eſſe.* Etenim fieri neqvit, neqvit, inqvam, fieri, ut qvi violentiâ & injuſtitiâ utuntur, decus pugnâdo pariant; ſed *prout vita cuiqꝫ eſt, ita ei obtingit belli fortuna*; ut ait *Totilas* apud *Procopium*; cujus locum cum aliis compluribus affert ſuprà laudatus

Grotius notis in prolegomena libb. suorum de I.B. ac P. ad illa verba: *Iustitiæ conscientia*: cum quo velim conferas *Agathiam lib. II. p. 30. & inprimis p. 39. & 40. & lib. III. p. 72. Diod. Siculum lib. XXI. cap. 1.* & recentioribus *Gruterum disc. LIII. in Tac.* Hinc & ê Romani ceteri id maximè studebant, ne quod bellum sine justâ causâ susciperent, ut docet idem *Grot. not. ad lib. II. de I.B. ac P. c. 1. §. 1.* quod ipsum fecit *Augustus* teste *Sveton. in Aug. c. 20.* Nempè altè demiserunt in animum illud *Camilli* sui veteris & alterius Romuli apud *Livium lib. V. cap. 27. Sunt & belli, sicut pacis jura: justeq; ea non minus quàm fortiter gerere decet.*

§. 5. *Seleuciæ se responsurum*] Vide notam *in Val. Max. lib. III. c. 7. §. 1.*

§. 6. *Dii fœderum ultores*] Tiberius apud *Tac. lib. I. Ann.* cap. 73: *Deorum injurias Diis cura.* Quam ipsam sententiam expressit Imp. *l. 2. C. de reb. cred. Iurisjurandi contempta religio satis DEum ultorem habet.* Fœderum ruptoribus eadem numina, eadem fata expectanda, quæ expertus olim *Sacrovir*, quæ *Vindex*, de quibus *Tac. lib. IV. Hist. c. 57.* quæ *Vladislaus* Hungariæ Rex apud *Bonfin. dec. III. lib. 6. Chalcondylam lib. VII.* & alios.

§. 7. *Simulato transfugæ cuidam creditur*] Vide notam *ad lib. I. cap. 7. §. 6. Freinshem. ad Curtii lib. V. cap. 4. §. 19.* ubi pluribus docet, quàm periculosum sit hoc genus ducibus fidem habere. Adde *Brunn. lib. XIII. p. 563.*

§. 9. *Ipse in colloquium sollicitatus*] Ita circumvenire voluit *Tiridates Corbulonem* apud *Tac. lib. XIII. Annal. c. 38.* Adde notam *ad lib. II. c. 2. §. 11.*

§. 10. *Quo quemq; rapuit fuga*] Ut solet in rebus afflictis & sublato duce. *Curt. lib. V. c. 13. §. 18. Barbari ducibus destituti, quà quemq; aut spes ducebat aut pavor, dissipabantur. Ammianus Marcell. lib. XIIX. Ut in rebus afflictis, ambigentes cuinam deberet aut posset occurri, trudente pondere plebis immensæ, passim quà cuiq; proximum videbatur, diffundimur.*

§. 11. *Aurum liquidum in rictum oris infusum est*] Alio modo A. C. 1303. ultus est *VVenceslaus*, Bohemorum Rex. Ei non aliâ ex causâ bellum intulerat *Albertus* Imp. quàm quòd inhiaret metallorum decimis; & quamvis Imperatoria jura obtenderet, nemo agnoscebat, ridebaturque sagacitas Germanicæ paupertatis, odorantis tam longinquas opes. Igitur *VVenceslaus* rex purgamenta æris argentiq; scoriam passim in aquas sparsit, quibus sordibus acre virus ineat, & inprimis noxium. Id potu à Cæsarianis militibus deprehensum est, omnibus, quibus aquari inde contigit, mortem bibentibus; qui pestem vitârunt, gloriæ juxta spoliorum q; inopes in patriam rediere. *Brunn. lib. XV. p. 995. & 996.*

AD CAPUT XII.

§. 2.

Dum sincera adhuc & innoxia pastoriæ illius sectæ integritas] Vide notam *ad Vell. Patercul. lib. I. cap. 7. §. 1.* & adde versus *Senecæ* in Hippolyto:

Non alia magis est libera & vitio carens
Ritusq; melius vita quæ priscos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus silvas amat.

Et mox: *Nec scelera populos inter atq; urbes sita*
Novit, -----

§. 2. *Pœnorum hostium imminens metus*] *Dionysius* Halicarnassæus lib. VIII. cap. 96: *Itacertè in omnibus locis tam Græcarum quàm barbararum gentium usu venit, ut cessantibus externis periculis, intestinæ domi seditiones exoriantur; sed maximè id accidit in populis bellicæ arumnosæq; vitæ assuetis, partim libertatis, partim imperii desiderio. Ægrè namq; continere se possunt ingenia cupiditatibus assuefacta, si prohibeantur à consuetis exercitiis: & ideò prudentes Reipubl. præsides semper alunt aliqua externorum bellorum seminaria; satiùs ducentes, foris conflictari, quàm domi.* Atqve hinc profluxit tum aliorum, tum *Forstneri* sententia, de qvâ diximus ad *Prologi* §. 1. Sed ad hæc tempora Reipublicæ Romanæ Dionysii locus ita trahi non potest, ut credimus solùm bellicis artibus fuisse imbutam. Veras causas infelicitatis Romanæ mox aperiet noster.

§. 6. *Ac nescio, an satius fuerit Populo Romano*] Eodem planè modo *Seneca lib. V. Natur. Quæst.* cap. 18. de ambitiosis navigationibus: *Ergò non immeritò quis dixerit, rerum naturam melius æstuaram fuisse nobiscum, si ventos flare vetuisset, & inhibito discursu furentium, in suâ quemque terrâ stare jussisset.*

§. 6. *Quàm eò magnitudinis crescere, ut viribus suis conficeretur*] Ita *Livius in præfat.* de Româ: *Ab exiguis profecta initiis eò crevit, ut jam magnitudine laboret suâ.* Et mox: *Iampridem prævalentis populi vires se ipsæ conficiunt.* Pater Ditis apud *Petronium in carmine de bello Civili*, ad Fortunam:

Ecqüid Romano sentis te pondere victam?
Nec posse ulteriùs perituram extollere molem?
Ipsa suas vires odit Romana juventus
Et quas struxit opes, malè sustinet. -----

Nimirum ut corpus obesum tandem sustineri non potest; ita nec magnitudo imperii à regentibus; inprimis ubi penes multos est potestas. Huc pertinet illud prudentissimum *Agathiæ lib. I. p. 8. Fit ferè, ut ubi magni sunt proceres, æqualis aut dubia inter se potentia; ibi etiam animi elatiores inflatioresq; evadant, & ambitiosæ æmulationes, & de primo honoris gradu contentiones, aliiq; innumeri affectus tumul-*

multibus & seditionibus gignendis aptissimi suboriantur.

§. 7. *Quæ enim res alia furores civiles peperit, quàm nimia felicitas*] Hæc igitur prima causa, NIMIA FELICITAS, qvæ patefacere solet vitiis locum, & ex hac, tanqvam parente, nascuntur ceteræ omnes. vide *notam ad lib.* II. *c.* 19. §. 1.

§. 7. *Illæ opes atq; divitiæ afflixêre seculi mores*] Prima soboles nimiæ felicitatis divitiæ: hinc maxima virtutis ruina. *Claudianus lib. III. de raptu* Proserpinæ:

----- *Humanas oblimat copia mentes.*

Euripides in Plisthene:

Πολλῶν τὰ χρήματ' αὐτὴ ἀνθρώποις κακῶν
Opes malorum causa multorum fuit.

Iuvenalis sat. VI. v. 297:

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit & turpi fregerunt secula luxu
Divitiæ molles.

Capitolinus in Macrino pag. 95: *Erat Mæsa ipsa ditissima, ex quo etiam Heliogabalus luxuriosissimus.* Adde *Livium* in dictâ præfatione, *Arist. lib. IV. Polit. c.* 11.

§. 7. *Mersamq; vitiis suis, quasi sentinâ, Rempubl. pessum dedere*] Simili formâ *B. Aug. lib. I. de Civit. Dei c.* 9. dicit *gurgitem flagitiorum*, & alibi, *fluxum consvetudinis*, item, *fluxum seculorum turbulentum.*

§. 8. Ni

§. 8. *Nisi per famem, quam luxu fecerat*] A divitiis luxus, à luxu fames. De priori *Lucanus* lib. I:

Namq; ut opes nimias mundo fortuna subacto
Intulit, & rebus mores cessêre secundis,
Prædaq; & hostiles luxum svasêre rapinæ.

Et confirmat exemplum *Vandalorum* apud *Procopium lib.* II. Belli Vandalici: *Quàm diu Africam tenuerunt provinciam opulentam, mensa quotidiè copiosa & rerum omnium quas fert regio, referta fuit. Gestabant vestem Medicam ac sumptuosam, quam sericam vocant. In theatris & hippodromis, ac reliquis oblectamentis, præsertim in venationibus continuò versabantur: saltatores & mimos spectabant; acroamatis & musicis instrumentis aures demulcebant. Eorum plerique in hortis, aquâ & arboribus amœnis degebant, symposia conviviaq; celebrabant: In Venerem deniq; profusi erant.* Posterius, *luxum fecisse famem*, sæpè inculcat *Sallustius in Catilin. vide cap.* 13. & 14. Hinc pleraq; nobilitas Romana coacta se locare ad gladium aut cultrum. *Seneca* ep. 99: *Aspice illos juvenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria projecit.* Et qvid multis de re per experientiam qvotidianam vulgò notissimâ? cujus hinc illud proverbium est: Zu sehr naschen / macht leere Taschen. Aus einem Schlecker wird ein armer Lecker.

§. 9. *Nisi ex avaritiâ*] Hæc altera divitiarum soboles. Nam ut ait *Seneca lib.* II. *de Benefic.*

c. 37.

c.27. *Multò concitatior est avaritia, in magnarum opum congestu collocata.* Cum qvo convenit illud *Drepanii Pan. XII. cap. 25. Nunquam copiam satietas sequitur: crescit indies habendi fames, & parandi rabies parta irritat. Vt agrorum sitim potus accendit, ut ignis arentibus non obruitur, sed augetur; ita coacta divitiæ aviditatem jejunæ mentis acuunt.* Qvi verò sint fructus avaritiæ, multis nos docet idem *Sallustius.* Noster scribit, fecisse, *ut vectigalia Reipublicæ atq; ipsa judicia in quæstu haberentur.* Vectigalium, ut paucis dicam, hæc fuit ratio: *Publicani* tum ea, tum alios reditus populi Romani, exteris nationibus imperatos, nec non ultrò tributa, qvæstus sui causâ constituto pretio exigenda redimebant, vel à fisco conducebant. Hi publicani, cùm sui commodi ex publicis incommodis negotium agerent, factum est, ut eos Judæi *peccatores κατ' ἐξοχὴν* dicerent. Videndus *VVaserus lib. I. de Antiquis Numis Hebræorum. cap.* 18. De judiciis hæc scias: C. *Gracchum Equitibus potestatem permisisse, ut de civibus Romanis atq; Italicis, & Senatoribus ipsis judicarent. Hi factâ cum Tribunis plebis hisce conspiratione, cùm in comitiis adessent, atq; ab iis, quæ vellent, omnia obtinerent, maximum Senatoribus ipsis terrorem incutiebant, brevíq; apparebat, ut universæ Reipublicæ ratio perverteretur; cùm Senatus dignitate solâ, Equester ordo potentiâ opibusq; præstaret.* Qvæ sunt *Appiani* verba, qvi & de superbiâ & avaritiâ Eqvitum in judicando multa adjicit. Hæc judicia Senatui posteà restituit *Q. Servilius*

lius Cæpio is, qvi cum *Cimbris* posteà malè pugnavit; ut scribunt *Cicero lib. II. de Oratore, & in Bruto, Cassiodorus, & Julius Obsequens cap.* 101. Tangit & *Cor. Tacitus lib. XII. Ann. c.* 60. Unde restituenda *Inscriptio Veronensis:*

Q. SERVILIO. CÆPIONI. COS. PONT. TRIUMPHALI. PATRIÆ. LIBER. DECUR.
VERONEN. OB. JUD. RESTITUTA
M. S.

Apud *Gruterum* legas: Q SERVIL. CN. F. CÆPIONI. COS. CENS. TRIUMPH. Qvam emendationem absurdissimam debemus *Onuphrio & Manutio.* Nos historiam secuti, & eos, qvi primum descripsêre lapidem, judicium deniq; *V. C. Thomæ Reinesii*, qvi primus observavit, non pertinere ad Q. Servilium, Cn. F. hoc est, ad Q. Servilii devicti à Cimbris parentem; verissimam lectionem arbitramur, qvam exhibuimus.

§. 10. *Nisi ex abundantiâ familiarum*] Erat enim numerus servorum bellicosis nationibus major, ut loqvitur Seneca *lib. VII. de Benef. c.* 10. Adde *Lipsium lib. II. de Magnitud. Rom. c.* 15. *& ad Tac. lib. III. Ann. c.* 53.

§. 10. *Nisi ad conciliandum plebis favorem*] Loqvitur hic de profusione in ludos; sed & aliæ complures fuerunt apud Romanos, qvas exagitat *Cic. lib. II. Officior. Sallust. in Catil. c.* 37. Meritò! Nam illos ipsos destruebant, pessundabant, evertebant, qvi populi favorem mercabantur, (Siqvidem

dem in hostales pulchrè qvadrat illud, qvod *Sophoclis* pastores de gregibus suis dicunt:

Servimus his, qui jure nobis subjacent,
Ac mos gerendus his sit & tacentibus.

Vide Plut. in pr. vitarum *Agidis* & *Cleomenis*) & ipsam Populi Romani libertatem finiebant. *Tacit. lib. I. Annal. c. 2.* Iisdem largitionibus usum *Ioh. Medicem* in dominatu *Florentiæ* arripiendo, narrat prolixè *Mich. Brutus lib. I. Hist. Flor.*

§. 10. *Quum spectaculis indulget, supplicia quondam hostium artem facit*] Qvæ huc faciunt, contulimus ad *Val. Max. lib. II. c. 4.*

§. 11. *Iam speciosiora vitia tangamus*] Aptissimo vocabulo usurpat *speciosiora vitia*, qvæ propius virtutem erant: qvod ipsum de ambitione censet *Sallust. in Catil. c. 11.* cujus locum cùm in animo habuisse videatur *Florus*, qvi & *alia* sublegit è *Sallustio*, dubito num accedendum sit viro docto, qvi legit; *speciosiora ulcera*. Porrò huc pertinet, qvod scribit *D. Basilius in Asceticis*: Ἀγχίσυγοι εἰσὶ κακίαι τοῖς ἀρετοῖς. *Galenus*: ἡ ἀρετὴ γειτνιᾷ τῇ κακίᾳ. *Seneca* epist. 104: *Sunt virtutibus vitia confinia. Quinct. lib. II. Inst. c. 12. Perditis quoq; ac turpibus recti similitudo est.*

§. 11. *Ambitus honorum*] De qvo *Casaub. ad Svetonii Cæsar. c. 19.* Malum acre, cui acriter resistendum à bono custode legum. *Piccart. dec. II c. 4. Bernegg. ad Svet. Aug. c. 25. §. 4. lit. q.* Hodiè in *Galliâ* nimium qvantum dominatur. *Euphormio in Icone Animorum* cap. 3: *Magnitudinem animorum*

rum Gallicorum nullibi efficaciùs videas, quàm in ambitu Magistratuum; à quibus pervicax licitatio jam diu egentium virtutes exclusit, & qvæ porrò ibid. seqvuntur. Adde *Mamert. Paneg. XI. c. 19.*

§. 12. *Magnificus apparatus conviviorum*] Hic Germaniæ morbus est, præsertim in aulis, splendidè luxuriare & opiparè vivere. Siqvidem plurima illorum sumptuum pars, qvæ aliàs juvandis & provehendis bonis artibus dedita fuit, funesto sacrilegio gulæ impenditur: ut nihil eximium magis habeatur qvàm dies noctesq; ita potando continuare, ut crapulam hesternæ inundationis sæpè nondum decoxeris, dum seqventis diei finem hesperus fecit: deinde pulchrum videtur ita hanc retexere telam qvam heri reliqveras: de qvibus ita *Caspar Bruschius*:

Scilicet hæc aulæ vita est: vix nocte fugatâ
Sole novo genio indulgere, gulæq; voraci;
Hinc jentacula sunt, mox prandia, deinde merendæ,
Tandem cœna venit, nocturnus & insuper haustus.

AD CAPUT XIII.

§. 1.

SPecie plebis tuendæ] *Sallustius* in Catil. c. 38: *Quicunq; Rem publicam agita vêre honestis nominibus, alii, sicuti jura populi defenderent, pars, quò Senati auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro suâ quisq; potentiâ certabant.* Ad qvem

locum notavi plura de hujusmodi ἀφορμαῖς sive χάρμασι λίγυ καὶ προφάσμασι, ut prætextus nominat *Thucydides lib.* I. & alibi. Est verò si credimus *Ciceri lib.* I. *de Offic.* totius injustitiæ nulla capitalior, qvàm cùm ii qvi maximè fallunt, id tamen agunt, ut boni viri esse videantur. Hujus notæ *Nero* fuit apud *Tac. lib.* XIV. *Annal. c.* 59. Cùm enim *Plautum* & *Sullam* interfecisset, scripsit ad Senatum, *utriusq; turbidum ingenium fuisse, & sibi incolumitatem Reipubl. magnâ curâ haberi.*

§. 1. *Cujus in auxilium comparata est*] Erat sacrosancta & à nullo in ordinem cogenda, adeò ut eà præditum etiam interfari nefas haberetur, ut docet *Plinius lib.* I. *epist. ad Pompejum Falconem* 23. Cicero in eà *pro Sextio* notat eam esse sanctitatem tribunatus, ut non modò contra vim & ferrum, sed etiam contra verba & interfationem legibus sacratis sint armati. Hinc ista insolentia, & universis optimatibus insultandi libido. Ceterùm non *Vibius Pompejo*, non *Serapio Scipioni Nasicæ*, non aliis alii, de qvibus *Val. Max. lib.* IX. *c.* 14. tam similes fuerunt, qvàm istis tribunis Reverendi, si Christo placet, Patres, postqvam Ecclesia de statu sanctitatis & integritatis præcipita est. Nimirum qvod Poëtis accidit, ut cùm olim fuissent temperantiæ studiosissimi, (vide *Casaub. ad Athen. lib.* I. *c.* 12.) nunc omnium bibonum sint strenuissimi; hoc ipsum de Clero Pontificio pronunciare possumus; supra omnes intumescere cœpisse, qvos unqvam pestilentissima lues sideravit ambitio-

bitionis, qvem à Christo recentem, ab humanitate, mansvetudine, humilitate, obedientiâ erga superiores, liberalitate, ac communicatione rerum omnium, lauda tum ac descriptum accepim⁹. Tribuni, ut scribit noster, prætexendo jura populi, re ipsâ dominationem sibi qvæsivêre. Ita Clerus fallaci pietatis specie, & Christiani nominis prætextu, Principes, Reges, Imperatores ad sua flagra deduxit: cùm alii præ simplicitate, alii præ magnitudine zeli inconsulti, facilè se illius potestati permitterent. Vide *Bernegg. in Tubâ Pacis p.* 184. Qvò referendum sophisma colligendi pecunias, *tanquam subsidium adversus Turcas*, qvæ deinceps ad Pontificalem curiam redundârunt. E Tribunis Romanis *Clodius*, ut eò feliciùs Romæ grassaretur, *Catonem* honorificentissimo expeditionis Cypriæ titulo, qvasi à Republicâ relegavit, teste *Vellejo lib. II. c.* 45. Ita sacri isti Tribuni non semel Imperatores Romano-Germanicos ad remotas Orbis partes *in Palæstinam* contra Turcas ac Saracenos, specioſissimo religionis asserendæ titulo, in exilium qvasi transmiserunt, ut ipsi interim suas artes domi liberè citraq; ullius contradictionem exercere possent. Consulendus idem *Bernegg. d. l. p.* 152. In Republ. Romanâ res novas molituri Tribunos plebis partibus suis adjungebant. Sic enim Eqvites, cùm potestatem de civibus Romanis atq; Italicis & Senatoribus ipsis judicandi affectarent, vel relictâ Senatui solâ dignitate, universam Reipublicæ rationem pervertere cogitarent,

cum Tribunis plebis conſpiratione factâ, in comitiis aderant, & ab iis qvæ volebant, omnia impetrabant; ut auctor eſt *Appianus*. Sic *Cæſar*, multa jam conſilia & ſtudia Optimatibus inimica volvens, fovit priùs Tribunos. *Sveton. in Cæſare c.* 5. 11, 12, 16. 23. 26. & inprimis *c.* 29. ubi C. *Curionem*, violentiſsimum Tribunorum, ingenti mercede defenſorem ſibi parâſſe ſcribitur. *Plutarchus* & *Appianus* auctores ſunt, Curionem ære alieno, qvod erat ſexcenties HS. hoc eſt, decies qvinqvies centena millia Philippicûm, liberâſſe. Eodem modo qvi plus qvàm civilia agitabant, *Flaminum* favorem ante omnia aucupari ſolebant; qvale exemplum occurrit apud *Fazellum* & *Hugonem Falcandum*, hiſtoriæ Siculæ ſcriptores. *Gvilielmus*, qvi poſteà *Mali* cognomen adeptus eſt, Siciliæ, Apuliæ, Calabriæ rex, Majonem qvendam primùm ab epiſtolis habuit, indè per gradus magnum regni Nomotheram, & poſtea Admiratum. Hic ſummâ regni adipiſcendi libidine accenſus, qvò faciliùs voto potiretur, *Hugonem, Panormitanum Archiepiſcopum*, apud regem, apud Proceres & plebem, variis artibus potentem, conſiliorum ſocium adſciſcere ſtatuit. Alterum conſilium erat, *Sacerdotes beneficiis, milites Italos, Longobardos, Francos, donis, populum largitione & per ſpeciem clementiæ allicere*; qvosdam pecuniâ aut gratiâ juvare. Nimirùm ut Tribunis nemo valentior apud plebem; ita nec alius hierophantis, qvos vulgus mi-

miratur & adſtat, & perpetuos convictores habere in parte beatitudinis numerat. Nam qvod veteres dixêre, *jus cantorum & Poëtarum proprium eſſe, ut ſacrificent ſine fumo*, hoc eſt, libenter epulenter ſine ſuo ſumptu; alludentes ad ævi ſui conſvetudinem, qvo rem ſacram convivium opiparum ſeqvebatur; id de hoc genere hominum uſurpari meritò poteſt. Unde qvi plebis obſeqvium volet, neceſſe eſt primùm ſibi devinciat iſtos plebis perpetuos aſſeclas, καὶ κοινοβίτας καὶ ὁμοκάπτους. Nolo plura: ſed id moneo, patriæ ſuæqve libertatis ſtudioſum, ut in animum ſeriò demittat iſtud *Polybii lib. I. c.* 35. *Cùm duæ univerſis mortalibus propoſitæ ſint ad proficiendum rationes, per proprios caſus, & per alienos; evidentiorem quidem illam eſſe, quæ per propria ducat infortunia; at tutiorem illam, quæ per aliena.* Igitur majorum noſtrorum conditione miſerrimâ cautior factus, nunqvam circumduci ſe patietur, ſed contra ſervitutem omnium triſtiſsimam vigilandum ſibi ducet; qvod fiet, non in tantum evehendo, ut exerceri poſsit illud Homericum *Iliad.* ζ.

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.
Semper excellere aliisq; præſtantiorem eſſe.

Qvod potuit unqvam, ſemper accidere poteſt; & alii qvidem ſuccedunt homines, nunqvam alii mores, ſi credimus *Tac. lib. II. Hiſt. cap.* 95. §. 5. Ab ævo condito ſic fuit, ut ſacrata poteſtas inſolentes faceret, ſi fide noſtrâ dignamur *Euripidem*, cujus in

Iphigen. act. 2. verba sunt: Τὸ ἱερὸν πᾶν σπέρμα φιλόπολιν. *Omne sacrum genus ambitiosum esse.* Qvod pulchrè confirmant verba *Thegani*, ubi de *Ludovici Pii*, optimi Principis, exauctoratione, cujus antesignanus fuit *Ibo Remensis* Episcopus: *Vt ex vilissimis servis summi Pontifices fierent, Ludovicus non prohibuit; quod tamen maximum est malum. Postquam enim tales culmen accipiunt, nunquam sunt, sicut anteà, tam mansveti, & sic domestici, ut non statim incipiant esse iracundi, rixosi, maliloqui, obstinati, injuriosi, & minas omnibus subjectis intentantes.* Qvilocus cum totâ historiâ de *Ludovico*, qvem isti nebulones coram *filio Lothario*, & universâ plebe *prostratum coëgerunt ad altare confiteri*, indignè præfuisse officio, Ecclesiæ fuisse scandalo, & qvæ alia schedio comprehensa habebantur; ac dein adhibitâ ingenti custodiâ in tenebras detruserunt, benè notandus est; ut intelligamus, qvid non audeant homunciones effossi è cœno. Nec desunt alia qvàm plura hujus commatis, ut illis seculis clerus tantùm non repræsentâsse videatur *Sacerdotum Æthiopum* consvetudinem; de qvibus *Diodor. Sicul. lib. III. Bibliothecæ c. 6. Qui in Meroë Deûm cultus & honores administrant, quandocunq; ipsis in mentem venit, misso ad regem nuncio, vitâ jubent abdicare illum jubent. Oraculis enim Deûm hoc edici: nec fas esse ab ullo mortalium, quod Dii Immortales jusserint, contemni. Alias quoq; rationes adjiciunt,*

quas ingenium simplex, falsâ religionis opinione obtusum, & perpetuo mori assvefactum facilè admittit. Qvantum ab istis abiit nox Papalium temporum? Et sic apud plerasq; nationes πᾶν ἱερὸν σπέρμα Regibus & Principibus formidandum evasisse legimus, ut *Pharisæos* Judęorum regibus. Scribit enim *Josephus lib. XIII. Antiquitat. cap. 23. & 24.* Alexandrum moriturum *Alexandræ* conjugi svasisse, *ut Pharisæos, quorum seditionibus ipse exagitatus fuisset maximè, ex infensis benevolos sibi quacunq; ratione efficeret, eisq; corpus suum traderet pro arbitrio seu funerandum honestè, seu projiciendum cum dedecore.*

§. 2. *Ne populus gentium victor, orbisq; possessor, extorris aris ac foris ageret*] Vide discursum *Cunæi lib. I. de Republ. Hebr. c. 3.*

§. 3. *Vivere ex ærario suo*] Sed frumento publico, qvod ex ærario coëmebatur, plebem fuisse corruptam, judicat *Sallust. in Orat. I. de Rep. ord.* Hinc agriculturæ neglectus & otiosorum multitudo: unde non pauciora mala redundant in Rempubl. *Bernegg. in Germ. Tac. q. 62.* Augustus certè ob eam causam impetum cepit, omnem frumentationem tollendi. *Casaub. ad Svet. Aug. cap. 42.*

§. 3. *Quid ad jus libertatis æquandæ*] Non video, qvomodo efficax ad jus libertatis æqvandæ dici possit *regnum judiciorum*; siqvipem Romanè loqvitur & ex historiâ. Reverà enim *regnum erat istorum equitum*, hoc est, summa

vis, summa injustitia. Cogitur ipse *Cicero Verr. V. c.* 41. fateri; qvamvis valdè deprimat Senatoria judicia, *Verr. II. cap.* 23. Efficaciùs ad libertatem æqvandam ii, qvi judicia cum utroq; ordine, Senatorio & Eqvestri, communicârunt, ut neutra pars præponderaret.

§. 4. *Sed hæc ipsa in perniciem redibant*] Qvid mirum, malè cadere per dolum lata? Idenim fatetur noster §. 1. cùm etiam bono consilio suscepta nonnunqvam tristis exitus maneat. Vide *Piccart. dec. I. cap.* 10.

§. 4. *Vectigalia, id est, imperii patrimonium*] Prudenter! Reditus sunt imperii patrimonium; sed videndum, ne contra honestatem intendantur. Qvâ de re dixi *ad Vell lib. II. cap.* 22. *notâ* 4. Posterioris ævi Principes fuerunt admirabiles in remittendis vectigalibus & tributis. *Nero* cogitabat de abolendis vectigalibus aliisq; exactionibus; sed impetus ejus retentus est à Senatu, qvi docebat dissolutionem Imperii, si fructus, qvibus Respublica sustineretur, abolerentur. Obtinuit tamen abolitio qvadragesimæ, qvinqvagesimæq;, & qvæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant, sicut scribit *Tacit. lib. XIII. Annal. cap.* 50. *&* 51. Cui tamen obstare videtur numus *Galbæ* elegantissimus, qvem *Casaubonus* deprompsit ad *Svetonii Galbam c.* 15. in qvo legimus, qvadragesimam ab eo remissam: ut proinde constet, nec ad finem Neronis durâsse illam abolitio-

litionem. De *Tito Vespasiano* vide *Svet. in ejus vitâ c.* 7. §. 10. *Trajanus* hujusdem laudis particeps, de qvo *Plinius in Paneg.* cap. 40: *Vetuisti exigi, qvod deberi non tuo sæculo cæperat.* Ubi *Lipsius* eandem virtutem è numis transcribit *Hadriano*. Sic enim in iis legimus. RELIQVA VETERA. HS. NOVIES. MILL. ABOLITA. qvos ad Hadrianum pertinere docet Inscriptio, qvam hîc citat *Freinshemius*. Ea remissio, ut ait *Lipsius*, grandis, & nostrâ æstimatione & locutione valeat *viginti duos milliones Philippicorum & semis*. *Constantinus M.* Æduis qvinqve annorum reliqva remisit; qvod beneficium celebrat *Eumenius Paneg. VIII. cap.* 13.

§. 5. *Et tamen relictas sibi à majoribus sedes, ætate, qvasi jure hereditario possidebant*] Huic rei aliqvot seculis pòst *Theodosius* Imperator egregium remedium invenit, ne dominia rerum, si qvid in re aut in personâ vitii subesset, perpetuò in incerto essent, per nobilem illam constitutionem, qvam Cassiodorus *patronam generis humani* appellat, qvâ statuit, ut jugi silentio XXX. annorum, jura, obligationes, actiones, & qverelę omnes perimantur. *l. sicut. C. de præscript. XXX. ann.* Sed & priùs XX. annorum præscriptio etiam adversus Rempubl. proderat ei, qvi justum initium possessionis habuerat, nec medio tempore interpellatus erat, ut habetur apud *Paullum lib. V. Sent. tit. de usucap.* ubi per *Rempub.* *Cujacius* ceteras *omnes Res-*

publicas meritò accipit, præter Rempubl. Romanam, loco qvippe privatorum habitas.

AD CAPUT XIV.

§. 1.

Genere, formâ, eloquentiâ] Tria potissima, qvæ qvis afferre potest ad perturbandam Rempublicam. Multum situm in splendore generis, ratione tum illius qvi tentat, tum plebejorum, qvi tentantur. Illum avita nobilitas exstimulat; vide *notam ad lib. II. c.* 12. §. 12. Hi pro argumento bonitatis accipiunt splendorem generis. Siqvidem, ut scribit Philosophus *lib. III. Politic.* videntur præstantiores ac meliores esse, qvi melioribus. De formâ vide *notam ad lib. II. c.* 14. §. 3. De eloqventiâ novimus idem, cùm in hominem incidat, qvi abutatur, civitates & Respublicas evertere, qvas eadem condit, conservat, stabilit. Sic in patriæ detrimentum eloqventiâ abusus est *C. Curio* apud *Vellejum lib. II. c.* 48. ubi dicit *facundum malo publico*. *Alcibiades* apud *Justinum lib. V. c.* 2. §. 6. *Marcellus Eprius* delator temporibus Neronianis apud *Tacit. lib. IV. Histor. c.* 7. §. 2. *Mamercus Scaurus*, qvem idem Oratorum suâ ætate uberrimum *lib. III. Ann. c.* 31. §. 5. & opprobrium majorum *c.* 66. §. 3. vocat. Adde *Pisistratum*, de qvo peculiarem librum scripsit *Johan. Meursius*.

§. 2. *Quia*

§. 2. *Quia sponsor fœderis fuerat, contagium timens*] Ita *Spendius*, qvi à Romanis ad Pœnos transfugerat, veritus, ne se herus fugitivum persequens reciperet, & mox cruciatum necaret, ex Romanis legibus, dictis factisq; omnia molitus est, qvò institutam cùm Carthaginiensibus transactionem rumperet, ut scribit *Polyb. lib. I. cap.* 69. *adde Agathiam lib. II. p.* 83. de Misimianis; *Paulum Diacon. lib. V. c.* 19. de Lupo; *Cedrenum* de Ephemio; cujus locum citat *Puteanus comment. in lib. IV. Hist. Insubr. pag.* 236. *Cluverum* de Bohemis *in Epitome Hist. p.* 778. *Piccartum dec. II. c.* 10. *& notam nostram ad Velleji lib. II. c.* 2.

§. 5. *Vt abdicare se Magistratu cogeretur*] Hîc notanda prorsus eximia observatio Romanorum apud *Dionem lib. XLVI. pag.* 367: *neminem ab initio urbis ad tempora Cæsaris, qui collegam suum magistratu dejecisset, vel annum supervixisse. Sic*, inqvit, *Brutus cùm Collatino consulatum abrogâsset, statim in prælio cecidit. Gracchus qui idem commiserat in collegam Octavium, casus est; Helvius Cinna cùm Marullum Flaviumq; collegas magistratu deturbâsset, mox ipse interiit. P. Titus, cùm P. Servilium Cascam reum peractum eâdem contumeliâ afficisset, haud multò post diem suum obiit.*

AD CAPUT XV.

§. 3.

Nimius & potens altero tribunatu] Ita de Servilio Glauciâ & Appulejo Saturnino scribit *Vellejus lib. II. c. 12. continuatis honoribus Rempublicam lacerâsse.*

§. 3. *Secundâ plebe volitaret*] Qvod qvi faciunt, semper ursunt superiores. De *Agrippinâ* vide *Tac. lib. I. Ann. cap. 69.* & adde *lib. II. Ann. c. 41. §. 5.* nec non orationem Cyaxaris *ad Cyrum ap. Xenoph. lib. V. Παιδείας p. 145. editionis* Leunclav.

§. 4. *Fatale familiæ suæ Capitolium invasit*] Sic *Chæronea* fatalis extitit *Athenienſibus.* Ad hanc enim victi sunt à *Boeotis.* Auctor *Diod. Siculus lib. XII. cap. 7* & rursus à *Philippo*, Macedoniæ rege, *Idem lib. XVI. c. 87. Mulberga* fatale nomen fuit multis Principibus. *Piccart. dec. V. cap. 6. Bedriacum* ait *Tac. lib. II. Hiſtor. c. 22.* vicum inter Cremonam Veronamq; duabus *R*omanis cladibus notum infausumq;. Nimirum ad istum victus est *Otho* & *Vitellius*, Imperatores *R*omani. Deniq; *Cydnus* fluvius *Bidermanno lib. III. Epig. 92.* dicitur

Sæpiùs in magnos unda maligna duces.

qvòd regibus fatalis esset. Qvâ de re *Freinshem. ad Curt. lib. III. c. 5. §. 1.*

§. 5. *Inde quoq; obviâ Senatus manu*] Si benè

benè attendas, videbis locum non sine mendo esse. Igitur *Freinshemius* legit: *unde obviâ.* Malim cum *Vossio* ad *Vell. lib. II. c. 6. undiq;.* Sic noster infrà *lib. IV. c. 12. §. 44.* Barbarus *undiq;* infesto exercitu oppressus.

§. 6. *Sacrosanctum caput auro pensatum*] Similis crudelitas exercita temporibus Sullanis. Factum enim, *ut in quâ civitate petulantis convitii judicium hiſtrioni exoleto reddebatur, in eâ jugulati civis constitueretur auctoramentum, plurimumq; haberet, qui plurimos interfeciſſet.* Verba sunt *Vellejî lib. II. c. 28.* Similiter *Syracusani* publicè per præconem pronunciârunt, si qvis *Hippocratis* aut *Epicydis* capita afferret, auro se ea repensuros. *Appian. in Exc. Peir. pag. 559.* Historiam verò, qvam refert noster, leges etiam apud *Diod. Sic. in Exc. Peir. pag. 379.* vide ibi *Valeſ. pag. 59.*

AD CAPUT XVI.

§. 1.

Consulatu suo confisus] Potestate suâ multos abuti ad res novas, exempla testantur innumera. Consulendus præter alios *Gruterus disc. V. in Tacitum.* Similis locus *infrà c. 17. §. 3.* de Eqvitibus *R*omanis: *Tantâ potestate subnixi, ut qui fata fortunasq; Principum haberent in manu, interceptis vectigalibus, peculabantur suo jure Rempublicam.*

§. 2. *Vnus extitit, qui mallet exilium*] Eadem virtus *Erucii Clari* apud *Dion. in Exc. Peir.*

Peir. pag. 736. & Helvidii Prisci, de qvo *Arriani* locum citavimus *ad Val. lib. VI. cap. 2.* & *Comitis Sanzerræ* qvi sub *Francisco II.* Galliarum rege, cùm urgeretur ut iniqvæ sententiæ latæ de capite & supplicio *Ludovici Condæi Principis* subscriberet, lachrymabundus suppliciter à rege petiit, ut sibi potiùs caput amputari juberet, qvàm ut contra animi sui sententiam & conscientiam tantum & tale facinus conscisceret cogeretur; ut refert *Thuan. lib. XXVI.* Adde de *Liberio* Episcopo Romano *Theodoritum lib. II. Histor. Ecclesiast. c. 16. Hug. Grotium notis in lib. II. de I. B. ac P. c. 26. §. 3.*

§. 5. *Quia tueri non poterat, adverso*] Ex hoc genere hominum fuit *C. Antonius*, M. Oratoris F. & M. Antonii Triumviri patruus, qvi *Catilinæ socius*, cùm eum tueri non posset, bello persecutus est, ut è *Dione* docet *Sigon. Comm. in Fastos & Triumph. Rom. in A. V. 691.* Non absimilia refert *Tac.* v. g. *lib. XV. Ann. c. 58.* ubi *Fenius Rufus* unus è conjuratione Pisonianâ, re proditâ, *quò fidē insciti a faceret*, atrox fuisse legitur adversus socios. Et *cap. 60. Statius* tribunus interficit *Plautium Lateranum*, ejusdem conjurationis popularem, qvi plenus constantis silentii, ne tribuno qvidem objiciebat eandem conscientiam, deniq; *cap. 61. Silvanus* operam suam commodat *Neroni* adversus *Senecam*, ejusdem societatis reum, cùm ipse inter conjuratos esset, & augeret scelera, in qvorum ultionem consenserat.

§. 6. *Quum abruptus fistulis obsideretur*] *Capitolinus* in Maxim. & Balb. pag. 169: *Veterani se in castra prætoria contulerunt cum ipsis prætorianis, quos cœpit populus obsidere; nec unquam ad amicitiam essent reducti, nisi fistulas aquarius populus incidisset.* Ubi *Casaubonus p. 199.* citat ista Herodiani: Πᾶν τὸ ὕδωρ ἔ σρατοπέδε ἐς ἕτερα ῥᾴθρα μεταχέτευον, ἐπιῤῥήπτοντες καὶ εἰσφερόντων τὰς εἰς τὸ σρατόπεδον εἰσόδους αὐτῶ.

§. 7. *Fustibus saxisq; coopertum in ipsâ quoq; morte laceravit*] Locus insignis de levitate vulgi, qvos modo provexerat summo conatu, rursus destruentis. Qvam mobilitatem sale satyrico multum perfricat *Juvenalis Sat. X.* ubi de *Sejano* verba facit, v. 65:

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumq; bovem: Sejanus ducitur unco
Spectandus; gaudent omnes. ----
Et mox v. 72:
---- --- *Sed quid*
Turba tremens? sequitur fortunam semper, & odit
Damnatos. Idem populus, si Nursia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsâ Sejanum diceret horâ
Augustum ----

Ita legit *Lipsius* ad Tac. lib. IV. *Ann. cap. 1.* Nursia enim Vulsinienſium, unde Sejanus oriundus erat, peculiaris Dea.

AD CAPUT XVII.

§. 2.

Hereditarium in posteros suos bellum propagaret] In omni anarchiâ hoc notandum, uno seditioso interfecto, non statim desinere seditionem; qvâ de re pulchrè disserit *Forstn. in lib. I. Ann. Tac. p. 6.*

§. 4. *Vnde & nata Livio Druso æmulatio*] Qvantum ista paritas discordiarum, discordia malorum pariat, egregio exemplo docet *Agathias lib. IV. p. 114. Cùm omnes Romani exercitus duces inter se essent pares, & mutua consilia improbando, contraria qz mandando decertarent, nihil præstabant laude dignum. In diversas sententias secti, alii hanc, alii aliam probabant, nec quicquam peragebatur: sed unusquisq; ægrè ferens suam sententiam posthabitam, siniſtris eventibus gaudebat.* Consulendus etiam ad hunc locum *Vossius lib. II. Instit. Orator. c. 4. n. 4.* ubi disputat, utrum se mutuò amârint *Cicero* atq; *Hortensius*, facundiæ laude pares.

§. 6. *Plebem ad se Gracchanis legibus, eisdem socios ad plebem spe civitatis erexit*] Corruptissimus, si qvis alius, in Floro locus. An n *Gracchanis legibus socios*, hoc est, Italicos erexit ad spem civitatis? atqvi nullam legem Gracchi novimus de civitate Italicis dandâ. *Salmasius* vulgatum solicitare religioni sibi ducit; & est sanè præceptum summi Medicorum Hippocratis, *non manifestis ulce-*

ulceribus neq; manum admovendam; nec ulla *virtus in Philologo* præstantior, qvàm abstinentia à lectione *tolerabili*. Sed tamen vulgatam ferri posse, nemo persvaserit, qvi res Gracchorum & Drusi legit. Accepi qvondam fragmentum insigne lapidis Romani, qvod cum trecentis aliis descripsit *Mich. Piccartus*, nec dum reperitur in Æterno Inscriptionum Opere. Id cùm de hac ipsâ re loqvatur, cujus Florus mentionem facit, qvidnî licebit inde Florum restituere? Verba fragmenti sunt.

M. LIVIUS. M. F. C. N. DRUSUS. PONTIFEX. TR.
MIL. XVIR. STLIT. JUDIC. TR. PL. XVIR. A. D. A.
LEGE. SUA. ET. EOD. ANNO. VVIR. A. D. A. LEGE.
SAVFELIA. IN. MAGISTRATU. OCCISUS. EST.

non ubiq; benè habet lapis, scio; sed hoc tamen vult, *M. Livium Decem virum* ad dandos agros creatum, tum lege suâ, tum alienâ, sive hanc *Saufelius* qvidem, sive *Aufejus*, sive *Fusius* collega ejus in tribunatu tulit; sive etiam legimus, SEMPRONIA, ut reductam indicet *C. Sempronii Gracchi* legem; qvod idem dicit *Florus*. Atq; hæc sententia verissima mihi videtur. Qvicqvid sit, apud Florum non dubito legere: *Plebem ad se Gracchanis legibus suisq; socios ad plebem spe civitatis erexit*. Qvod hic numero multitudinis effert,

id

id lapis singulari, dum ait, *suâ lege Drusum creatum Decemvirum ad dandos agros.* Notandum autem loqvendi genus, *erigere ad se plebem*, & *plebem ad socios.* Vult dicere: suis & Sempronii Gracchi *legibus*, hoc est, *agrariis*, adjunxit sibi plebem, & rutsus plebi socios promissâ civitate. Adde *Tacitum lib. III. Annal. cap. 27. §. 3.* ibi: *Nec minor largitor nomine Senatus Drusus; corrupti spe aut illusi per intercessionem socii.* hunc Drusum *Pontificem* appellat *Cic. pro domo c. 46.*

§. 7. *Cùm subitò tanta vis hominum*] Qvid mirum? in omni tumultu alii alios antecedentes seqvuntur, pecorum ritu, pergentes non qvâ eundum est, sed qvâ itur. *Seneca in lib. de Vitâ Beatâ c. 1. § 9.*

§. 9. *Matura, ut in tali discrimine, mors*] Hujus loci interpretem agit *Sen. lib. de brev. vitæ c. 6.* Disputatur, an ipse sibi manus attulerit? subito enim vulnere per ingven accepto collapsus est; aliqvo dubitante, an mors *voluntaria* esset, nullo, an *tempestiva. Maturam* itaq; vocat *opportunam* ipsi Druso, qvi sociis qvod promiserat, sine præsenti famæ periculo non potuit antiqvare, vel pati ut antiqvaretur. Similis locus occurrit apud *Tac. lib. IV. Ann c 31. §. 3.* de Calpurnio Pisone, qvi ante damnationem obierat. *Ceterorum quæ multa tumulabantur, receptus est reus; neq; peractus ob mortem opportunam.* & *Plinium lib. II. epist. 11. Honoratum cognitioni Senatus mors opportuna subtraxit.*

AD

AD CAPUT XVIII.

E veteribus, qvi bellum *Italicum*, sive *Marsicum*, sive *Sociale* (tribus enim modis appellatur) descripsêre, periit *L. Lucceji* Q. F. Constat ex illo *Cic. lib. V. Epistol. 12. Videbam Italici belli & civilis historiam, jam penè à te esse perfectam.* Descripsit idem bellum Græce *L. Licinius Lucullus*, teste *Plut. in ejus vitâ.*

§. 5 *Italia contrà matrem ac parentem suam urbem consurgeret*] Extant hodieq; denarii argentei, qvos ab Italicis populis, qvo tempore bellum Marsicum motum est, cusos esse, facilè constat. In alterâ namq; parte conspicitur *imago Italiæ, caput laureatum*; in alterâ *conjurati*, & in medio *unus*, qvi *porcam sustinet*, cujus immolatione fœdera ab antiqvis fieri solita, indicat illud *Virgilii lib. IIX. v. 641*:

--- *Et cæsâ jungebant fœdera porcâ.*

& illud *Cic lib. II. de Invent.* cap. 30: *In eo fœdere, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adolescens nobilis porcam sustinuit, jussu Imperatoris.* De impietate belli inter civitatem matrem & filiam dixi *ad lib. I. c. 3. § 9.*

§. 6. *Umbros totus Senatus & Consules*] Italiotæ legem tulerant, ut ex corpore suo qvotannis duo Consules & XII. Prætores legerentur, planè ad exemplum τῶν ἑπτὰ ῥωμέων ut scribunt *Strabo lib. V. p. 241. & Diod. Sicul. Eclog. lib. XXXVII.*

Igitur totus iste seditiosorum, seu *malè-contentô-rum* (ut hodiè loqvimur) Senatus & Consules certam qvandam sedem tenebant; reliqvorum qvisq; assignatam sibi provinciam ceu Prætoriam. Ad hos consules respexisse Florum cuivis apparet. Nihilominus, judice *Freinshemio*, hæret in vulgatis sententia, qvòd commodiùs de Consulibus & toto Senatu Italorum diceret, post recensita ordine municipalia illa prodigia, *Popedium*, *Afranium*, *Telesinum*. Nec dubito, qvin ἐυσύνοπτως judicaverit vir doctissimus. Ego collato Flori loco cum historiâ belli Marsici ab aliis descriptâ, haud difficulter video, qvomodo rem narraverit; sed qvibus verbis narraverit, MSS. ope destitutus, non sine trepidatione affirmaverim. Ita nimirum prodidisse nobis videtur; *Popedius Marsos, & etiam Latinos; Afranius Vmbros; Samnium Lucaniamque Telesinus; totus Senatus & Consules Corfinium; ut cùm regum & gentium arbiter populus ipsum se regere non posset, victrix Asiæ Europæque à Corfinio Roma peteretur.* Flagitium literatoris omnia confudit, disjecit, mutilavit. Nunc eorum, qvæ posui, rationem reddam. Ait *Freinshemius*, in veteribus editionibus legi: *Popedius Marsos & etiam Latinos: & etiam*, putat absorpsisse nomen cujusdam ducis; qvod mihi non videtur. *Popedius* Latinorum qvoq; dux fuit. *Valer. Max. lib. III. c. 1. ex. 2. A Q. Popedio Latinorum Principe, Drusi autem hospite rogatus.* Qvin & *etiam* nullus hîc expungo, qvod est longè μαφανκώτατον. Miratur enim auctor, *etiam Latinos in partibus fuisse*, cum qvibus major fuerit Populo Romano necessitudo, qvàm cum reliqvis Italiotis omnibus. Hinc illæ *feriæ Latinæ* celebrari solitæ qvotannis *in monte Albano*, in qvem Populus Romanus & Latini fœderati XLVII. convocabantur, ut *Jovi Latiari* communi consensu sacrificium facerent. Malè *Sigon. lib. I. de Antiquo jure Italiæ c. 2.* invehitur in *Valerium*, qvi Latinos de civitate bello sociali ait decertâsse; qvos pro Populo Romano stetisse inter omnes Romanarum rerum Scriptores constet. Imò non omnes stetisse pro Populo Romano, vel hic Flori locus & §. §. evincit. Et qvomodo in Albano monte inter sacra & aras immolarentur Consules Romani (qvod præter nostrum scribunt reliqvi) si Latini consilia sua non miscuêre? Nec offendit aures meas geminatum illud *& etiam*, qvi novi veteres non abhorruisse ab hujusmodi generis pluribus. Videndi Interpretes *Virgilii* ad illa *lib. I. Æneid. v. 9*:

Multa quoque & bello passus:

qvibus addo locum *Lampridii in Commodo p. 45.* edit. Salmas: *Mortuo igitur fratre, Commodum Marcus & suis præceptis, & etiam magnorum atq; optimorum virorum erudire conatus est. Secundò* scripsi: *totum Senatum Consulesq; habuisse Corfinium*, qvia, ut loqvitur *Vellejus lib. II. c. 16.* Italiotæ *caput imperii sui Corfinium fecerant.* Sed

cumprimis huc facit *Strabo* loco suprà citato: Κορφίνιον τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν κοινὴν ἅπασι τοῖς Ἰταλιώταις ἀποδείξαντες πόλιν, ἀντὶ τῆς Ἰταμης ὀχυρώτερον καὶ πολίμων, μετονομασθεῖσαν Ἰταλικήν, καὶ χρατυνήσαντες ὑπάτους καὶ στρατήγους. Id est: *Corfinium Pelignorum caput communem omnibus Italis civitatem loco Romæ designârunt; belliq; arcem, & Italica nomen inuiderunt; Consules insuper & Prætores creârunt.* Sicut igitur Romani Imperii sedes erat *Roma*, qvam premebant Consules & Senatus: ita *Corfinium* erat sedes imperii Italici; adeoq; Consulum & Senatorum ab Italis creatorum. Unde patet, malè *excidisse* apud Florum nomen *urbis*, & à similitudine vicinarum literarum in τὸ *Consules* facilè absorptum; qvod aliis qvam plurimis accidit. Hoc verissimum esse prorsus evincit consequentia §. 7. cùm ait, hoc qvæsiviſſe Latinos, *ut victrix Asiæ Europæque Roma à Corfinio peteretur*, hoc est, ut omnes nationes in Asia Europâq; devictæ victorem populum in urbe Corfinio venerarentur, atq; inde in posterum mandata acciperent. Qvamobrem præcesit, *Consules & Senatum insedisse Corfinium.* Vara vibiam sequitur, ut est in proverbio; & una cicatrix obducta medicinam facit alteri. Si verba illa, *Totus Senatus & Consules* præcedunt verba proximè sequentia in §. 7. *cùm regum & gentium arbiter populus* &c. (ut ob rationem connexi & veritatem historicam omninò præcedere debent) jam & illud absq; MSS. ope patet, verba in Floro trajecta esse, & mala in

lè inter mentionem *Senatus* & *Consulum* intercessisse ista, *Samnium Lucaniamq; Telesinus*; utpote disrumpentia consequentiam §. 6. & 7. Qvo stante, an Lector erudite, absumus à verâ & antiqvâ lectione Flori? Qvamvis alienus sim ab omni φολαυτία, tamen ob tot rationes jam animosior illam ipsam eruisse mihi videor.

§. 6. *Popedius*] *Diodoro Siculo in Exc. Peir. p.* 398. est Πομπῳδ. Vide ibi memorabilem de illo historiam. Dicitur ibid. Μαρσῶν ἡγέμων. Cetera *Freinshemius* in notis *omnium ducum nomina* collegit, qvi contra Romanos ab *Italiotis* creati fuère. In iis reperitur *Agamemnon* archipirata. Velim de eodem consulas *Diod. Sic. in Exc. Peir. p.* 398. *& ibi Vales. pag.* 61. Occurrit etiam *P. Vettius Cato* dux *Marsorum* apud Cicer. *XII. Philipp. cap.* 11.

§. 8. *Ut festo die inter sacra & aras immolarentur*] Nota hîc: Ab *Athenienſibus* celebrabantur mystica & Jacchica *Eleusine*: ab *Antiochensibus* apud *Daphnen*, qvi locus 5000. passuum distabat ab eorum urbe, licet πρόδρομον Ἀνθοχείας diceretur. Atq; hæc sacra neglexisse, inexpiabile scelus habebatur. *Casaub. ad Æn. cap.* 17. ubi *Æneas* agit de civitatum periculis, in qvibus cives inter se dissident, & pars eorum ἀντιπροθυμεῖται, monetq; tum maximè ab ejusmodi factionibus metuendum, *cùm ritu quodam patrio effundi extra muros oppidani solent. Ut cùm sacra quædam suburbana, aut solemne aliquod ludicrum celebratur:*

aut cùm navibus subductis maria clauduntur, aut cùm funus alicui publicum ducitur. Affert *ibidem* exempla. Vide etiam notam *ad Val. Max. lib. IX. cap. 7. §. 1.* & adde *Clearchum*, Heracleensium tyrannum; qvi cæsus est ex insidiis, cùm commune populi sacrum esset, ut scribit *Memnon apud Photium c. 2.* Sic qvidam è *Gundiberti* familiâ *Garibaldum* ducem ipso Paschatos festo super sacrum baptisterii fontem conscendens, lævaqve manu columellæ tugurii innisus, ibi transeuntem percusit, ut è *Paulo Diac.* refert *Putean. comment. in lib. I. Histor. Insubr. pag. 139.* Ita A. C. 1121. occisus est *Berengarius à Flamberto*, cùm pietatis causâ templum ingrederetur, ut refert idem *lib. V. p. 286. Postero die juvenum stipatus globo tàm mitem invadit dominum, & rompheâ feriens, nullas jam insidias metuentem, sibiq; suisq; omnia candida tribuentem, sicarius nefandus nefandum in modum sternit. Proh dedecus, quanta perfidia! nisi ampliùs etiam, quòd in ipso templo; non satis parricida, nisi & sacrilegus esset.*

§. 11. *Nec Annibalis, nec Pyrrhi, fuit tanta vastatio*] Ita fieri solet, postqvam consangvinei & amici inter sese cœperunt dissidere. *Polyb. lib. I. cap. 82.* de *Hippacritarum* & *Uticensium* civitatibus: *Statim ubi fidem mutârant, è conjunctissimis & fidelissimis, facti sunt hostes acerrimi, & adversum Carthaginienses inexpiabilem iram atq; odium conceperunt.*

§. 13. *Sed magna Populi Romani fortuna*] Vide notam *ad prologi §. 2.* §. 13. *Ag-*

§. 13. *Aggressique singuli populos*] Referenda sunt hæc ad *notam lib. I. c. 6. §. 31.*

§. 14. *Quàm Asculi eversione, Manibus tot exercituum consularium litaretur*] Hoc enim maximè necessarium credebant, hostium eversione satisfacere Manibus suorum. Vide *notam ad Vell. lib. I. c. 1.* Hic verò silere neqveo, prope *Asculum* in alveo fluminis *Truenti glandes plumbeas* veteres & literatas aliqvot inventas, qvas mendici ante *XL.* annos ruspando emerunt: Hæc autem erant inscripta: FUGITIVI PERISTIS. ITAL. GAL. Refert *Puteanus in Promulside Epist. 45.* (ITAL. CAL. lego, pro ITAL. GAL. & interpretor: *ITALICI CALVIUNT*, frustrantur, destituunt vos.) Puto autem hæc Romanos rebellantibus Italis, & prope Asculum victis fugitivisq; reposuisse; qvòd & ipsi glandes plumbeas, ut è fundis jacularentur, confecissent, qvibus militari manu tuditer inscriptum erat: FERI. item FERI POM. id est, *Feri Pompejum* ducem Romanorum. Qvales apud *Gentilem Delphinum* vidisse se scribit *Pighius in A. U. 664.* De glandibus missis multa *Casaub. ad Æn. Tacit. c. 31. p. 60.* Ita obsessi obsessoribus, & hi rursus illis insultabant. Cujusmodi exemplum & apud *Tacitum* leges *lib. II Histor. c. 21.* & apud *Sall. in Jug. cap. 94.* Sed istas contumelias inferentibus plerumq; exitiosas esse, docet tum *Asculanorum* tristis exitus, tum *Numidarum* apud Sallustium. Sed & du-

rante *bello Bavarico* superiore seculo dem accidit. Nobilis enim quidam *Johannes Bentzenauerus* infederat arcem munitissimam, ad Oeni ripam, *Kufsteinium*, eamq; defendendam acceperat à Palatinis contra *Maximilianum I.* Eam sæpiùs Imperator dedi sibi postulabat; & cùm nihil impetraret, crebris tormentorum ictibus verberabat. Ibi ferunt præfectum, ut planè omnem vim hostilem spernere videretur, post explosa tormenta, scopis etiam exteriorem muri partem verri jussisse. Contumeliâ igitur istâ vehementer irritatus Cæsar, tantam vim adhibuit, ut tandem caperet arcem, & Præfectum capitali supplicio afficeret; quemadmodum refert *Luckius in Numis.* Adde *Piccartum de ad. II. c. 2 p. 93. & cap. 6. p. 110. & Disc. XLII. th.* 15.

AD CAPUT XIX.

§. 1.

Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella servorum?] Eadem indignatio *Senecæ lib. I de Clem. c.* 9. ubi de iis, qui Augusto infidiati sunt: *Taceam alios*, inquit, *quos tantùm audisse pudet.* Similis locus *cap. seq.* § 11. vide notam *ad l. II. c.* 8. §. 4. Sed præcipua hujus indignationis causa est, quòd servorum esset pessima conditio, ita ut vix hominum numero haberentur. Unde apud *Juv. sat. VI.* v. 221. quædam sic expostulat cum marito: *O demens, ut servus homo est.* Adde *Grotium lib. II. d. I. B. ac P. c. 26. §. 4. Rittersh. l. III. Sacr. Lect. c.* 9.

§. 2. *Quis crederet Siciliam multò cruentiùs servili, quàm Punico bello esse vastatam?*] Vide notam *ad h. l. c.* 1 §. 1. cum primis causam hujus rei reddit *Bisselius in Icaria p.* 207. Longè potentiorem esse *rebellium concordiam* ad regum ruinam, quàm Monarcharum secures in supplicia. Nec esse negligenda tot capita, quia servilia: nam multitudinem illis in ira fieri pro libertate: & longè periculosiùs *furorem* excitari *sordidorum crabronum*, quàm *ingenuam apicularum bilem.* Servorum copiam, *si pareat, tutelam esse Domini; si jugum frangat, excidium.* Cetèrùm etiam *Tiberii temporibus* A. U. 776. exortum *bellum civile*, quod tamen mox compressum est, ut scribit *Tac. lib. IV. Ann. c.* 27.

§. 3. *Terra frugum ferax*] De fertilitate Siciliæ disserit præter alios eruditissimè *Pighius in Charactere lib. VII. Ann. p.* 8. & 9.

§. 3. *Catenatique cultores*] Iidemq; duriter habiti. Unde discimus, *servitutem* tamdiu æquo animo *tolerari*, quamdiu *tolerabilia imperantur.* Quòd si intenderis nimis, rabie armati ferrum in te convertent. Vide *Sen. ep.* 47. & *Biderm. lib. II. Atroam. 3. de servo, injurias suas crudelissimè vindicante.* Superiori seculo per omnem Germaniam periculosissimo motu rusticana plebs surrexit, quòd non tanquam hominibus, sed tanquam bestiis imperatum esset à dominis. Por-

rò de causis hujus belli, & hac ipsâ, qvam dedimus, V. *Diod. Sicul. in Exc. Peir. pag.* 363. 364. 367. 368.

§. 4. *Dum Syriæ Deæ comas jactat*] Jactabant Diis suis comas fanatici. *Lampridius* de *Elagabalo p.* 146. *Jactavit autem caput inter præcisos fanaticos.* Ubi *Casaubonus* pag. 146: *Ulpianus l. 1.* de ædilit. edicto: *Si servus inter fanaticos non semper caput jactaret, & aliqua profatus esset.* Similiter *Isidorus lib. VIII.* de cerimoniis sacrorum Matris Deûm: *Quod se apud eam jactant, præcipitur, inquiunt, ut qui terram colunt, ne sedeant: semper enim esse, quod agant.* Hoc *Lucianus* dicit, σείειν τὴν κόμην ἄνετον. erant enim capillati. Vetus lapis: CAPILLATUS A MATRE MAGNA. Varro: *Tibi nunc semiviri teretem comam volantem jactant Galli.* Sic etiam leones, qvibus vehebatur, jubam jactare assveiebant, ut in epigrammate *Alcæi*:

——— ——— Ἐκ δ' τενόντων
Ἐνθας ῥαμβητὴν ἰσχ. φάλιζε φόβην.

Præcisi sunt κάλλμίαι galli. Hæc *Casaubonus.* Plura *idem Exercit. XIV. ad Annal. Baron. p.* 237. *Voss. lib. I. de Idol. c.* 20. *p.* 157. *& lib. II. p.* 601. *Salmas. de comâ p.* 34. 35.

§. 5. *In ore abditâ nuce*] De hoc inani terriculamento qvàm plura congesit *Gruterus ad Liv. libr. XXVI. cap.* 51. Iste *Eunus* sese *Antiochum* dicebat, milites suos *Syros.* Vide *Valesium ad Exc. Peir. Diod. Sic. p.* 57. f.

§. 8. *Fuit ovatione contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret*] Huc pertinet, qvod scribit *Tac. lib. I. Hist. c.* 51. §. 4. *Germanicianos milites cùm Vindicem devicissent, fastidito ejus nomine Galbianos se dixisse*; scilicet tantò clariores fore se arbitrabantur, qvantò major fuisset, qvem à se victum fuisse fingebant, sive imaginabantur. Galba enim tanqvam Imperator multum majestate Julio Vindici, duntaxat unius provinciæ Prætidi, antistabat.

§. 9. *Athenio Pastor*] Meminit *Dio in Exc. Peir. p.* 636. ex versione *Valesii*: *Mamertini opes suas ac pretiosissima quæq; in urbem Messanam contulere, rati se à fugitivorum incursionibus tutissimos fore: Quod postquam* Athenioni *compertum est (hic Cilicià ortus, maximam auctoritatem inter latrones obtinebat) observato die, quo solemne sacrum publicè in suburbiis agebant, in eos irruit, plurimosq; eorum hac illac dispersos interfecit; minimumq; abfuit, quin urbem ipsam impetu caperet. Cetera occupato quodam loco, qui Macella dicitur, eoq; munito, agrum Mamertinum latè vastabat.*

§. 11. *Capta Servilii castra, capta Luculli*] Si rationem temporis haberet noster, diceret, *capta Luculli castra, capta Servilii.* Vide *Diodorum Sicul. Eclog.* 36. è qvo de bello hoc, & Prætoribus in Siciliam missis, ita statuendum est.

A. U. 649. *Licinius Nerva Prator* Siciliæ fuit. Tum à fugitivis & desertoribus regiones in

Thurinis devastatæ sunt. Vide de eodem *Dion. in Exc. Peir. p.* 612.

A. U. 650, *L. Licinius Lucullus Prætor* adversus fugitivos missus est. Rem malè gessit.

A. U. 651. *C. Servilius Prætor* missus est, nihilo felicior.

A. U. 652. *Manius Aquillius Consul* missus rem fortiter gerit.

A. U. 653. *Manius Aquillius* ex Siciliâ Procos. ovavit. Jam tu mihi confer *Pighium in Annalibus & Sigonium in A. V.* 653 & deprehendes in utroq; gravissimas hallucinationes.

§. 11. *Nisi suppliciorum metu voluntariam mortem prætulissent*] Uri multos

----- *in summa pericula misit*
Venturi timor ipse mali.

Quam vecordiam his verbis insequitur *M. Brutus* in quadam *ad Atticum* epistolâ: *O magnam stultitiam timoris, id ipsum quod vereare, ita cavere, ut cùm vitare fortasse potueris, ultrò accersas & attrahas.*

§. 12. *Inter rixantium manus præda lacerata est*] Cùm *Atabalipa* caperetur ab *Hispanis*, tantus impellentium impetentiumq; Hispanorum impetus & rixa fuit, ut ipsum supremum Hispanici exercitus ducem *Pizarrum*, detractum lecticâ regem retinentem, vulnerârint. *Caspar Ens lib. I. Histor. Indic. cap.* 14. *pag.* 93.

AD

AD CAPUT XX.

§. 1.

Quasi secundum hominum genus] Quasi verò servitus differentiam quandam specificam inter liberos & servos constituat, ita ut illi *homines* sint, hi *quasi homines*; quam opinionem stultam & arrogantem multis locis exagitat *Seneca*, inprimis *ep.* 47.

§. 2. *Hi pessimam*] Idem cùm *Freinshemio* censet *Virdungus*, dum legendum ait: *Hi pessimæ.*

§. 3. *Spartacus, Crixus*] De bello *Spartaci & Crixi* consule *Themistium Orat. IV. p.* 67.

§. 3. *Effracto Lentuli ludo*] *Cn. Lentulum* appellat *Drepanus Paneg. XII. c.* 23. non sine loco communi: *O quàm parvis veniunt summa mala principiis! Sic in ultimum propè Italici generis excidium effracto Cn. Lentuli ludo, mirmillonum magmen emicuit.*

§. 3. *Non modò effugisse contenti, jam vindicari volebant*] Hæc enim est *series cupiditatum: altera ex alterius fine nascitur*; ut loquitur Rom. Sapiens *ep.* 19. Sed hoc cumprimis cogitabat iste *Spartacus*, scelus scelere majori propugnandum esse, & obtegendum: qualis fuit ille apud *Joseph. lib. II. de Bell. Jud. c.* 13. qui si defectionem perpulisset, credebat majore malo abducendam esse invidiam

diam ſcelerum minorum: & pleriq; tyrannorum, qvibus, ut *Sen. lib. I. de Clem. c. 13.* ait, *ſcelera ſceleribus tuenda ſunt.*

§. 4. *Vitigineis*] *Virdungus* legit *Vimineis.*

§. 4. *Et exitu invio*] *Pighius in Hercule Prodicio pag. 341.* mavult *exitu inviſo.* Utitur, invit, eâdem voce *inviſus* pro *non viſus*, non animadverſus *Cic. de Haruſp. reſponſo*; qvem ſeqvimur. Adde noſtrum infrà *lib. IV. c. 12. §. 27.* Eodem ſignificatu *Svetonius in Tib. cap. 13. Permanſit contemtior in dies & inviſior.*

§. 4. *Nihil tale opinantis ducis*] Nullâ re majorem hoſtibus terrorem offundas, qvàm ſi hac aggrediaris, qvâ nihil timuêre. Ita *Jonathas* aggreſſus eſt *Palæſtinos* apud *Joſeph. lib. VI. Antiquit. c. 7.* De *Semiramide* vide *Diod. Sicul. lib. II. c. 6.* De *Smaragdo*, qvi Claſſem oppidum cepit eâ parte qvâ mari alluebatur, cùm nihil proficeret oppugnatione terreſtri, *Sigonius lib. I. de Regno Italiæ p. 13.* Sic *A. C. 1452. Carolus Canuti* Svecorum rex *Ludoſiam* in *Viſigothiâ* recuperaturus, *Tardonem Bondium* cum expedito milite mittit, qvi ut fallere hoſtē poſſet, per ſylvarum opacā ducit, rupium q; inacceſſa. Hinc nec opinantibus præſidiariis *Ludoſiam* noctu invadit, & expugnat. *Meurſius lib. I. Hiſtor. Danic.* Adde *Picc. dec. XVI. c. 4.* Hoc verò illis præcipuè faciendum, qvi aliam expediendæ ſalutis rationem, puta ab hoſte obſeſsi & ad extrema redacti, non habent. *Ibi audaciſſima quæq; nova, inopinata, incredibilia ſaluberrima ſunt, & ſæpè*

pè victoriam jam deſperatis, & depoſitis pariunt, ut legimus apud *Liv. lib. XXV. c. 37. 38. 39.* de *Marcio centurione*, qvi reliqvias exercitus Scipionum in Hiſpaniâ trinis hoſtium caſtris obſeſſas, non modò hac ratione ſervavit, ſed & hoſtes jam victores ad internecionem delevit. Et irrumpente cum ingenti exercitu in Italiam *Asdrubale*, cùm *Annibali* ægrè reſiſteretur, haud dubiè res Romana conclamata erat, ſi media conſilia *Nero Claudius*, qvi eum inopinato ſuperventu oppreſsit, ſecutus eſſet. Rectè *Tacitus lib. III. Hiſtor. cap. 46.* media iſta conſilia damnans: *Mox quod inter ancipitia deterrimum eſt, nec auſus eſt ſatis nec provident.* Adde *eund. lib. I. Ann. c. 68. §. 4.* ibi: *quantò inopina, tantò majora offunduntur. & Livium lib. X. c. 33. Improviſò oppreſſis nec animi ſatis adreſiſtendum, nec virium fuit.* Concludam verbis *Vegetii lib. III. de Re Militari c. 26. Nulla conſilia meliora ſunt, quam qua ignoraverit adverſarius:* Item. *Subita conterrent hoſtes, uſitata vileſcunt.*

§. 9. *Qui defunctorum quoque prælio ducum funera imperatoriis celebravit exequiis*] Intelligo eorum ducum, qvi pugnando ceciderant à ſuâ parte. Sed & hoc regium. De *Alexandro* vide *Diod. Siculum lib. XVII. c. 21.* Ita Romani apud *Agathiam lib. III. p. 95. quotquot è ſuis in conflictu perierunt, eos honeſtiſſimè ſepelivêre, laudatâ eorum ſtrenuitate, quippe qui ut viri fortiter rem geſſiſſent.*

§. 10. *Inde jam conſulares qucq; aggreſſus*

Eſt

Est enim proxima victoria instrumentum sequentis. Vide notam *ad lib. I. cap.* 9. §. 8.

§. 14. *Dignam viris obiêre mortem*] Nam in animo habebant illud: *In tuta, quæ inde ora; vel si cadere necesse sit, occurrendum discrimini*; ut loquitur *Tacit. lib. I. Histor. cap.* 33. quod idem suis inculcavit *Catilina* apud *Sallustium c.* 58. *Cavete, ne inulti animam amittatis, neu capti potiùs, sicut pecora trucidemini.*

AD CAPUT XXI.

§. 2.

Æquiore animo utcunque ferrem] Huc pertinet illud *Chrysostomi*: Τῇ ποιότητι τῶν προσώπων τὰ ἁμαρτήματα κρίνοντες, *qualitate personarum delicta æstimantur.*

§. 2. *Cùm verò, proh facinus, qui viri! qui Imperatores! decora & ornamenta seculi sui Marius & Sylla, pessimo facinori suam etiam dignitatem præbuerunt*] *Tacitus* lib. III. *Ann.* cap. 57. § 3. *Deridiculo fuit Q. Haterius, senex fœdissimæ adulationis tantùm infamiâ usurus.* Et lib. eod. c. 70. § 4: *Capito insignitior infamiâ fuit, quòd humani divinique juris sciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehonestavisset.* Adde *cap.* 65. *&* 66. *& lib. IV. c.* 3. §. 5. *& cap.* 69. de tribus Senatoribus, &c.

§. 3. *Intra ipsos armorum duces subsistente ævitiâ*] Hoc aliàs æquum, ut in faces ac tubas stringatur ferrum, parcatur ceteris. Vide *Gruterum disc. in Tac. XIX.* §. 3. 4. 5

§. 3. *Mox atrociùs & cruentiùs, per totius viscera Senatus grassante victoriâ*] Nimirum, ut pulchrè *Seneca* lib. I. de Irâ cap. 7: *Quarundam rerum initia in nostrâ potestate sunt: ulteriora vi suâ nos rapiunt, nec regressum relinquunt. Ut in præceps datis corporibus nullum sui arbitrium est, nec resistere morarive dejecta potuerunt, sed consilium omne & pœnitentiam irrevocabilis præcipitatio abscidit, & non licet eò pervenire, quò non ire licuisset.* Qui & mox eleganti similitudine: *In primis finibus hostis arcendus est. Nam cùm intravit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit.* Et hæc in omnibus civilibus discordiis verissima sunt. Nam ut ait Tac. *lib. I. Histor. c.* 39. *Initio cadis orto, difficilis modus*; &, ut canit Tragicus,

---------- regi frenis nequit
Et ira, & ardens hostis, & victoria,
Gladiusq; felix; cujus infecti semel
Vecors libido est. ------

Adde eundem *Senecam lib. I. de Clem. cap.* 13.

§. 5. *Donec deessent, qui occiderentur*] *Seneca* lib. I. de Clem. cap. 12. *Sullam appellari tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hostium?*

§. 6. *Inexplebilis honorum Marii fames*] *Euripides*, ut est apud *Plutarchum in vitâ C. Marii*, sapiens & civilium malorum gnarus, vitandam ami-

ambitionem & honorum contentionem præcipuè censet, tanqvam nocentissimum & pestilentissimum, qvi ei obtemperant, genium. Ac sanè bellis civilibus vix aliunde origo, qvàm ab ejusmodi ambitiosis ingeniis. Qvod *Franciscus I.* superiori seculo sapienter videns, inter salutaria præcepta, qvæ de posteritate ac regno solicitus *Henrico filio* dedit, inprimis eum monuit, *ut sibi à Guisianorum ambitione caveret, ac proinde eos publicæ rei gubernaculis non admoveret*, ut testatur vir Illustris *Thuanus lib. XVII. Historiæ suæ.*

§. 6. *Sed impatiens injuriæ statim Sylla*] Sic enim mortales solent. *Eunt in orbem injuriæ, & mutuis vicibus accenduntur compensanturq́*, ut loqvitur *Brunn. lib. XV. Ann. p.* 958. Sed plerumq; contra humanitatem & bonos mores. Hoc enim modo *nihil relinquit ira*, & *altus sepultas obruit gentes cinis*, judice Tragico in *Hercule Fur. v.* 361.

§. 7. *Arcem Capitolii, quæ Pœnos quoque, Gallos etiam Senones evaserat*] Et hic locus ostendit, plus mali nonnunqvam imminere à civibus, amicis & consangvineis, qvàm ab ipsis hostibus; qvâ de re suprà *ad cap.* 18. §. 11. notavi *Polybii* locum. Cui addere potes qvod scribit *Augustinus lib. III. de Civ. Dei. c.* 29. de hoc ipso bello Mariano, Romanos funestiores clades à Mario & Syllâ, qvàm à Gothis accepisse. Verba sunt: *Gothi verò tam multis Senatoribus pepercerunt, ut magis mirum sit, quòd aliquos peremerint.* Similiter *Orosius lib. VII. c.* 39. Sic inferioribus temporibus, cùm eandem Romam cepisset *Arnulphus*, à Pontifice vocatus in auxilium, *tantam stragem edidit, ut si eam examines, nihil sævius Saraceni potuissent*; sicut scribit *Puteanus lib. V. Hist. Insubr. p.* 264. Idem accidit *Carthaginiensibus* apud *Polyb. lib. I. cap.* 31. qvos *Numidæ* non secus ac Romani invaserant: nec pauciora, imò etiam plura qvàm illi damna ditioni ipsorum intulerant.

§. 8. *Imò fortuna alteri bello reservavit*] *Lucanus* de hoc Mario lib. II. v. 85:

> --------- *non ille favore*
> *Numinis, ingenti Superûm protectus ab irâ*
> *Vir ferus & Romam cupienti perdere fato*
> *Sufficiens.*

Non adeò malè. Solet enim Deus Opt. Max. malis hominibus uti, ceu flagellis, ad castigandos eos, qvibus irascitur, imò qvorum salutem qværit per hujusmodi pœnas. Sic *Cæsar*, qvi conculcavit duo sancta nomina, Generum & Patriam, instrumentum fuit Dei, qvi per stragem *Pompeji* & Optimatium reparare cogitabat statum & salutem Imperii Romani. *Duo Vespasiani*, cùm Judæam & Judæos perderent, & exscinderent urbem sacram, fecerunt id qvidem aliâ fini, gloriæ & propagandi imperii; sed errârunt. Reverà lictores & satellites ultionis divinæ fuerunt in impiam gentem, & inscii Christi mortem vindicârunt in Judæâ. Sic *Attila* ab extremis oris advolavit, sitiens sangvinis & prædæ: rapuit, cecidit, usit, vastavit;

& hæc ipsa sævitia Deo militabat, nec aliud, qvàm exercitatio Christianorum fuit, qvi vitiis & deliciis immersi nimis, aut sepulti. Qvemadmodum bonus Magistratus in noxium aliqvem agit sæpè per neqvissimum lictorem; & nobilis pater in magnâ familiâ interdum castigat filium per infimæ conditionis pædagogum: ita Deus, cùm illi visum erit, castigatione dignos sæpè verberat alienâ, & qvidem deterioris, manu. Videndus *Lipsius lib. I. de Constant. cap.* 7. è qvo hæc ipsa delibavimus.

§. 9. *Malè obrutum resurrexit incendium*] Vide notam *ad h.l. c.* 5. §. 14.

§. 10. *Carcer, catenæ, fuga, exilium, horrificaverant dignitatẽ*] Hoc est, Venerationem ejus auxerant, horrorem & religionem qvandam incutiendo, reputantibus tanti viri mirabiles & miserabiles casus, qvos tam constanter pertulerat. Idem contigit *Metello Numidico*, de qvo *Vell. Paterc. lib.* II. cap. 15: *Nec triumphis honoribusqꝫ, quàm aut causâ exilii, aut exilio, aut reditu clarior fuit.* Et *Seneca* ep. 13: *Cicuta magnum Socratem fecit; sed & Metello si detraxeris exilium, magnam partem detraxeris gloriæ.* Hoc ipsum felicissimus humanorum affectuum interpres *Virgilius* expressit *lib. IV. Æneid.* sub personâ Elisæ, qvam non tam nobilitas Æneæ, nec vultus & species corporis, qvàm ipsum infortunium commovebat:

Credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum.

Degeneres animos timor arguit: heu quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!

Adde *Tacit. lib. II. Ann. c.* 25. §. 6.

§. 11. *Itaqꝫ ad nomen tanti viri latè concurritur, & facilè invenit exercitum miser Imperator*] Virorum illustrium infortunia facilè allicere studia, etiam inimicorum, docent *Gruterus disc. X. in Tac. & Freinshem. ad Curt. lib. X. cap.* 7. §. 5. Notatum idem *Tacito lib. XIII. Ann. c.* 55. *Ansibarii validior gens, non modò suâ copiâ, sed adjacentium populorum miseratione: quia pulsi à Chaucis & sedis inopes, tutum exilium orabant*, In recentioribus occurrit fortuna *Francisci I.* Galliarum Regis, de qvo *Thuanus lib. I. Histor: Clade eâ* (scilicet ad Ticinum) *prostratis omninò Galliæ viribus, uti videbatur, tamen rex victus tantum efficere potuit, quantum incolumis vix ausus esset optare, exemploqꝫ suo verum esse comprobavit, regum afflictas res multorum opes allicere ad misericordiam, dum quisqꝫ in præpotentum cladibus efficaciùs conditionis suæ admonetur. Nam Cæsar, licet moderato animo successum hunc tulisset, tamen invidiam Italicorum Principum vitare non potuit, qui timentes rebus suis, etiam non rogati, consilia ultrò communicârunt, ut jacentem Francisci fortunam sublevarent.* Adde, qvæ notavimus ad *Val. Max. lib. V. c.* 3. §. 3.

§. 12. *Poterat videri jure agere, nisi causam suam sævitiâ corrumperet*] Ita Pompejani

cauſæ ſuæ bonitatem corrupiſſe viſi ſunt *Ciceroni*, cujus verba ſunt ad Marium *lib. VII. ep. 3. Fuerunt in oratione ita crudeles, ut ipſam victoriam horrerem. quid quaris? nihil boni præter cauſam.* Idem lib. *IX.* ep. 6. *Victoriam etiam illorum timebam, ad quos veneramus; crudeliter enim otioſis minabantur.* Convenienter *Ammianus lib. XXVI. Hæc implacabilitas cauſæ quidem piiſſimæ, ſed victoriam fœdantis, innocentes tortoribus expoſuit multos, vel ſub oculeo caput incurvos, aut ictu carnificis torvi ſubſtravit: quibus, ſi pateretur natura, vel denas animas profundere præſtabat in pugnâ, quàm lateribus fodicatis omni culpâ immunes, fortunis gementibus univerſis, quaſi læſæ majeſtatis luere pœnas, dilaniatis antè corporibus, quod omni eſt triſtius morte:* Similes *Rorbeckii* adverſus *VValdenrodios* apud *Brunner. lib. XV.* ubi inter alia p. 962. *Odii nondum exſaturati reliquias in VValdenrodiorum clientes effuderunt, immemores humanitatis, unumq; funus nimis prolixè ulti. Certè cùm ad innocentes vindicta pervênit, etiam nocentum cauſa facta melior eſt, valuitq; ad miſerationem ſævitiæ acerbitas.*

§. 12. *Diis hominibusq; infeſtus rediret*] *Marium* adhuc ſuperavit *Sergius Pont. Rom.* ab exilio redux, ut multis refert *Luitprand. lib. I. c. 8.* & cum execratione *Puteanus comment. in lib. V. Hiſt. Inſubr. p. 266.* Plura de id genus hominibus reſtitutis ab exilio eorumq; feritate, dixi jam olim ad *Juſtini lib. XVI. c. 4. §. 6.* Nunc addes valde memorabile, qvod habet *Polyb. lib. IV. c. 17.*

§. 13. *Aliquantò ſæviùs, quàm aut in Punicâ, aut in Cimbricâ urbe, ſævitur*] Sic etiam poſteà ſævitum eſt in Triumvirali proſcriptione, ad qvam ita exclamat *Lipſius lib. II. de Conſtant. c. 24. Heu ſcelera, quibus nihil acerbius Sol ille vidit viſurusq; eſt, ab ortu omni ad occaſum! Appianum, ſi voles, lege, & in eo variam fœdamq; imaginem latitantium, fugientium; ſiſtentium, extrahentium; liberorum circa ejulantium, & conjugum: peream ego, niſi humanitatem ipſam periiſſe dices fero & ferino illo ævo.* Portò nec in Punicâ vel Cimbricâ urbe talia perpetranda ſunt, ſi credimus ſapientibus, humanitatem & clementiam erga devictos hoſtes ubiq; inculcantibus. Vide qvæ de *Epaminondâ* poſt pugnam *Leuctricam* ſcribit *Diod. Siculus lib. XV. c. 57.* de *Hermocrate* idem *lib. XIII. c. 19.* & qvæ congeſsit *Erycius Puteanus ad lib. II. Hiſtor. Inſubr. p. 102. n. 2. & ad lib. III. p. 159 n. 1.*

§. 14. *Cæſar & Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur*] Omninò lego *Cæſares fratres in penatibus*, cum *Schotto.* Sic mox, ubi *Craſſorum* memorat cædem, addit fuiſſe patrem & filium. Alterius ex his fratribus cædem refert *Val. Max. lib. IX. cap. 2. ex. 2.* alterius *Aſconius in eam pro Scauro.* Vide de his cædibus in *VII.* Marii conſulatu *Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 404.*

Itaverò iſti fuerunt agnati C. Jul. Cæſari Dictatori.

Sex. Iulius Sex. F. L. N. Cæsar Cos. A. U. 596.

C. Iulius Cæsar. ejus uxor *Marcia.*

L. Iulius Cæsar. uxor *Popillia*

C. Iulius Cæsar *prætorius.* Uxor *Aurelia C. Cotta* filia,

Sex. Iulius C. F. Sex. N. Cæsar Cos. A. U. 662.

L. Iulius L. F. Sex. N. Cos. A. 663. Cēsor A. 664.

C. Iulius L. F. Sex. N. Cæsar Strabo Orator.

hi *fratres occisi* sunt A. 666.

C. Iulius C. F. C. N. Cæsar *Dictator.*

Qvæ hîc notare volui, ne lector personam cum personâ confunderet, *Cajum* hunc *Oratorem* cum alio *Cajo*. Sed altera ejusdem Schotti conjectura, cùm legit, *Cæsares à Cinnâ*, non placet. Nec enim uni Cinnæ imputabit has cædes, qvi Scriptores Romanos legerit, imò qvi totum hunc locum diligentiùs consideraverit. Nam ut *Antonii, Octavii, Crassorum, Babii, Numitorii, Catuli, Merulæ,* & *Incharii* funera vel omnium crudelitati adscribit, vel Marii, tanqvam Principis; ita non video, qvomodo *Cinna solus* in textum hîc recipi possit, cùm cædes Juliorum istorum æqvè debeatur *Mario*, si credimus *Valerio* citato loco.

§. 6. *Quia*

§. 16. *Quia fatalem illam scilicet manum*] Meminit *Dio in Exc. Peir. p.* 644. ex versione Valesii: *Signum militibus suis dedit, ut cuicunq; adeuntium dexteram non porrexisset, eum interficerent. Eò scilicet res Romana erat adducta, ut non modò indictâ causâ, neq; ex inimicitiis atq; odio, sed signo non porrectæ manus, cives jugularentur.* Inferioribus temporibus erat signum exitii, cùm qvis occursu Principis prohiberetur. *Tacit. lib. XVI. Ann. c.* 24. Vide ibi *Lipsium*. Porrò notat ad hunc locum *Freinshemius*, apud *Plutarchum*, qvi hanc ipsam rem narrat, legendum sibi videri Μαελλᾶι, pro Βαρδιᾶοι. Qvæ conjectura verosimilis videri possit ex eo, qvòd apud Romanos multi à nominibus principum virorum nominarentur. *Tacit. lib. I. Hist. cap.* 51. *Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit, easdem partes secuta, actum acerrima instigatrix adversus Galbianos: hoc enim nomen fastidito Vindice indiderant.* De Dione Chrysostomo observat *Valesius ad Exc. Peir. Dion. pag.* 80. *Coccejanum* se dix isse in gratiam *Cocceji Nervæ*. Sic inferiore ævo *Joviani* & *Herculiani* dicti. *Vales. ad Amm. pag.* 305. Legendum autem omnino, Βαρδαῖοι, Rem ipsam, qvæ est apud *Plutarch.* narrant *Glossæ veteres: Bardei,* Ἰλλυριοὶ δῆλοι, οἱ ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας καὶ Κίννᾳ καὶ Μαρίῳ στρατευσάμενοι. Ptolomæus Ὀυαρδαῖος appellat in descriptione Illyrici: Ἔντὸς δὲ Δαλματίας Δαόρσιοι. ὑπὲρ ὃς μὴ Κομίνιοι καὶ Ουαρδαῖοι. Ita vetus liber Palatinæ Bibliothecæ, qvem citat *Salmas. ad Capitol. Pertin. p.* 128. Hæc ita cùm observâs-

sem, & anno 1645. sub finem æstatis ad amicum perscripsissem, anno 1646. in manus meas venere notæ *Gronovii ad Livium*, eadem contra *Freinshemium* observantis. Vide *illum ad lib. XXVII. c.* 30. Ceterùm de *porrectione manus* inferiore ævo sciendum est, summæ gratiæ signum fuisse. *Amm. lib. XXI. pag.* 184. de Nebridio Præf. Præt. confugiente ad Julianum, cùm eum interficere vellent milites: *Ad genua sua prolapsum Imperator paludamento protexit:* indeq; reversus cùm antegressum eum vidisset, supplicemq; jacentem orare, ut levandi causâ timoris porrigeret dextram: *Ecquid*, ait, *præcipuum amicus servavitur, si tu manum tetigeris meam? Sed hinc, quo libet, abi securus.* De *purpurâ* verò *porrectâ* vide *Ammian. lib. XXI. p.* 189. *Vales. ad Amm. p.* 81.

§. 17. *Quid futurũ fuit si annũ consularis implêsset*] *Freinshemius* legit, *Si annum consulatus.* Ego *Vossium* seqvor, qvi nihil mutandum censet, *notis ad Vell. I. II. c.* 51. Etsi enim, inqvit, *consularis* vix aliter sumitur, qvàm pro *exconsule*; si originem tamen vocis consideres, qvemcunq; extulit consulatus, seu eum *gerat*, seu *gesserit*, rectè eum *consulari* dignitate insignem, ac proinde *Virum* dixeris *consularem*, sive, *consularis dignitatis.* Hæc Voss. ad illa Velleji: *Fieretq; ex privato consularis*, id est, *consul.* Ne qvis tamen hîc addat illud *Plinii in Paneg. cap.* 90: *Concedite me non pro me magis munere isto, quàm pro Collegâ meo Cornuto Tertullo, con-*

sulari viro fungi. Hæc locutus est Plinius *primo die*, cùm consulatum iniisset collegâ Cornuto Tertullo, hoc est, Cal. Septembr. A. U. 852. ut multis probat *Lipsius* in argumento Pliniani Panegyrici. Hinc existimare non nemo posset, & hîc *Consularem* dictum, qvi illo ipso tempore consul erat. Sed corruptus est locus. Scriptum erat in antiqvis codicibus: *pro collegâ meo Cornuto Tertullo, C. V.* id est, *Clarissimo viro*, ut docet *Livinejus.* Qvam lectionem ideò malo, qvòd in vulgatâ, sive *Consularem* accipiamus pro eo, qvi consulatum jam gessit, sive pro eo, qvi tum gerebat, neutrum habeat locum. Non illud; qvia Tertullus nullum alium Consulatum anteà gessisse legitur: non istud; qvia putida πανηολογία foret, Consulem à Consule dici, qvi jam Consulis collega fuit dictus.

§. 19. *Quantâ sævitiâ opus erat, ut Sylla de Mario vindicaretur?*] Non erat. Debebat enim Sylla ob memoriam nobilitatis suæ generosus esse qvàm severus. *Luporum est, & fœdioris ortus bestiarum, ab injuriâ acceptâ ad iras, ab iris ad ultionem decurrere. Leones contrà tunc armantur, cùm parem hostem nacti sunt: victorum pelles despiciunt citiùs quàm trahunt: & ungvem nobilem dedignantur in omni sangvine maculare*, ut loqvitur *Bissetius in Icariâ p.* 217. 218. adumbrans similem locum *Senecæ lib. I de Clem. c.* 5. At hic, ut paulò pòst refertur in §. 23. strinxit etiam in pace gladios, animadvertitq; in eos, qvi se sponte dediderant.

§. 21. In

§. 21. *In patentibus templis*] Nihil religione loci moventur homines impii, cædiumq; avidi. Consulendus *Freinsh. ad Curtii lib. X. c. 9. §. 21.* Cui addo illud *Taciti lib. I. Histor. c. 40. §. 4. Nec illos Capitolii aspectus, & imminentium templorum religio terruêre.*

§. 22. *Sub specie partium se vindicant*] Geminum ac germanum legimus apud *Tac. lib. IV. Histor. c. 13.* de Claudio Civili, qvi cùm spem recuperandæ libertatis cepisset è discordiis Romanorum; tamen ne ut hosti obviam iretur, si à populo Romano palàm desciviſſet, *Vespasiani amicitiam studiumq; partium* prætendit. *Odenatus*, qvasi *Gallieni partes* vindicaret, *Quietum*, Macriani filium, cum *Balistâ* Præfecto interemit. *Treb. in Quieto p. 191.* Et hac simulatione idem non semel vafrè usus est.

§. 23. *Stricti enim & in pace gladii*] Qvod, ut dixi, generosi animi non est; imò ne humani qvidem. Vide *H. Grotium not. ad lib. III. de I. B. ac P. c. 11. §. 13.* Sed ita solet in civilibus bellis. Facto cædium initio, difficulter inhibetur ferrum; qvod & ipsum docui ad *hujus capitis §. 3.*

§. 24. *Bellum erat*] Qvasi dicat, belli jure isti occidebantur: nullum erat in morte ipsorum nefas, ut verbis Virgilianis utar. Fuerunt tamen magni nominis qvà Philosophi, qvà Theologi, qvi & in bello cædes hostium abominarentur. Ex qvàm plurimis unum *Cyprianum* audite: *Madet, in-*

inqvit, orbis mutuo sanguine, & homicidium cùm admittunt singuli, crimen est: virtus vocatur, cùm publicè feritur. Sed hæc restringenda sunt ad bella, qvæ non ex causis justis, sed per ambitionem vel avaritiam suscipiuntur.

§. 24. *In villâ publicâ*] *Gruterus* ad illa *Cic. de haruſp. resp. cap. 8. In villâ publicâ.* Annotavit *Gvilelmius*, Janum Palmerium ex *Asconio in Pisonem* emendâsse: *In Veliâ publicè.* Neq; aliter nuper conjecit *Rubenius lib. I. Elect. c. 7.* & verum dicunt, qvod ad locum; sed dispiciant, qvæso, Critici, num non & ibidem fuerit *villa publica:* si sic; nihil profectò mutandum. mihi otium non est excutiendi antiqvitates meas. Hæc *Gruterus.* Vide *Paneg. VI. c. 21.*

§. 25. *Ex ipso Equestris ordinis flore*] Causam aperit *Ascon. in Orat. Cic.* habitam in Togâ candidâ *p. 149.* Cladem explicat Q. Ciceto ad M. Fratrem de petitione Consulatus cap. 2: *Illis, quos meminimus, Gallis, qui tum Titiniorum ac Nanniorum ac Tanusiorum capita demebant, Sulla unum Catilinam præfecerat; in quibus ille hominem optimum, Q. Cæcilium, sororis suæ virum, equitem Romanum nullarum partium, cùm semper naturâ, tum & ætate jam quietum, suis manibus occidit.*

§. 26. *Oculis, manibus, cruribusq; defossis*] Barbaro ritu, de qvo *Freinshem. ad Curt. lib. V. c. 5.*

§. 6. *Puteanus in lib. III. Histor. Insubr. p. 159. num. 5.*

AD

AD CAPUT XXII.

§. 1.

Hereditas fuit] Qvod idem licet dicere de bellis seqventibus; de qvorum connexione *S. August. lib. III.* de Civ. Dei c. 30. *Crudelia*, inqvit, *bella civilia celeratarum concatenatione causarum, à bello Mariano atq; Syllano, ad bella Sertorii & Catilinæ, quorum à Sullâ ille fuerat proscriptus, hic nutritus: inde ad Lepidi & Catuli bellum, quorum alter gesta Sullana rescindere, alter defendere cupiebat; inde ad Pompeji & Cæsaris, quorum Pompejus sectator Sullæ fuerat, ejusq; potentiam vel æquaverat, vel jam etiam superaverat: Cæsar autem Pompeji potentiam non ferebat, sed quia non habebat, quam tamen illo victo interfectoq; transcendit. Hinc ad alium Cæsarem, qui post Augustus appellatus est, pervenerunt.* Usq; adeò verum est qvod ait *Sallustius in Jugurth. c. 88. Omne bellum sumi facilè, verùm ægerrimè desinere*; atq; ita sæpè bellum ad posteros ἀπροσδόκητον struitur, ut appellat *Cic. lib. IX. ad Attic. epist. 12.*

§. 2. *Malis suis maria terrasq; permiscuit*] Vide notam *ad lib. IV. cap. 1. §. 7.*

§. 3. *Viro cum Viris facilè convenit*] Ad hunc locum facit discursus *Vossii lib. II. Instit. Orat. c. 4. sect. 4. Rittersh. ad Salvian. p. 357.* adde notam *ad lib. I c. 7. §. 3. Amm. lib. XXVIII.* pag. 365: *Solent pares facilè congregari cum paribus.*

§. 5. *Et*

§. 5. *Et quid futurum fuit? satis tanto hosti uno Imperatore resistere res Romana non potuit*] Hæc *Salmasii* lectio verissima mihi videtur. Exprimit metum Romanorum, & spem hostium. *Inito*, inqvit, *fœdere, & missâ in auxilium Mithridati classe quid futurum fuit*, hoc est, *quid non imminebat populo Romano?* Sensu tam manifesto, frustra lacunam esse post illa verba, *& quid futurum fuit?* suspicatur *Freinshemius*, qvorum sensus suppletur ex antecedentibus. Alibi solet aliter (non nego) &, uti *Freinshemius* voluit, ita locutus est supra *c. 21. §. 17. Quid futurum fuit, si annum Consularis implêsset?* Sed ob id suspectam reddere lectionem librorum veterum, qvæ & ferri & explicari potest, non est meum. Τὸ ET, respicit ad seqventia, eademq; ita connectit superioribus. Cùm Sertorius fœdus inîsset cum Mithridate, eumq; jam classe posset juvare, qvid futurum fuit? præsertim cùm solus Sertorius tantum negotium faceret populo Romano, ut ad ipsum debellandum opus esset duobus maximis Imperatoribus. Puto omnia plana esse, nec aliis verbis opus, qvibus suppleatur Auctor.

§. 8. *Misera inter Romanos duces Hispania*] Sic *Asia*, bellum inter se gerentibus *Antiocho* & *Seleuco* fratribus, in medio qvasi præda relicta erat, & qvòd reges deliraverant, sola plectebatur: *quo ferè omnia bella tandem recidunt. Carò omnibus provinciis regnisq; constat, humanum alicubi sanguinem bibis-*

bibisse; quocunq; etiam belli fortuna inclinet, regna ipsa etiam inter victorias sunt miserrima, ut pulchrè disserit *Brunnerus lib. I. p.* 137. 138. diffundens illa *Justini lib. XXVII. c.* 3. §. 3. *Eâ tempestate omnia bella in exitium Asiæ gerebantur*; simulq; respiciens ad illud Horatii:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

„Hìc cumprimis notandum *civitatibus ac nationibus liberis, ne urgente nullâ necessitate, litem alie-*
„*nam suam faciant, aliosq; in provincias suas*
„*evocent, qui res eorum per prospera per adversa af-*
flictent, idemq; illis contingat, qvod *Hispanis*, qvi *Sertorium* supinis manibus exceperant, qvasi sub egregio duce liberam rapiendi & prædandi facultatem adepturi: qvæ res ipsis ultimo penè stetit exitio, Romanis in se concitatis, ac Sertorio velin-
„vitis ipsis imperante, eosq; & *eorum regionem*
„*maximis malis involvente*, cùm idem illis accide-
„rot, qvod *equo Æsopico*, de communibus herbis
„cum *cervo* depugnanti. Simile contigisse *Bojis*, qvi *Transalpinos* exceperant, narrat idem *Brunnerus lib. II. p.* 156. 157.

§. 9. *Osca, Terme, Tutia, &c.*] Hunc locum, qvi non benè habet, ita restituit *Vossius ad Vell. lib. II. cap.* 30. *Ipsæ quoque in Romanam fidem venêre urbes, Osca, Termes, Tutia, Valentia, Vxama, & in fame nihil non experta Calagurris*; è Plinio, Ptolemæo, & Orosio.

AD

AD CAPUT XXIII.

§. 2.

Si tamen posset sine magnâ clade Reipublicæ] Salus populi suprema lex est; cujus conservandæ nonnunqvam in unum vel alterum privatorum iniqvitas admittenda est. Ita qvos Sulla proscripserat, æqvum fortasis erat reducere; sed inutile Reipublicæ, qvòd acta Syllana sine bello civili rescindi non poterant: Vide *Cic. Verr. V. cap.* 35. item *Quinctil. lib. XI. cap.* 1. è *Cic. Orat.* de proscriptorum liberis: *Quid crudelius, quàm homines honestis parentibus ac majoribus natos à rep. summoveri? sed ita legibus Sullæ continetur status civitatis, ut his solutis stare ipsa non possit.* Adde *Manut. ad lib. II. Cic. ad Att. ep.* 2. *pag.* 72. Præstabat igitur illos exulare, qvàm propter eos totam Rempublicam pessum dari. Hoc est qvod ait *Cassius* apud *Tac. lib. XIV. Ann. c.* 44. §. 7. *Habet aliquid exiniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publicâ rependitur.* Secutus est Augustus, qvi ut est apud eundem *lib. I. c.* 9. qvædam *vi tractavit, ut ceteris quies esset.* Adde *Forstnerum ad Tac. lib. I. Ann. pag.* 31. 32. *Scipionem Amiratum lib. XIV. disc.* 7. *Lipsium lib. II. de Const. cap.* 17 *sub f.*

§. 3. *Quid aliud, quàm ad bellum vocabantur*] Hinc constat, qvàm periculosum sit exules reducere, vindictæ semper cupidos. Nisi qvòd *Thrasybulus* & *Aratus*, duo maximi viri, LEGE

OBLIVIONIS tranqvillitati *Reipublicæ*, in qvam exules reduxerant, consultum existimârunt, ut est apud *Cor. Nepotem in Thrasybulo & Plut. in Arato*, de qvâ ἀμνησίᾳ dixi & ipse *ad Vell. lib. II. c. 58.* Confer *Scip. Amirat. lib. XX. disc. 8.* nec non consilium *M. Valerii Corvi* apud *Pighium, in A. U. 411.*

§. 4. *Expediebat ergò, quasi ægræ sauciæq; Reipublicæ*] Cavendum inprimis Politicis, ne intempestivis remediis adhibitis mala civitatis exasperent. Multa enim, tanqvam mala ulcera, non tangere præstat; & inprimis acta & judicata rescindere, cum magno discrimine est conjunctum; omninòq;, ut habetur apud *Thucyd. lib. III. melior ejus civitatis fortuna est, quæ deterioribus, modò firmis immotisq; utitur legibus, quàm quæ bonis inconstanter.* Et hinc *Aristoteles lib. V. Polit. c. 9.* inter alia in cive Magistratum gererente hoc potissimum reqvirit, ut *amet præsentem civitatis statum.*

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.

Sic in Politicis hodiè pessimo publico errata gravioribus erratis curamus, quod nolebat olim Periander: μὴ, dicebat, ἴω κακὸν κακῷ. *Piccart. parer. 5. disp. XX. p. 221.* Confer *Tacit. lib. I. Ann. c. 54. §. 4 lib. II. Ann. c. 33 §. 6 Scip. Amir. lib. I. disc. 8 Lipsl. lib. IV. Polit. c. 3. n. 17. & seqq. Salmas. de Usuris, p. 665. 666.* Denique huc pertinet illud *Casauboni epist. 150. Non semel commemoras, lapidem vel malè positum non esse*

se commovendum. Agnoscis enim tua verba: Toleranda sunt adulta vitia temporum. Sed qvod notandum, hæc ratio, *hoc axioma, in causâ religionis non satisfacit*; ideoq; ibidem rejicitur à *Casaubono.* Adde locum *Ciceronis lib. VIII. epist. 14.* de censurâ *Appii Claudii Pulchri* corruptissimis temporibus; & notam nostram ad illa *Sallust. in Catil. cap. 52: Multos advorsos habeo.*

NOTÆ AD LIB. IV.

CAPUT I.

§. 1.

CAtilinam luxuria primùm] Jam sæpiùs notavimus hanc rerum publicarum pestem. Qvi plura desiderat, adeat *Chrysostomum Orat. Tharsitâ priore, Petron. in Satyrico, Athenæum lib. XII. S. August. lib. I. de Civit. Dei cap. 30. & seq. Gratium in Cyneg. p. 15. & Barthium in illum Poëtam pag. 118. 119. 120.* De ipso autem Catilinâ videatur *Ioh. Antiochenus in Exc. Peir. p. 796.*

§. 1. *Tum hinc conflata egestas*] Hæc ipsa causa *L. Lentulum* consulem, *P. Scipionem* Pompeji socerum, *Faustum* Sullæ filium, *L. Scribonium Libonem* in arma civilia egit. De *Lentulo* sic *Cæsar lib. I.* de bello civili: *Lentulus æris alieni magnitudine movetur.* De Scipione, Fausto, Libone *Cic. ep. 9. lib. IX.* ad Atticum. *Quid tu illic Scipionem, quid Faustum, quid Libonem prætermissurum sceleris putas? quorum creditores convenire dicuntur.*

§. 1. *Tum hinc*] E luxuriâ. Igitur facetè *Plautus in prologo* Trinummi *Luxuriæ filiam* facit *Inopiam*: qvam qvidem filiam ibidem se prædicat adolescenti luxurioso nuptam dedisse, ut cum ipsâ ætatem ageret, qvoniam ei, qveî se alat, nihil videat esse reliqvi.

§. 1. *Simul occasio*] Vide notam ad *Sallust. Catilin. cap.* 16. §. 4.

§. 3. *Quibus* (*ô nefas!*) *sociis*] Locus parallelus *lib. III. c.* 21. §. 2.

§. 4. *Additum est pignus conjurationis, sanguis humanus*] Non multum abludentia de *Scythis* scribit *Solinus c.* 25. de *Saracenis Nicetas Choniat. lib. II. de Imperio Isaaci Angeli pag.* 444. Ceterûm horror animum subit, Catilinam adhuc superâsse, qvi nostrâ memoriâ conjurârunt in caput *Iacobi VI. Britanniæ Regis* & Principum totius regni, abusu scilicet sanguinis ipsius Salvatoris nostri; qvâ de re ita *Casaub. ep.* 170. ex actis publicis: *Certissimum est, & principio statim, ut quisq; ad societatem infandi criminis est admissus, eum sumptâ Eucharistiâ ad servandum silentium fidem suam adstrinxisse; & posteà non semel in eundem finem hoc Sacramentum esse repetitum.* Vide ibi plura.

§. 6. *Indicium per Fulviam emersit*] Ut pleraq; per hunc sexum, plenum rimarum: & inter rariora numerandum, qvod de *Leænâ* scribit *Plutarchus in libr. de garrulitate*; de *Porciâ*, M. Bruti conjuge, idem in *vitâ Bruti*; de *Epichari Tacitus lib. XV. Ann. c.* 51. & 57. §. 7. *Sed*

§. 7. *Sed non amplius profectum, quàm ut hostis evaderet*] Ampliùs profeciſſet Cicero, ſi *Svadæ* ſuæ junxiſſet *vim Conſularis poteſtatis*, & adhuc in urbe peſtem oppreſſiſſet. Nunc, dato fugæ ſpatio, eò res devenit, ut aperto bello confligendum eſſet cum Catilinâ. Huc pertinet judicium illud non malum *Ruſtici*, peſsimi alioqvin viri, apud *Agathiam lib. IV. p.* 104. & 105. *Vbi machinationibus jam in actum de ductis, nihil ad remedium fit reliqui, ſed jam jam omnia peſſum eunt, ſublatâ unà cum communi ſalute omni etiam ejus ſpe; ibi prudentibus viris acceleratione eſt utendum, & ne irremediabile aliqvod malum accipiant, præcavendum.* Secutus eſt hoc conſilium *Ageſilaus* ille apud *Val. Max. l. VII. c.* 2 §. 12. *Titus Veſpaſianus* apud *Sveton.* in ejus vitâ c. 6. §. 6. ubi vide *Bernegg.* Svaſit id ipſum *Cato* apud *Salluſt. c.* 52. ſtatim in pr. verbis deſumptis è *Lycurgi Oratione adverſus Leocratem*, ut obſervat *Scipio Gent. lib. I. de Conjur. pag.* 38. & *lib. I.* Παρέργων *c.* 31.

§. 7. *Seq; palàm profeſſo*] Malim cum *Voſſio ad Velleji lib. II. cap.* 35. hic legere, *profeſſus*; ut ſit ſenſus: hoc ipſo ſeſe hoſtem profeſſum eſſe, cùm diceret: *Incendium ſuum reſtincturum ruinâ.*

§. 7. *Incendium ſuum reſtincturum ruinâ*] Vox inhumana; qvalis illius fuit, qvæ ſenario reddita in proverbium abiit:

Ἐμὲ θανόντα γαῖα μιχθήτω πυρί.
Terra ignibus me miſceatur mortuo.

Detestatur graviter *Cic. lib. I II. de Fin.* & *Seneca lib. II. de Clem. cap. 2.* Usurpavit *Tiberius* apud *Io. Antioch. in Exc. Peir. p.* 803. Nero adhuc in deterius vertit, cùm diceret, ἐμοῦ θανόντος. Atqve ita fecit Phaëton iste orbis terræ, ut eum nominat Plinius. Non absimile illud Damonis apud Virgilium in Pharmaceutriâ:

Omnia vel medium fiant mare; vivite sylvæ.

Idem animus *Mithridati* supra *lib. III. c. 5. §. 21.* & *Maxentio* apud auctorem *Paneg. VI. c. 16.* De his talibus *Brunnerus lib. XIV. p.* 803. *Suo malo nati, publicoperituri, ignobilem ruinam aspernantes, quâ singuli obruuntur, aut duntaxat perire digni.* An & huc referri debet illud *Plinii lib. VI. ep. 20. Possem gloriari non gemitum mihi, non vocem parùm fortem in tantis periculis excidisse; nisi me cum omnibus, omnia mea mecum perire, misero, magno tamen mortalitatis solatio credidissem.* Ita judicat *Casaubonus* ad Saturninum *Vopisci*, & inter voces inhumanas recenset, qvamvis in ore hominum & veterum scriptis freqvens sit. Mihi discrimen aliqvod videtur intercedere. *Aliud* enim est, ruinam totius appetere, & qvantum in se est accelerare, cum Catilinâ, Nerone & id genus prodigiis; *aliud*, ex interitu rerum omnium fatum suum saltem consolari, qvod sine impietate credo fieri posse. Qvid enim culpæ habet illud *Cic lib. VI. epist. famil. 2. Nihil est præcipuè cuiquam dolendum in eo, quod accidit universis.* Ubi adjicit Sapiens, *miseram quidem hanc esse*

esse consolationem. Et ad hunc locum respexit *Plinius d. l. VI. ep. 20.* qvi *Ciceronem* in omnibus *amulari conatus* est, ut ipse scribit *lib. I. epist. 5.* & *lib. IV. ep. 8.* Similis locus ejusdem *Cic. d. l. ep. 6.* consolatoriâ ad Cæcinam: *Commemorarem non solùm veterum, sed horum etiam recentium vel ducum vel comitum tuorum gravissimos casus, etiam externos multos claros viros nominarem. Levat enim dolorem communis quasi legis & humanæ conditionis recordatio.* Eodem igitur modo locutus est Plinius, non ex voto ruinæ communis, sed ex comparatione fortunæ suæ cum fortunâ omnium, minoris cum majore; *Erexi me*, inqviens, *cùm viderem omnium idem fuisse fatum.*

§. 12. *Quem quis in pugnando ceperat locum*] Simile qvid leges apud auctorem *Paneg. VI. c. 17.* Potuisset igitur è contrario simile qvid de Catilinâ dici, cujusmodi *Agesilaum* de malefico qvodam, tormenta constanter perpesso, dixisse refert Plutarchus: *O te pessimum, qui in rem pessimam & omnium maximè nefariam tantam istam fortitudinem impendisti!*

AD CAPUT II.

§. 1.

Qvàm ut ullis externis viribus extingvi posset] *Sallust. Orat. de Republ. ordinandâ* I: *Ego sic existimo; quoniam orta omnia intereunt, quâ tempestate urbi Romanæ fatum excidii adventârit,*

cives cum civibus manus conserturos; ita defessos & exsangues regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neq; cunctæ gentes conglobatæ movere aut contundere queant hoc imperium. Qvam sententiam his versibus expressit *Virdungus in Bruto* Tragœdiâ:

------ *Sic equidem reor,*
Quando cunq; diem neverit ultimum
Romano Imperio Parca, fore ut furor
Civilis quatiat, misceat omnia:
Sic vinci facilis fessa malis erit
Urbs rerum domina; atq; insuperabilis
Ni cives properent exitium sibi.

Simili monetâ percussum illud *Virgilii lib. VI. Æn.* ubi de Marcello:

---- *nimium vobis Romana propago*
Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.

§. 1. *Itaq; invidens fortuna*] Vide notam *ad lib. I. c. 13. §. 1. & ad Valerii Max. lib. IV. c. 1.* Cerialis apud *Tacit. lib. IV. Hist. c. 72.* dictitabat *fato acta*, qvæ militum ducumve discordiâ, vel fraude hostium evenissent.

§. 3. *Totum deniq; quà patebat Imperium*] Unde *Cic. II. epist. fam. 16. Nulla est acerbitas, quæ non omnibus hac orbis terrarum perturbatione impendere videatur.* Prævidit *idem VI. ad Att. 9. & VII. ad Att. 1.* ubi: *Videre mihi videor tantam dimicationem, quanta nunquam fuit, &c.*

§. 3. *Quo-*

§. 3. *Quodam quasi diluvio & inflammatione*] Videtur nostro in animo fuisse locus Senecæ lib. III. Nat. Qvæst. c. 1. *Philippus, Alexander, ceteriq; exitio gentium clari, non minores fuêre pestes mortalium, quàm inundatio, quâ planum omne perfusum est; quàm conflagratio, quâ magna pars animantium exaruit.*

§. 5. *Totus Senatus in partibus*] Hoc vel inprimis causam *Pompeji* favorabilem reddidit, qvòd penè totus Senatus, qvem *pulcherrimum Reipubl. prætextum* ideò nominat *Sen. epist. 71.* ejus partes seqveretur. Sic enim factum, ut ab ipsius partibus Respublica, à Cæsaris, hostes Reipubl. constitisse viderentur, ut de *suis* partibus & *Vitellianis* apud *Tac. lib. I. Hist. c. 84 §. 6.* prædicat *Otho.* Adde *Senecam* eundem *epist. 104.* ubi distingvit *Catonis* & *Reipubl.* partes à partibus *Pompejanis*, qvòd salus Reipubl. apud Pompejanos tantùm esset σχῆμα. Divinè *Jul. Cæs. Scaliger*, cùm Pompejum diceret *Tyrannum cum multis*, ut refert *Johannes Bergius* Rutenus Medicus. Pro *potentiâ unius*, non pro Rep. pugnatum, agnoscit *Cic. lib. VII. ad Att. 3. 7.* & inprimis *lib. VIII. ad Att. ep. 11.* Pompeji & Reip. causam separat *lib. IX. ad Att. ep. 5.* Similis mimus actus est superiore seculo sub *Carolo IX.* puero rege, ab incentoribus bellorum civilium per Galliam. Ut enim ipsi viderentur protectores regis regniq;, adversarii verò, *Protestantes* & *Condeani*, proditores & rebelles; dederunt operam, ut ipsum regem reginamqve matrem tan-

tùm non captivos secum haberent ac circumduceret.

§. 8. *Causa tantæ calamitatis eadem quæ omnium, nimia felicitas*] Eodem planè modo *Seneca* ep. 91 : *Cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas invenit.* Et hæc primum nostrum parentem Paradiso exturbavit, ut *ad Athen.* monet *Casaub.* Causam reddit *Brunnerus lib. I. p.* 134. *Sed neq; domi multò meliora; cùm eadem utrobiq; causa esset, nimis bona scilicet Fortuna, quæ rarò meliores facit; imò bonos ægrè patitur; hinc quoties illam mortales non accusant, cogimur nos de malis moribus queri.* Adde *diss.* 1. *ad Val. Max. lib. II. cap.* 2. §. 6.

§. 8. *In Pompejanis theatris*] Loqvitur figuratè. Novimus enim *unum* saltem *Pompeji theatrum.*

§. 8. *Cantaret*] An alludit ad *Musica* illa *spectacula* qvæ teste *Dione* Pompejus exhibuit? malim referre ad solennem illum *acclamandi* ritum, de qvo *Casaub.* in *Volcatii Cassium.*

§. 8. *Nimia Pompeji potentia apud otiosos, ut solet, cives movit invidiam*] Convenit illud *Arist. lib. VII. Polit. cap.* 15. *Rerum secundarum tranquillitas & jucunditas, otiumq; cum pace conjunctum, petulantes & contumeliosos reddit.* At *districtis* (ut refert *Sen. ep.* 56.) *lascivire non vacat.* Sed & omnes inferiores ad invidiam proni. *Himerius* apud Photium : *A Cleone accusatus Pericles, à Nicia*

quia urbe pulsus Hyperbolus, capitis damnatus Demades rogatione ad populum Demosthenes, proscriptus à Cleophonte Alcibiades, convitiis lacessitus à Seriphio Themistocles. Qui enim excellenti aliorum fortunæ invident, minorem dignitatem suam, sive defectum dignitatis, quem in se sentiunt, audaciâ compensare conantur: ut discussis *Schotti* nebulis locum interpretatione suâ clarum reddit *Reinesius lib. III. Variar. Lect. c.* 6. Sic etiam omnes pauperes libenter invident opulentioribus, ut ad hunc locum notavit *Freinshemius*; & vide notam nostram *ad Sallustii Catilin. c.* 6. §. 3. *& ad cap.* 37. §. 2. *Pigh. in Hercule Prodic. p.* 333, *Vossium lib. II. Instit. Orator. c.* 12. *sect.* 5.

§. 9. *Cato adversus potentes semper obliquus*] Sed solus; cùm ceteri periculum timendo silerent : qvam rem exitiosam esse Reip. notat *Freinshem. ad Curt. lib. VII. c.* 4. §. 9.

§. 9. *Hinc dolor transversum egit*] Multa hac in re culpa fuit *Catonis*, qvi affinitatem *Pompeji*, petentis ejus sibi filiam in matrimonium, repudiavit, passusq; est illum devolvi ad Cæsarem, & conciliare nuptias, qvæ Pompeji & Cæsaris opes in unum contrahentes, extinxerunt Rempublicam. Rectè igitur Cicero *lib. II. epist.* 1. *ad Attic.* Stoicam istam regendæ Reip. rationem reprehendit in Catone, ejusq; culpâ omnia periisse testatur, qvamvis is optimo animo in illis rebus uteretur, sed cum ejusmodi consiliis ad Rempubl.

Pla-

Platonis ablegandus, non in Romuli fece relinqvendus. Eodem planè modo peccavit *Galba*, cui cùm minimè convenire videretur disciplinæ militari largitio, Prætorianis militibus negavit donativum, adeoq; sibi breve imperium fecit. Qvâ de re ita *lib. I. Histor. c.* 18. Tacitus: *Constat potuisse conciliari animos quantulacunq; parci senis liberalitate. nocuit antiqvus rigor & nimia severitas, cui jam pares non sumus.* Etenim ita tum corrupti erant militum Prætorianorum animi, ut nisi largitione conciliari nullâ aliâ ratione possent. Sed ita sæpè solet. Dum nimis retinentes sumus alicujus publicæ honestatis aut juris, fit ut injuriam & injustitiam omnem inducamus intra mœnia; qvæ sunt verba *Merceri ad Tacitum*. Nimirum multis deest prudentia illa πολιτικὴ, cujus consilia, ut necessitate temporum expressa, & sapientes excusant; prudentes etiam laudant. Qvam in *Tiberio* fuisse colligo è *Taciti lib. I. Ann. c.* 54. §. 4. Inteream tamen & malitiam astutam, qvam κακοπραγμοσύνην *Polybius* appellat, multum interest. Deniq; *Catoni* ad omnia similis fuit *Probus* Imp. de qvo velim videas *Julianum in Cæsaribus*. Et *M. Brutus*, si stamus judicio Cassii apud *Plut. in Bruto p.* 1000.

§. 11. *De invadendâ repub. facilè convenit*] Sicut posteà *Antonio*, *Lepido* & *Octaviano*, cetera semper discordibus. Porrò hinc *Tricipitinam* suam scripsit *Varro*, cujus meminit solus *Appianus lib. II. Civilium*.

§. 13. *Quæ nupta Pompejo, generi socerique con-*

cordiâ matrimonii fœdere tenebat] Incertus *Pan. V.* cap. 13. *Affinitas semper summos in Republ. viros ad concordiam copulavit. Etenim quamvis dissidentes familias, Gracchi & Corneliam matrimonium reduxit in gratiam: pro divo Augusto Actiacam victoriam tantummodo gener Agrippa confecit.* Adde *Grut. ad Liv. lib. I. c.* 49. *& lib XXIV. c.* 41.

§. 14. *Jam Pompejo suspectæ Cæsaris opes*] Et hanc æmulationem commisisse Carthaginem cum Româ, Latinos aliasq; nationes cum eâdem, jam suprà pluribus edocti sumus. De Pompeji verò livore in Cæsarem ita *Lucanus* lib. I. v. 120:

----- Stimulos dedit æmula virtus.
Tu novane veteres obscurent acta triumphos;
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times.

§. 14. *Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem*] *Josephus Iscanus lib. V. de Bello Trojano* huc respexit, dum caneret:

Quod si gentiles animos cognoscere certum,
Certantesq; ausus, dignetur nemo priorem,
Erubeat sibi quisq; parem.

§. 16. *Veniret, & peteret majorum more*] Hostilitas nimis manifesta, exigere id à Principe civitatis, qvod in ceteris non attendebatur. Qvantus enim eorum numerus, qvi Consules creati sunt absentes? Longè prudentiores illi, qvi, ne potentiores offendant, statuunt aliqvid *generaliter & in*

omnes

omnes; qvod fecerunt illi *Carthaginienſes* apud *Juſtin. lib. XXI. c. 4. §. 5.* Conſulendi *Forſtnerus ad Tacitum p. 325. & 326. & hypomnemate polit. VII. p. 39. Bern. ad Svet. Caſ. c. 7. Grut. ad Liv. lib. XLVI.* Qvibus addo illud Jovis apud *Senecam* in Apocoloc. *Ne videar in perſonâ, non in rem, ſententiam dicere; cenſeo, ne quis poſt hunc diem Deus fiat ex his*, qvi ἀρόσεις καρπὸν ἔδεται (id eſt, *agrorum fructu veſcuntur*) *aut ex his, quos alit* ζειδωρος ἄρουρα (hoc eſt, *frumentiferum rus.*)

§. 19. *Et peractum erat bellum ſine ſanguine, ſi Pompejum Brundiſii opprimere potuiſſet*] Hunc locum ſatis illuſtrat *diſcurſus Gruteri X.* ad illa verba *Taciti lib. IV. Ann. c. 25. niſi duce interfecto, requiem belli fore.*

§. 20. *Turpe dictu! modò princeps patrum*] Similis hypotypoſis apud *Juſtin. lib. II. cap. 13. §. 10.* apud *Curtium l. IV. c. 1. §. 1.* apud *Tac. l. III. Hiſt. c. 68.* Hic tamen non fortuna, ſed *imprudentia Pompeji* accuſanda eſt, qvam aliqvoties notat *Cicero ad Atticum*, & ipſe *Atticus*, ἀλογίστως illum & urbem & Italiam reliqviſſe dicentes. Unde qvantus ſit eorum hiſtoricorum error, qvos *Plutarchus in Pompejo* tradit, hunc Pompeji ex Italiâ diſceſſum in ſummi ſtratagematis numero poſuiſſe, facilè qvis cognoſcat. *Dio* qvoq; *lib. XLI.* hoc Pompeji conſilium ſummopere vituperat, atq; ita eum diſceſſiſſe ex Italiâ ſcribit, ut pro antepartâ gloriâ, opinionem ignaviæ & infamiam deſertæ patriæ retulerit. Proinde & *Cicero* eò usq; prorumpit indignationis, ut eum ἀπολιτικώτατον καὶ ἀστρατηγικώτατον non dubitet appellare. *lib. IIX. ad Attic. epiſt. 25.* Qvantò fortiùs *Scipio*, fatalis juvenis belli Punici ſecundi, apud *Livium lib. XXII. c. 53*?

§. 22. *Siciliam & Sardiniam, annonæ pignora, per legatos habet*] Hic qvoq; nihil reliqvum nobis fecit *Gruterus diſcurſu LII. in Tacitum*, ubi per totum diſſerit, *infelicem* eſſe *expeditionem* abſq; accuratâ *annonæ* curâ.

§. 23. *Nihil hoſtile erat in Galliâ*] Sed ne in totum pax eſſet, fecit *Maſſilia*. Unde notandum σφάλμα μνημονικὸν *Manutii ad lib. IV. epiſt. Cic. 5. pag. 419.* ubi negat, bello Pompejano motum fuiſſe in Galliâ; cùm h coppugnata legatur Maſsilia. Et qvid noſter de hoc bello *ſupra* §. 6? *Inde ſe in Galliam Hiſpaniamq; deflexit.*

§. 23. *Miſera, dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit*] Hoc ſæpè fit in rebus humanis, ut dum aliqvod incommodum vitare volunt homines, id ſibi attrahant, & vitando fata in ipſa fata incurrant. Qvod oſtendit idem *Gruterus ad Liv. lib. VI. cap. 16.* Rectè verò reprehendit noſter hoc factum *Maſſilienſium*, ſicut & *Vellejus lib. II. cap. 50.* qvòd ſe interpoſuerint tam gravi bello. Inferiorum enim eſt qviescere. *Liv. lib. IX. c. 14.* de Papirio: *Signa inde ferre juſſit, & copias eduxit; vaniſſimam increpans gentem, quæ ſuarum impotens rerum, aliis modum pacis ac belli facere æqvum cenſeret.* Longè prudentiùs *Heraclienſes*, de qvibus *Memnon apud Photium* cap. 38: *L. Murena &*

Mi-

Mithridates pro se quisq; contra alterum per legatos, Heraclienses de auxiliis solicitabant. Sed cùm potentia Romanorum formidabilis videretur ipsis, & Mithridatis etiam vicinitatem timerent, legatis respondent, in tantâ bellorum tempestate, difficulter se proprios lares tueri, nec dum aliis auxiliari posse. Ipse *Polyb. lib. IV. cap.* 30. censet, ignoscì debuisse *Acarnanibus*, si sese cum *Philippo* & sociis contra *Ætolos* conjungere abnuissent, qvòd Ætolis essent contermini, & ipsi per se facilè possent debellari; tum autem, qvod rei caput, non multis antè annis, propter odium Ætolorum graviſsima infortunia sustinuissent. Sed tamen hic addo, *si quiescere licet per honestatem.* Nam *Messeniorum* detrectatio hac in parte fuit inexcusabilis; de qvibus vide eundem *Polyb. cap. seq.*

§. 24. *Græcula civitas, non pro mollitie nominis*] An Græci nominis, ut *Freinshemius* capit? Malim intelligi *Massiliense* nomen, ob *mollitiem* infame; qvales pleræq; *urbes maritimæ*, divites & otiosæ. Hinc *T. Arius* qvi Masiliam relegavit filium suum, apud *Senec. lib. I. de Clement. cap.* 15. dicitur damnâsse *exilio delicato*, ut ibidem legit *Lipsius*. Apud *Plautum in Casinâ*, *mores Massilienses* sunt impudici & obscœni. Sed cùm contrarium de hac civitate affirment *Cicero* tum alibi, tum *pro L. Flacco*, *Tac. in vitâ Agricolæ cap.* 4. *Valer. lib. II. c.* 1. *Iustin. lib. XLIII. cap.* 4. §. 12. *Strabo. lib. IV. Plinius lib. III. c.* 4. qvidam per *impuditam Massiliam* intelligere maluerunt non Gallicam istam, sed *Lybicam* seu *Africanam*. Videndus *Erasmus* in proverbio *Naviges Massiliam*, & *E Massiliâ veniſti*: & *Lambertus Hortensius in Luc. lib. III. p.* 373. Hujus incolæ, ait *Rittershusius ad Oppiani lib. I II. Halieut. v.* 544. à Dionysio Afro περιηγήσει vocantur tum Μασσαισύλιοι, tùm Μασυλῆες, qvasi una eademq; fuerit natio. Sed fallitur vir optimus doctiſsimusq;. Diversi namq; erant populi Numidiæ Μασαισύλιοι, qvos Livius *Masæsulos* vocat, & Μασυλῆες, *Massyli*: Illis imperabat *Suphax*, his adversarius illius *Masanissa* uno eodemq; tempore. Vide *Sigon. Scholiis in Livii lib. XXIV.* ex ipso *Dionysio*, ejusq; Scholiaste *Eustathio*, *Stephano*, & *Appiani Libyco*, de duabus istis nationibus eruditè differentem. *Massylos* vocat *Nic. Damascenus* Μασυλιεῖς ex emendatione *Valesii*, qvem vide *ad Exc. Peir. pag.* 74. At *Massylienses* Galli Græcis dicuntur Μασσαλιῆται, ut *Appiano in iisdem pag.* 547. Vide ibi *Vales. p.* 77. Sed ad propositum nostrum. Non placet qvod *Erasmus* & *Hortensius* moliuntur, & meritò diffidit idem *Rittersh. d. l. & ad Salv. p.* 574. *Virdung. ad Agric. Tac. c* 4. Eos seqvor, distinguentes tempora. Alio namq; benè moratos fuisse, alio molles & effeminatos Masilienses istos Galliæ, qvidnì verosimile est? Hic certè Flori locus id ipsum innuere videtur, Masilienses Gallos vulgò malè audiisse ob mollitiam, sed tempore belli civilis præstitisse se viros. Sic aliæ mutârunt nationes, & qvi olim fuerunt duri ac strenui, imbelliâ & luxuriâ hodiè jacent, & contrà.

§. 27. *Obsessorq; ipse quasi obsidebatur*] Freinshemianis adde illud *Polybii lib. I. c. 84. Matho verò ac Spendius non minùs obsidebantur, quàm obsidebant. Tantâ enim rerum inopiâ eos premebat Amilcar, ut tandem obsidione desistere cogerentur.* Non abludit illud *Iustini lib. XXII. cap. 5. §. 12. Gloriam certè tam honestæ militiæ tantam in omne ævum futuram, ut terminari nullo tempore oblivione possit; ut dicatur eos solos mortalium esse, qui obsessores urbis suæ obsederint.*

§. 28. *Pax fluminis*] A Poëtis mutuatus est hanc elegantiam. *Statius:*

Ut si quando ruit debellatasq; reliquit
Eurus aquas, pax ipsa tumet, ---

Ita, qvod observat *Giphanius* Indice Lucretiano in *Pax*, Silius *pacem æquoris* dixit, ut Lucretius ipse lib. V. *ventorum paces*. Non absimili formâ *Tacit. lib. XII. Annal. c. 43.* dixit *modestiam hiemis*, qvâ frumentum navibus potuit subvehi, ibi: *Quindecim dierum alimenta urbi, non amplius, superfuisse constitit, magnâq; Deûm benignitate & modestiâ hyemis rebus extremis subventum.*

§. 29. *Omnia felicitatem Cæsaris sequebantur*] Qvæ hic fortuna Pompejanorum & Cæsaris fuit, eadem Persarum & Alexandri non uno in loco, sed omnibus. Vide *Curt. l. IV. cap. 1. §. 35.* & ibi *Freinshemium.*

§. 30. *Quasi de industriâ prospera ejus adversis radiarentur*] Vide notam *ad lib. I. c. 13. §. 3.* §. 31. *Ma-*

§. 31. *Maria latè tenente Pompejo*] Hujus enim consilium omne, teste *Cicer. ad Atticum*, Themistocleum erat, qvòd necessariò, qvi mare obtineret, eum rerum potiri arbitraretur. Ac certè maritimum imperium maximi momenti est, ut testantur historiæ *Carum, Phœnicum, Carthaginiensium, Athenienſium* aliorumq; ex antiqvitate; qvi id circò rerum potiti sunt, qvòd mari plurimùm possent, qvòdq; effecissent, ne qva gens alia classe iis præpolleret. Posteà eadem res ratioq; *Normannos, Venetos, Lusitanos*, & hodiè *Ordines Hollandiæ & Seelandiæ* qvàm potentissimos effecit, opesq; eorum in immensum auxit & amplificavit. Vide *Aristot. lib. VII. Polit. cap. 6.* Deniq; *Cosmus Mediceus*, Hetruriæ Dux fertur dixisse, *nulli Principi suam potentiam posse rectè placere, qui non plurimùm possit mari.*

§. 33. *Quippe vix mille juvenum manus*] Non minor virtus illius prætoriæ navis *Danicæ*, qvæ *per integrum biduum à* sex *Svecicis* undiq; cincta & oppugnata, vix tandem classiariis cæsis vel vulneratis, unà cum Amiralio *Ottone Rud* capta est; qvod factum A. C. 1565. d. 8. Julii. *Thuan. lib. XXXVIII.*

§. 33. *Mutuis ictibus in se concucurrit*] Simile occurrit infrà §. 69.

§. 34. *Sed pudor svasit, ut amissum suâ temeritate exercitum, morte sequeretur*] Nihil magis vir fortis metuit, qvàm ignominiosam vi-

tam adeoq; mortem illi anteponit. Vide Freinshem. *ad Curt. lib. V. cap. 3. §. 21. & ad lib. VII. cap. 2. §. 38.*

§. 36. *Ordinatis à tergo omnibus*] Ut bonum Imperatorem decet. Fecerunt *Romani*, qvi bello contra Carthaginienſes abſtinuerunt, cùm à tergo immineret hoſtis Gallus. *Polyb. lib. II c. 13.* Secutus idem conſilium *Veſpaſianus*, dum ad Parthum Armeniumq; legatos miſit, providitq;, ne verſis ad civile bellum legionibus terga nudarentur. *Tac. lib. II. Hiſt. cap. 82.* Secutus *Theodoſius*, de qvo *Drepanus Paneg. XII.* cap. 32: *Primùm fidem regum, quibus limes Orientis ambitur, datâ & acceptâ dextrâ firmas, quò foris ſecurus agitares, ſi nihil ſolicitum & ſuſpectandum domi reliquiſſes.* Plura congeſsit *Freinshem. ad Curt. lib. III. c. 1. §. 19.*

§. 36. *Quamvis hiems media*] Eſt inter illa ſtratagemata refetendum, de qvibus dixi ad *lib. III. c. 20. §. 4.* Nam tali tempore, qvod ad bellum gerendum inidoneum arbitrabantur adverſarii, trajecit in Græciam, atq; ita cuſtodias, qvibus mare obtinebant, eluſit. Adde ſimile ſtratagema *Annibalis* apud *Polyb. lib. III. cap. 84.*

§. 37. *Nocte concubiâ*] Veteres dividebant noctem in certas partes, qvarum primam vocabant λύχνων ἀφάς, ſeu, *primâ face*, item, *luminibus accenſis.* Hinc ſeqvebantur *nox provecta, conticinium, concubia nox, intempeſta, nox media, gallicinium, &c.* de qvibus conſulendus eſt *Cenſorinus de Die Natali.* Omninò autem ſciendum eſt, antiqvi-

qvirùs *ante tempora Seleucidarum* incognitam fuiſſe hanc horarum partitionem, qvâ nos hodiè utimur. Sed Judæi ὀλοχερῶς diem ipſum in *tenebras* & *lucem*, *veſperam* & *mane* dividebant; idq; totum intervallum, qvod Græcis dicitur νυχθήμερον, rurſus in *quadrantes* dividebant, qvas *vigilias* vocabant, ut & Romani & Græci. *Primus quadrans* erat à ſole occaſo ad mediam noctem; qvi in ſacris literis dicitur ὀψία. Hunc ſeqvebatur *alter quadrans*, qvi dicebatur *vigilia media*, à mediâ nocte ad ſolem orientem, ob id dicta, qvòd inter duos ſoles interjecta eſſet, nimirum inter occaſum lucis præcedentis, & ortum lucis ſeqventis: deinde *vigilia matutina*, à ſole orto ad meridiem: qvæ in Evangelio dicitur πρωΐα. Poſtrema *qvarta vigilia* meridies, à ſextâ horâ ad duodecimam, & ſolem occaſum. τῆς δευτέρας καὶ τῆς τρίτης φυλακῆς meminit Dominus apud *Lucam XII.* Sed & in *Marco* pars *prima* vocatur ὀψὲ, *ſecunda* μεσονύκτιον, *tertia* ἀλεκτοροφωνία. Arabibus, Perſis, & reliqvis Orientis gentibus non horologiis, ſed naturalibus *matutini*, *meridiani*, & *veſpertini* temporis intervallis diem notare, etiam hodiè conſvetudo manet. Hæc ferè *Scaliger de Emend. Temp. lib I. cap. de Horis & partibus diei reliquis. & lib. VII. annot. in computum Judaicum.* Sic etiam noctem Romani in caſtris in *qvatuor vigilias* dividebant. Qvia enim impoſsibile videbatur, ut ait *Vegetius lib. III. de Re Mil. cap. 8.* in ſpeculis per totam noctem vigilantes ſingulos permanere, ideò in *qvatuor* partes *ad clepſydram*

sunt divisæ *vigiliæ*, ut non ampliùs qvàm *tribus horis nocturnis* necesse sit vigilare. Et hinc illæ formulæ apud Historicos: *Primâ, secundâ, tertiâ &c. vigiliâ.* Consulendus *Lipsius lib. I. de Mil. Rom. dial. 9.*

§. 37. *Speculatorio navigio*] Idem cum lenunculo sive πιτύλῳ σκαφιδίῳ videtur existimare *Fr. Lindenbr. in Amm. Marcell. lib. XIV. pag. 9.* de qvo etiam plura *Scaliger in Euseb. p. 62.* cujus sententiam de navibus veterum considerabimus infrà. Ceterùm ad historiam istam respexisse videtur *Ammianus lib. XVI. p. 69.* *Ignorans, ubi prælio-rum ardor nihil perpeti poterat segne, alium anhelante rabido flatu ventorum, lenunculo se commisisse piscantis, &c.*

§. 37. *Quid times? Cæsarem vehis*] Qvasi dicat, non vehis aliqvod vile caput, qvod Diis minùs curæ esse videatur: sed Cæsarem, in qvem omnium & Deorum & hominum oculi sunt conjecti, qviq; pluris unus est qvàm ceteri omnes,

> ----- *quem Numina nunquam*
> *Destituunt: de quo malè tunc fortuna meretur*
> *Cùm post vota venit* -----

ut est apud *Lucanum.* lib. V. v. 581. *Appianus* ita pronunciat: *Cæsarem vehis Cæsarisq; fortunam.* & mox subjicit: *Multò plus fortunæ suæ Cæsarem, quàm consiliis esse fisum.* Ceterùm qvæcunq; ad hunc locum notanda sunt, ea transtuli *ad Vell. lib. II. c. 55.* Imitatur hunc Flori locum *Eumenius Paneg X. c. 14.*

§ 40. *Cu-*

§. 40. *Cujus in scuto centum atq; viginti tela sedere*] Et nihilominus custodiam portæ commissi castelli retinuit. Addi potest exemplum insigne *Flectii*, arcis urbisq; *Conimbricæ* custodiam sibi commissam fidelissimè retinentis, qvod facundè narrat *Lipsius in Monit. & Exempl. Polit. lib. II. c. 3 & Mariana lib. III. de Regis Instit. cap. 13.* Cui simillimum ac geminum potius est exemplum *Basilii Nicephori* apud *Gregoram lib. IX. c. 12.* Annumerandus deniq; istis Heroibus *Nicolaus Jureschütz*, qvi *Guntzam* exiguum oppidum nullâ propè arte, opere, aut naturâ munitum, contra innumerabiles Turcarum copias defendit, apud *Hubertum Thomam Leodium lib. VIII. Annal. pag. 157.*

§. 42. *Pompejus adversus hæc nectere moras, tergiversari*] In hoc consilio si persistere potuisset, actum erat de Cæsare. Nihil enim contra veteranos, qvos Cæsar ducebat, magis salutare, qvàm *cunctatio*; nihil autem tyronibus, qvos Pompejus, tam exitiosum, qvàm *maturata pugna.* Exemplum *Fabii* hujus assertionis fundamentum est, de qvo dixi ad *lib. II. c. 6. §. 27.* & clades *Othonis*, qvi recusavit admittere prudentissimum Svetonii Paullini consilium. Paullini, qvo nemo illâ tempestate militaris rei callidior habebatur. Id tale erat, *non debere Othonem militem suum objicere Germanis exercitatissimis: trahendum esse bellum, non frumentum usquam Vitellianis; nec il-*

 los

los sine copiis retineri posse. Praterea illos ipsos Germanos, tracto in æstatem bello, mutationem soli cœliq; haud toleraturos. Vide *Tacit. lib. II. Histor. cap. 32.* Adjecit qvoq; huic præcepto pondus gravissimo suo casu *Ludovicus* rex Hungariæ, infelix juvenis, qvi nescio imprudentiore an inauspicatiore consilio, cum exiguâ militum tumultuariorum & magnâ ex parte rusticorum inermium manu, contra ingentes easdemq; exercitatissimas *Suleimanni* copias ad municipium *Mohacz* stare non dubitavit. Contrà *Ferdinandi I.* idem fuit, qvod Fabii Maximi, consilium, ut pensitatis suis Suleimanniq; viribus, nihil minus bono duci convenire judicaret, qvàm fortunam tentare, & justo prœlio tanti hostis impetum excipere. Qvod proximum fuit, ut tanqvam concitati fluminis impetum aggeribus, fossis, reliqvisq; munitionibus tardaret & reprimeret, in eo sibi omni ope enitendum putavit. Consulendus *Busbeq. epist. 4. Leg. Turc.* non procul à fine. Nostro tempore sæpè reductum est idem stratagema, à *Gallis* in *Burgundiâ* contra *Cæsarianos*, à *Cæsarianis* contra *Svecos* ad *Noribergam*, & rursus à *Svecis* contra *Cæsarianos* in *Pommeraniâ*, & alibi, nunqvam infeliciter. Sic enim inferior semper factus est par, imò superior, dum superioris impetum trahendo evadit, producitq; in id tempus, qvo remedio locus esset.

§. 42. *Ardentissimi ducis*] Egregium epitheton. Græci tales διαπύρους appellant, vividos, acres, *ardentes*, & in qveis pectoris ille vigor, qvem ne-

negotia reqvirunt. Utitur alicubi *Plutarchus in præceptis Reipubl. gerendæ.* Similiter verò & *Plinius lib. VII.* in Cajo Cæsare deprædicat *celeritatem ingenii quodam igne volucrem.*

§. 43. *Nec diutiùs profuit duci salutare consilium, milites otium increpabant*] Certissimus hic est character tyronum, de qvo *Vegetius lib. VIII.* cap. 12: *Ne confidas satis, si prælium tyro cupit; Inexpertis enim dulcis est pugna: & noveris te oportere differre, si exercitati bellatores metuunt dimicare.* Sed & eleganter hunc affectum describit *Brun. lib. III. Ann. pag. 153.* ubi de causis novorum motuum apud Bojos. *Igitur hi longam pacem idem censebant, quod longam crucem: Utiq; postquam ii ferè obierant, qui cicatrices ostendere possent, & belli incommoda laceris corporibus circumferrent. Nam fervidi juvenes, qui nihil adhuc de sangvine amiserant, non credebant, in totâ parentum hereditate, aliquid sibi armis melius relictum.* Hæc Brunnerus diffundens *Polybium lib. II. c. 21.*

§. 43. *Sic præcipitantibus fatis*] Erant omninò deducendi ad flagra optimates propter innumera scelera, injustitiam, rapinas, luxum, libidines, & crudelitatem. Ipse Cicero Pompejanus non poterat probare Pompejanos, ut suprà jam accepimus ad *lib. III. c. 21. §. 12.* Qvamobrem *hos tales in panas suas agit Deus, & eorum consilia destruit*, ut dixi ad *Val. Max. lib. I. c. 6. 7. & 8. dissert. I. §. 2.* nec aliter oportet judicare, qvàm justam

fuisse cladem Pampejanam. Fuit certè reparatio status publici.

§. 45. *Fuga victimarum*] Vide *Lipsium ad Taciti lib.* III. *Hist. c.* 56.

§. 46. *Nunquam acrior neque alacrior exercitus fuit*] Expetenda fuit maximè pugna iis, qvi fame laborabant. Hanc tamen ferebant egregiè, si credimus *Svetonio in Cæsare cap.* 68. & *M. Calio*, cujus epistola apud *Ciceronem* extat *lib. IIX. num.* 17. *Vestras* (Pompejanas) *copias non novi: nostri valdè depugnare & facilè algere & esurire consvêrunt.* Id non tam assvetudine, qvàm arte qvosdam mutuari, docent *Bernegg. ad d. loc. Svetonii, & ad Plinii paneg. cap.* 13. & *Casaub. ad Sveton. Tiberium c.* 54.

§. 48. *Hi venire in equis viderentur*] Cum *Freinshemio* sentiens *Virdungus*, Intelligit, opinor, inqvit, pedites Germanos, qvi inter eqvites præliari consvéverant. Vide *Cæsarem lib.* I. & VII. *de B. G.* Ejusmodi verò pedites levis armaturæ mirabili velocitate præditos, qvi inter eqvites pugnabant, & unà pariterq; cum eqvitibus accurrere & refugere consvéverant, & *Numidæ* habuerunt, ut est apud *autorem libri de B. Afric. & Sall. in B. Jug. Dahæ* apud *Curt. lib.* VII. Hæc *Virdungus*. Adire potes eundem *Freinshem. ad Curt. lib. V. c.* 13. §. 8. & *lib.* VII. *c.* 7. §. 32. De peditibus eqvitibus permixtis *Brunn. lib.* XIII. *pag.* 566. Vide, ut in re simili, ad instar Flori, loqvatur *Drepanus Paneg.* XII. *c.* 39 *f.*

§. 49. *Reliqua strages quasi unâ manu facta est*] Id est, facillimè facta est, sine labore: ad qvam inferendam non opus erat viribus. *Seneca de Const. sap. cap.* 2: *Cadentem Rempubl. quantum modò unâ retrahi manu poterat, retinuit.* ubi *Lipsius*: Qvæ proverbio asseritur infirma, *Euripides*: μιᾶς γὰρ χερὸς ἀσθενὴς μάχη. *Unius robur infirmum manus.* Sic verò solet in omnibus præliis. *Resistendo & pugnando pauci cadunt; inclinatâ semel acie versâq; in fugam pauciſſimi evadunt*, ut scribit *Dion. Halic. lib.* IX. qvod exemplo *Achæorum* confirmat *Polyb. lib.* IV. *c.* 12. Adde *Vegetium lib.* III. *de Re Mil. c.* 21. *Bernegg. quæst. in Tac.* 28. & notam ad illa *Sall. in Cat. c.* 58: *Nam in fugâ salutem sperare, ea verò dementia est.*

§. 49. *Nec ullæ res magis exitio fuit, quàm ipsa exercitus magnitudo*] *Seneca de vitâ beatâ c.* 13. *Non est bonum, quod magnitudine laborat suâ.* Apul. in Apol. *Qnicquid aptam moderationem supergreditur, oneri potius quàm usui exuberat.* Euripides in Alcmæo: φεῦ, φεῦ. τὰ μεγάλα, μεγάλα κοὐ πάντα καλά. hoc est, interprete Cantero: *Quæ magna sunt, heu! magna patiuntur mala.* Adde *Eumen. Pan. X. c.* 20. *Et Brunn. lib.* XII. *pag.* 438. Hæc ipsa magnitudo obfuit *Carthaginiensibus*, ut noster prodidit suprà *lib.* II. *c.* 2. §. 34. Hæc *Xerxi*, qvod Demaratus Lacedæmonius prædixerat, cujus verba sunt apud *Sen. lib.* IV *de Benef. c.* 31. *ipsam illam, quâ sibi placeret, multitudinem, iudigestam & gravem.*

vem, metuendam esse ducenti: immodica nunquam regi posse; nec diu durare, quicquid regi non potest. Igitur *Alexander* ad debellandum orientē sufficere putabat exercitatorum qvadraginta millia, ut est apud *Frontinum lib. IV. c.* 2. ubi plura; & *Tiberius* dimittere statuit majorem partem exercitus qvàm ut regi posset, apud *Vellejum lib.* II. *cap.* 113. ubi vide *notam nostram.* Superiore seculo *Carolus V.* in commentariis filio relictis certum exercitus numerum svadet, qvi nec difficilis contractu, nec inutilis regenti esset. *Franciscum* qvoq; *Mariam* legimus ad exscindendam potentiam Turcicam non ultra qvinqvaginta millia militum petere solitum. Incommoda verò magni exercitus præter alios exponit *Vegetius lib.* III. *c.* 1. ibi: *Evidenter apparet, nimium copiosos exercitus, magis propriâ multitudine, quàm hostium virtute depressos. Nam pluribus casibus subjacet amplior multitudo. In itineribus pro molesuâ semper est tardior. In longiori autem agmine etiam à paucis superventum assolet pati. In locis autem asperis & impeditis sæpè decipitur. Præterea neq; annona neq; pabulum majoribus copiis sufficit. Quod si casu acies verterit tergum, necesse est multos cadere de multis.* Qvæ postrema in mentem mihi revocant verba *Alarici* apud *Zosimum.* Romam enim oppugnans cùm à qvibusdam moneretur, ne se temerè periculis objiceret. Romam enim militibus ita stipatam esse, ut pluribus admittendis non esset locus. His ille respondit: *Tantò mihi promtiùs eos vincere. Nam & fœnum*

fœnum qùo densius, cò demessu facilius. Siluit autem *Vegetius* impedimentum aliud, qvod prodit *Curtius lib. IV. cap.* 13. §. 38. ubi de oratione Darii ad milites: *Cetera hoc tantus exercitus exaudire non poterat; usum aurium intercipiente fremitu tantorum agminum.* Et *lib. V. c.* 2. §. 7. *Tubâ, cùm castra movere vellet, signum dabat, cujus sonus plerunq; haud satis exaudiebatur.* Et sic comparatum est in omnibus rebus: magnitudo nimia plus obest, qvàm prodest. *Seneca lib. de Tranq. An. c.* 9. de libris: *Studiorum quoq; quæ liberalissima impensa est, tam diu rationem habebo, quàm diu modum. Quò mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix totâ vitâ suâ indices perlegat? Onerat discentem turba, non instruit: multoq; satius est paucis te auctoribus tradere, quàm errare per multos.* Damocrates apud *Stobæum* de divitiis: *Longæ vestes corpora, & immodicæ divitiæ animum impediunt.*

§. 50. *Multus in eo prælio Cæsar fuit, mediusq; inter Imperatorem & militem*] Hoc est, ut loqvitur *Tacitus lib. III. Hist. cap.* 17. *nullum aut constantis ducis, aut fortissimi militis officium omisit.* Talem se gessit *Annibal* in obsidione Saguntinâ. *Polyb. lib. III. cap.* 17. *Catilina*, sed in parricidiali bello, apud *Sallust. in Catil. c.* 60. Aliàs qvomodo militis & Imperatoris officia differant, docet P. *Faber lib. I. Semestr. c.* 19. *Bernegg. in Svet. Aug. c.* 10. §. 9. *lit. C.*

§. 50. *Mi-*

§. 50. *Miles faciem feri*] *Germanicus* apud *Tac. lib. II. Ann. c.* 14. §. 4. suos hortatur, *densarent ictus, ora mucronibus quærerent*: scilicet terroris incutiendi causâ. Sed dubium an hoc voluerit Cæsar; qvamvis eò inclinare videatur Florus. Cur fluctuem, facit *Lucanus*, qvi *lib. VII.* v. 318. hæc ita pronunciat:

-------- ne cadere quisquam
Hostis terga velit.

Igitur hoc potiùs voluisse Cæsarem dicendum erit, non in fugientes, sed resistentes, iram effundendam esse. Vox magnanimo leone dignissima: & cui fidem facit altera, qvæ seqvitur, *Parce civibus.* Fuit certè Cæsaris pectus ipsâ mansvetudine mansvetius, ut pleriq; de eo tradidêre. Tutius igitur erit, ex factis & ingenio vocem tanti Herois interpretari (est enim verborum & animi magna similitudo, sive ut loqvitur *Seneca* ep. 115. *Oratio vultus animi*) qvàm cum Floro aliisq; veteribus ac novis alia omnia commisci, qvæ fundamentum non habent. Hæc est illa virtus, qva Cæsar omnes ante se ac posterioris ævi duces superavit, & *Scaligerum patrem* ita in admirationem rapuit, ut diceret, *sese vix hominem existimaturum, nisi mortuus fuisset.* Accedit deniq; conjecturæ nostræ pondus ex istis *Senecæ lib. V. de Benef. cap.* 16. ubi de hoc ipso Cæsare: *Temperavit jus crudelitatemq; victoriæ: quod dicere solebat, præstitit: neminem occidit*, NISI ARMATUM. Enim ore fuisse hoc

hoc Cæsari, neminem interficiendum, nisi qvi resistat! qvod an dubitabimus monuisse in ipsâ acie? Certè Christiani ferè omnes longè crudeliùs usi victoris suis, qvàm *Cæsar*. De *Valente* vide *Amm. lib. XXVI. pag.* 330. 331. post occisum Procopium; licet Valens Arrianus fuerit. Aliter tamen alii. *Vales. ibid. p.* 328.

§. 50. *Altera ad jactationem composita*] Valde premit famam Cæsaris, tanqvam hæc imitamenta clementiæ fuerint, & mera simulatio. Idem faciunt alii, ridentes lachrymas illas, in qvas ivit conspicatus Pompeji caput. Interim negare non possunt, in hostes qvantumvis acerrimos extitisse clementissimum. Et audivimus modò Senecam, censorem severum & nullis affectibus obnoxium. Unde igitur ista notitia latebratum & recessuum animi? Sed secutus est! non sanè alium qvàm Pompejum, in se concitantem orbem terrarum, & eos, qvi spargebant bellum, in qvo qvidem se gesit, sicut magnum ducem decet, ut judicat *Freinsh. infrà ad §. 65.*

§. 51. *Felicem Pompejum, si eadem ipsum, quæ exercitum ejus fortuna traxisset!*] Vide notam ad *Velleji lib. II. c.* 48 *& cap.* 55. §. 2. Addendus locus *Ciceronis lib. III. de Oratore, de L. Crasso*, cujus mortem aliqvantò maturiorem in summâ felicitate ponit. *Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidiâ Senatum, non sceleris nefarii Principes civitatis reos, non luctum filiæ, non exi-*

lium

lium generi, &c. Idem facit in *Bruto*, ubi narrat mortem Hortensii: *Occidit*, inqvit, *cùm lugere facilius Rempublicam posset, quàm juvare: vixitq; tam diu, quàm licuit in civitate benè beateq; vivere.* Non alius sensus illud *Taciti lib. XVI. Ann. c. 13.* in descriptione pestis: *Equitum Senatorumq; interitus quamvis promiscui, minùs flebiles erant, tanquam communi mortalitate sævitiam Principis prævenirent.* Sed longè simillimus nostro locus *Ovidii lib. VI. Fast. v. 185.* de M. Manlio, qvi Capitolium contra Gallos defendit, & ex illo loco posteà præceps datus est:

-------- qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove
Quàm benè, Dî magni, pugnâ cecidisset in illâ,
Defensor solii, Juppiter alte, tui!
Vixit, ut occideret damnatus crimine regni:
Huncilli titulum longa senecta dabat.

§. 52. *Consiliis spadonum*] Pompeji cædem svaserat *Theodotus Chius*, mercenarius Rhetoricæ magister, dilemmate pædagogico, & hocipso satis ostendit, qvàm *inepti* sint *ad politica* consilia *homines de scholâ*. Huc pertinet judicium *Thuani lib. XXXIX.* de *Paulo V.* Pontifice Romano, *multa turbâsse, quòd virtutes politicas in umbrâ & inter monachorum greges educatus non haberet. Nam aliter in cœnobiis, aliter in aulis degi: & rursus aliud esse monachis imperare, aliud regnare.* Adde *Aristot. lib. X. Ethic. c. ult. Niceph. Gregoram lib. VIII. Hist. Byzant. p. 154.* in excusatione suâ ad Imperatorem, qvi Chartophylacis dignitatem obtulerat.

§. 52. *Ne quid malis desit, Septimii desertoris sui gladio trucidatus*] Similis locus apud *Tacit. lib. IV. Hist. c. 14. Quando legatum gravi quidem comitatu, & superbo tum imperio venire? tradi se præfectis centurionibusq;*, i.e. interprete *Lipsio*: En usq; eò viles Romanis sumus, ut non legati aut prætores saltem nos diripiant, id est, honestiorum manibus pereamus: sed latrunculi aliqvot minuti, præfecti, & centuriones. Imò & ab his talibus ne beneficia qvidem infamiâ carent. Idem *lib. III. Hist. cap. 31. Extremum malorum, tot fortissimi viri, proditoris opem invocantes.*

§. 55. *Fœdusque amicitiæ cum Cæsare, medio Pompeji capite sanxisset*] Ars pessimorum hominum, nec hodiè infreqvens, calamitatibus aliorum benevolentiam sibi conciliare. Fecit *Abilyx* ille Hispanus apud *Polybium lib. III. c. 98.*

§. 56. *Aderat puellæ forma*] *Formosa facies muta commendatio est*, ait *P. Syrus*. Brevius *Zeno Citticus* apud Laërtium: *Formam esse vocis florem.* Theophrastus appellavit *silentem fraudem*; Aristoteles, *rem quavis epistolâ efficaciorem*; Carneades, *regnum sine satellite, quòd imperet sine vi.* Hac *Bepolitanus* ille expugnavit Mithridatis animum apud *Plut. lib. de virtut. mulier. & Brunn. lib. III. Ann. p. 334.* Cùm caput *Maximini* patris pilo circumferretur, & ex hoc ingens gaudium esset, pro-

pè par mœror etat, qvòd & filii caput pariter portaretur; nam hic juvenis tantæ pulchritudinis fuit, qvæ videri posset divinitùs lapsa. *Capitolin. in Maxim. p.* 148. 150. Vide plura apud *Vossium lib. I. Instit. Orat. c. 5. sect.* 18. *& Freinshem. ad Curtii lib. IIX. c.* 4. §. 24. *Cl. Minoëm ad Alciati embl.* 105.

§. 59. *Incendio infestorum hostium tela summovit*] Qvo ipso periit celeberrima illa *bibliotheca Alexandrina*. Sed in tali statu rerum pretiosa & vilia non distinguuntur. Habet enim locum illa excusatio, qvam pro se affert *Nabarzanes* apud *Curt. lib. VI. c.* 16. *Nihil est mortalibus spiritu carius; amore ejus ad ultima propulsus, ea magis sum secutus, quæ coëgit necessitas, quam quæ optabam.* Aliàs nemini esse debet bellum cum inanimatis.

§. 60. *Repertum est in aureæ loricæ honore*] *Maximinus junior* usus est aureâ loricâ, exemplo Ptolemæorum. *Capitol. in Maxim. p.* 148. Res aliàs satis periculosa, ducem prælium committentem in ornamentis suis conspici; (vide notam ad *Vell. lib. I. c.* 2.) tamen & istam utilitatem habet, ut si qvid secus accidat, ejus cadaver inter cetera posset agnosci, & dignè sepeliri.

§. 62. *Discordiæ nostræ fiduciâ*] Junge cum notâ *ad lib. III. c.* 2. §. 22. & adde *Tacit. lib. III. Hist. c.* 46. *& lib. IV. Hist. c.* 13. *& c.* 17. *f.*

§. 62. *Quàm virtutis suæ*] *Polybius lib. III.* cap. 81. *Quemadmodum ubi vir cum viro, aut ordo cum ordine decertat, eum qui victoriam reportare cogitet,*

gitet, diligenter attendere decet, quâ ratione voti compos fieri poterit; sive quid nudum, sive quid intectum ab armis in adversario deprehendi queat: sic eos oportet, qui summæ belli præsunt, observare; non quidem ecquid in corpore pateat, sed quâ parte animi dux hostium facilius capi queat. Hæc ille. De Cæcinâ & Valente adde *Tacitum lib. II. Hist. cap.* 34. *Sunt errata hostium omninò animadvertenda, sed ita, ne ex illis magis quàm ex propriâ virtute ac diligentiâ spes nostra dependeat*, ut sapienter monet *Archidamus* apud *Thucydidem lib. I.* Porrò geminus locus est apud *Tacit. lib. IV. Histor. c.* 34. §. 6. *Civilis aderat, non minùs vitiis hostium, quàm virtute suorum fretus.*

§. 63. *More fulminis, quod uno eodemq; momento venit, percussit, abscessit*] Alludit ad titulum illum trium verborum, qvem Julius Cæsar *Pontico triumpho* inter pompæ fercula prætulit, VENI, VIDI, VICI. ut refert *Sveton. in Cæsare c.* 37. Habeo numum æreum ex dono *Nobilissimi viri, Domini Johannis Jacobi Pœmeri*, in cujus anticâ conspicere est *Cæsaris caput* cum *lituo* & *astro*, & inscriptione: C. CÆSAR DICTATOR. In posticâ *coronam lauream* cum iisdem verbis, VENI. VIDI. VICI. Eum nec apud *Goltzium*, nec alium antiqvarium observare memini, dignum tamen qvi verba *Svetonii* & hunc *Flori* locum illustret. Est autem elegans ἐπιτροχασμὸς, ut vocant Rhetores, cùm eâdem verborum celeritate res percurritur, qvâ gesta est. Sic cùm *Pompejus* festinans

nans ad bellum *Piraticum* Athenas in transcursu invisisset, inter ceteras inscriptiones in ejus honorem positas hæc fuit: ΠΡΟΣΕΔΟΩΜΕΝ. ΠΡΟΣΕΚΥΝΟΥΜΕΝ. ΕΙΔΟΜΕΝ. ΠΡΟΠΕΜΠΟΜΕΝ, EXPECTABAMUS. VENERABAMUR. VIDIMUS. DEDUXIMUS *Plut. in Pompejo pag.* 633. Tale illud *Aristot lib. III. Rhet. cap.* 12. ἦλθον, ἀπήντησα, δέομαι. *Veni, occurri, rogavi.*

Claudian. de bello Gildon. v. 12.

Congressum, profugum, aptũ, vox nuncupat una.

Iscanus lib. VI. v. 439.

------ *nec segnior ira*
Antilochi premit, instat, agit.

Ovid. lib. V. metam. v. 395.

Penè simul visa est dilectaque raptaque Diti

& lib. III. fast. v. 21.

Mars videt hanc, visamq; cupit, potiturque cupita,

Tacit. lib. VI. Annal. cap. 18. §. 1. *raptus in curiam, pariterque damnatus interfectusque. Ausonius* in ludo VII. Sapientum vers. 117. *Profectus, victus, vinctus, Regi deditus.* Unctur & *Velleius lib. II.* cap. 7: *Ego vix crediderim, tam maturè tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.* Parem verò celeritatem *Maximiani* deprædicat *Mamertinus in Paneg.* cap. 6: *Bonâ veniâ DEûm dixerim, ne Jupiter quidem ipse tantâ celeritate faciem cœli sui variat, quàm facilè tu Imperator togam prætextam sumto thorace mutasti, ha-*

hastam posito scipione rapuisti, à tribunali temet in campum, à curuli in equum transtuliſti, & rursus ex acie cum triumpho rediſti; totamq; hanc urbem, repentinâ tuâ in hostes eruptione solicitam lætitiâ & exultatione, & aras flagrantibus & sacrificiis, & odoribus accensis Numini tuo impêsti. Et alius *de Constantino Pan. VI* cap. 15. *Sine ullâ hæsitandi morâ, quà brevissimum per eos iter est, rapto agmine advolâsti; celeritatem illam in re gerendâ Scipionis & Cæsaris, tunc maximè cupienti Romæ, repræsentans. Hæc est fiducia Imperatoris invicti, & suorum mentibus freti, non dubitare, nec trahere bellum sed proximum quodq; pugnæ tempus putare victoriam. Non enim res erat tibi, ut Quincto Maximo, cum Annibale victore; ut post res asperas locum tempusq; tantares: sed urgere te successus tuos, & continuare victorias; sed quàm primùm subvenire urbi decebat. Sapientis enim est Imperatoris fractis rebus cunctando consulere, secundis non deesse Fortunæ.* Quam eandem virtutem in *Marcello* agno it adversarius ipsius *Annibal* ùn de eo diceret: *Cum eo nimirum hostes res est qui si vicit ferociter instat victus, seu victus est instaurat cum victoribus certamen*; ut est apud *Livium lib. XXVII. cap.* 16. Eluxit & in *Constantio* Cæsare, si credimus *Eumenio in Paneg. X.* cap. 13: *Hoc bellum ita, Cæsar, aggressus es, ut statim atq; illò infestum majestatis tuæ fulmen intenderas, confectum omnibus videretur.* Et ut ad recentiora me convertam, eandem virtutem in *Gothofredo Lotharingiæ & Bullionii Duce*, qui consilio capto de

terrâ sanctâ recuperandâ, ad sexcenta millia peditum, equitum centena millia armavit, laudat *I. Lipsius lib. I. Exempl. & Monit. Polit. c. 2. mon. 2. ex. 4.* *Venit igitur in Syriam*, inquit, *&, ut Iulianis olim verbis dicam, vidit, vicit.* Factum id A. C. 1096. Hac ipsâ sibi placuit *Johannes ab Austriâ*. Cùm enim A. C. 1573. ingenti comparatâ classe in *Africam* trajecisset, *Uticam* cepisset, *Tunetum* recuperâsset, profugum regem restituisset, *Amidam* captivum cum filio in *Siciliam* transmisisset; numum triumphalem percuti jussit, in quo hinc videas illius caput, cum epigraphe: JOANNES AUSTRIÆ CAROLI V. FIL. ÆT. SU. ANN. *XXIV.* JO. UMELON. F. 1573. Inde *Neptunum* Delphine vectum, *tridente* disjicientem *barbaros naufragos*, eosdemq; *fugientes terrâ*; contrà classem Christianorum victricem non procul à portu Tunetano. Superscriptum: VENI. ET. VICI. Extat apud *Luckium p. 247. & Octav. Stradam p.* 494. Plura de celeritate magnorum ducum *Freinshem. ad Curt. lib. V. c. 5. §. 2.*

§. 63. *More fulminis*] Hoc simili plerique Poëtarum & Oratorum celeritatem repræsentant, ut multis exemplis docet *Dresemius in Iscanum pag. 82. & 83.* Vide locum *Eumenii Paneg. X. cap. 13.* in notâ præcedenti citatum.

§. 65. *Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris*] Imò stimulabat illa libertas, quæ armis Cæsarianis peti videbatur. Nunquam enim facilè quiescunt, qui pro libertate pugnant; quod ipse noster dicit suprà *lib. III. c. 10. §. 4.* Secus res habet in Asiaticis. Victo Dario non tantùm non Alexandro quidem rebellârunt, sed nec ducibus illius. Qui enim semper servierant, de vindictâ nunquam cogitabant. Vide *Forstn. ad Tacit. pag.* 121. Facit etiam ad explicandum hunc locum *disc. VII. Gruteri.*

§. 70. *Vt Sapiente dignum erat*] *Seneca lib. I. de Clem. cap. 21: Perdidit vitam, qui debet: & quisquis ex alto ad inimici pedes abjectus, alienam de capite suo regnoq; sententiam expectavit, in servatoris sui gloriam vivet, plusq; nomini ejus conferet incolumis, quàm si ex oculis ablatus esset.* Sed qui Christiani sumus, scimus, quàm hæc non excusent αὐτοχειρίαν. Igitur neq; de *Catone*, quod judicat noster, admittimus, neq; *Isocratis* factum simile probamus, qui, nunciatâ clade *Charonensi*, quatriduum cibo abstinuit, ut moreretur, velut qui nollet jam quartò Græciam servitute oppressam videre. *Photius in Biblioth. p. 501.*

§. 71. *Lecto ad lucernam Platonis libro*] Libros sapientum legisse jam morituros, constat è *Ptolemæo Hephæstione* apud eundem *Photium p* 187. Quæ verò docuerint veteres de immortalitate animæ, vide apud *Virdungum ad Agricol. Tacit. cap. 46.*

§. 74. *Plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum*] Vivebat igitur

Pompejus in filiis. Porrò eadem fama à parentibus accepta *C. Cassium* Syriæ favorabilem reddidit, ut est apud *Tacit. lib. IIX. Ann. c.* 12. §. 2. & *Licinium Crassorum* favor, illum, qvi se *Scribonianum Camerinum* ferebat, apud eundem *lib. II. Hist. cap.* 72.

§. 77. *Miseræ inter hos atque illos duces*] Vide notam *ad lib. III, c.* 22. §. 8.

§. 78. *Omnium postrema certaminum Munda*] In agro *Buteſtano*, nunc dicto *Madrigal*, in Hiſpania Tarraconenſi, ſunt boves qvinq; marmorei, ſinguli cum inſcriptionibus. Qvinctus habet:

BELLUM. CÆSARIS
ET. PATRIÆ. EX. MAGNA. PARTE
CONFECTUM. SEX. ET. CN
MAGNI. POMPEI. FILIIS. HIC
IN. AGRO. BATESTANIORUM
PROFLIGATIS.

Sed *Gruterus*, qvi eos exhibet *num.* 2. *p.* 225, meritò dubitat, an ſint ævi Juliani.

§. 79. *Sanè & ipſe ante aciem mœſtior non ex more Cæſar*] Cujus aliàs vigori mirabiliq; hilaritati milites in rebus dubiis innitebantur, ut ſcribit auctor *libri de Bello Africano*. Voluit hoc *Annibal* imitari ſuprà *lib. II. c.* 6. §. 48. & ex præcepto qvidem ſapientum & rei militaris Doctorum. Vide *Freinshem. ad Curt. lib. III, c.* 8. §. 11. & *Gruterum in Tac.*

extremo diſc. XXI. Contrà, malum omen mœſtitia ducis. Sic *Ludovici* Hungariæ Regis, qvi, ut ſuprà audivimus, in prœlio contra *Solymannum* cecidit, cùm armaretur, *pallorem*, ceu peſsimum omen, *notatum fuiſſe* ſcribunt. Et de *Guſtavo Magno* ante pugnam *Lutzenſem* mœſtiore qvàm ſolebat, qvis neſcit? Nimirum *magna & Heroica ingenia* μεγάνυχα *eſſe conſveverunt, & vel aliud agendo ſuæ alienæve fortunæ præſaga*, ut ait *Diod. Sic. initio lib. XIIX.* Tamen, ſi credimus aliis, id plerumq; accidit, nec tanqvam ominoſum ſemper notandum eſt. *Seneca lib. II. de Irâ. c.* 3. *Itaq; & fortiſſimus plerumq; vir, dum armatur, expalluit: & ſigno pugnæ dato, ferociſſimo militi paululum genua tremuerunt: & magno Imperatori, antequam inter ſe acies arietarent, cor exiluit: & oratori eloquentiſſimo, dum ad dicendum componitur, ſumma riguerunt. Tacitus lib. III. Ann. c.* 67. §. 2. *Metus exercitam quoque eloquentiam debilitat.* Vide, qvæ de ſe dicit *L. Craſſus* Orator apud *Cic. lib. I. de Orat. cap.* 26. Hujusmodi pavoris exemplum ſuperiore ſeculo fuit egregius bello dux, & cui multum arma *Gallica* debuerunt. *Stenuus manu, ſummusq; conſiliis, tamen in ipſo pugnarum articulo, cùm in conſpectu hoſtes eſſent, plenus obverſantis periculi imagine, adeò ſolvebatur, ut etiam ſecreto indigeret, quo ſeſe ſubſidentibus alimenti reliquiis ſimulq; pavore exoneraret. Collectis deinde ſpiritibus, ea erat producendi militis ars, tantus ardor dimicantis, ut dubitares, ducis partes an militis enixius obiret*, ut refert *Barclajus in Icone*

Anim.c.11. Papinius lib.VI. v.394. de pugnaturis affirmat idem:

Nil fixum cordi, pugnant exire paventq́,
Concurrit ſummos animoſum frigus in artus.

Imò leonum hoc eſt. *Lucanus* lib.I. v.206.

Æſtifera Libyes viſo leo cominus hoſte.
Subſedit dubius, totam dum colligit iram:
Mox ubi ſe ſævæ ſtimulavit verbere caudæ, &c.
Per ferrum tanti ſecurus vulneris exit.

§. 79. *Sive reſpectu fragilitatis humanæ*] Hæc meditari, character ſapientis erat. *Brevibus momentis ſumma vertuntur*, ait *Tac.lib.V. Ann.c.4. In orbe quodam atq; circuitu locata rerum humanarum negotia* dixit B. Ambroſius, *quia non eosdem ſemper ſucceſſus habent, ſed variant ſtatus, & mutant.* Adde *Rittersh.l.III.Sacr.Lect.c.20.p.210. Boëthium & Senecam paſſim. Curt.lib.VII.cap.8.§.14.15.* Inprimis autem in bellis hæc fortunæ mutabilitas conſpicitur, *Gruterus notis in Liv.lib.XXX.c.30.*

§. 79. *Sive nimiam proſperorum ſuſpectam habens continuationem*] Forſan enim, ut ceteri gentiles, metuebat *Nemeſin*, perpetuam comitem lætarum rerum; de qvo metu videndus *Caſaubonus ad Sveton. Aug.c.23. & 91.* Ipſe plura huc pertinentia notavi ad *Velleji lib.I.c.10.§.3.* ubi de *Diis Invidis* ac noxiis qvæ dixi, augere potes illo loco *Agathiæ lib.I.p.13. Pavorem vanè fingunt & Timorem, & Enyo quandam & Aten & Erida, ut ipſi dicunt, ἀμηχανίαν immanem.* Adde verò his, ſi placet, etiam illum, quem Perſæ nominant Arimanem, & è

& è terrenis ſpectris quacunq; malefica ſunt, & ſanguinaria. Eſt autem inſigne, nec qvidqvam pietati adverſum, qvod refertur à *Paulo Æmilio lib. VIII. de Reb.geſt.Franc.* & huc pertinet: *Ugolinus Girardeſcus civis Piſanus, Gvelfarum partium Princeps, divitiis, nobilitate, ingenii famâ, auctoritate ingens, uxore, filiis, nepotibus & omnibus in vitâ bonis circumfluens, interrogabat quendam in convivio ex intimis amicis Marcum, quid tandem abeſſe videretur? Cui ille: SOLA IRA NUMINIS procul diuq; abeſſe à tam ſecundis rebus non poteſt. Hoc eventus mox comprobavit, uno è filiis unoq; nepotum à Gibellinis occiſis, ipſo cum duobus filiis, tribus nepotibus turri incluſo, ibiq; fame necato. Nimirum non invidia Deûm ſed ſua quemq; ſuperbia poſt magnam felicitatem majoribus calamitatibus involvit.*

§. 79. *Vel eadem timens, poſtquam idem eſſe cœperat, quod Pompejus*] Id eſt, cùm eò perveniſſet, ut neminem parem haberet, ſicut anteà *Pompejus* Romanorum haud dubiè clariſsimus & potentiſsimus fuerat, ideoq; æqvari ſibi *Cæſarem* impatienter ferens, bellum civile excitârat.

§. 81. *Apparebat pudore magis quàm virtute reſiſtere*] Vide notam *ad* §.34. & adde *Joſeph. lib.III. de Bell.Jud.c.3.*

§. 82. *Ablegato equo*] Qvò ſcilicet *exæquato periculo militibus animus amplior eſſet*, ut ait *Sall.in Catil.c.59.* vide ibi notam *noſtram.*

§. 82. *Prensare fugientes, confirmare*] *Lucanus lib. VII.* de eodem Cæsare v. 574.

Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat,
Promovet ipse acies, impellit terga suorum:
Verbere conversa cessantes excitat hasta.

Adde notam ad illa *Sallustii in Catil.* cap. 60: *in primâ acie versari.*

§. 82. *Per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare*] Eadem ferè de Arminio *Tacitus lib. II. Ann. c. 17. Inter quos insignis Arminius manu, voce, vulnere, sustentabat pugnam.* & *lib. III. Hist. cap. 17.* de Antonio Primo: *Ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce, insignis hosti, conspicuus suis, &c.*

§. 83. *Dicitur in illâ perturbatione & de extremis agitâsse secum*] Ut fieri solet in inusitatis. *Boëthius lib. II. prof. 1. Fortunæ prioris affectu desiderioque tabescis. Ea animi tui statum, sicut tu tibi fingis mutata pervertit.* Et mox: *Intolerabili dolore confundit, quos insperata reliquerit.* Hoc ipsum accidit Romanis post pugnam ad *Trasymenum*, de quibus *Polybius lib. III. c. 85. Cùm Prætor è castris ad circumfusam turbam dixisset: Magnâ pugnâ victi sumus; tanta animorum secuta est consternatio ut iis, qui utrique interfuerant, prælio inquam & concioni, multò tunc major clades accepta fuerit visa, quàm in ipsâ pugnâ. & meritò quidem. Nam qui à longo tempore & rem & verbum illud, quo se planè victos fatebantur, ignoraverunt, nunc casum istum neque mediocriter, neque moderatè ferebant.* Adde *Tacit. lib. II. Annal. c. 24. §. 3.*

§. 8. *Ni cohortes quinque*] En! quàm levis occasio tantæ victoriæ! Sapienter *Hieronymus* ad Lætam: *Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt.* Sive ut loquitur ipse *Cæsar lib. I. de Bello Civili*: *In bello, parvis momentis sæpè magni casus intercedunt.* Cui convenienter *Egesippus lib. IV. c. 2. Exiguis momentis subitò inclinantur omnia, quæ in bello geruntur.* Adde *Gruterum ad illa Liv. lib. XXV. c. 18. In bello nihil tam leve, quod non magna interdum rei momentum faciat.*

§. 84. *Aut dux callidus arripuit in occasionem*] Quam in duce calliditatem requirit *Vegetius lib. III. cap. 8.* & præstitit *Tullus Hostilius*, de quo vide notam *ad lib. I. c. 3. §. 7.* Simillimum verò de *Parmenione* legimus apud *Curtium lib. IV. c. 16.* cujus cornu cùm ab hoste urgeretur, post autem altero cornu, cui præerat *Alexander*, victore, langvidiùs Persæ instarent; ignorabat quidem ille causam pugnæ sua sponte remissæ, sed occasione vincendi strenuè est usus. *Thessalos* equites ad se vocari jubet: *Ecquid videtis istos, qui ferociter modò instabant, pedem referre, subito pavore perterritos? Vera dicere videbatur, & spes langventes quoque erexerat.* Vide *Freinshem. ad d. cap. §. 28.*

§. 84. *Nam*

§. 84. *Nam hi dum se putant vincere*] *Bellum plerunq; opinione gubernatur*, ut restatur *Cic. V. Philipp.* Consulendus *Gruterus ad Livii lib. XXXIV. c. 6. Tacit. lib. IV. Hist. c. 33. Gronov. ad Liv. lib. X. c. 14.*

§. 84. *Pompejani dum fugere credunt suos, fugere cœperunt*] Simile apud *Agath. lib. II I. pag. 93: Obsidebantur Romani à Persis in urbe Phaside. Eruptionem verò tentabant illi, & jam cadium initium faciebant in statione Dilimnitarum, qui Persarum auxiliarii erant. Quod Dilimnitæ conspicati rursus in contrarium vertuntur, ut popularibus quàm citissimè subvenirent, sed inordinato effusoq; cursu, ita ut fugientibus quàm pugnaturis similiores viderentur. Igitur Persæ fugere illos rati, & in extremum periculum esse redactos, terga verterunt. Dilimnitæ Persis opitulaturi, cùm jam & ipsi existimarent Persas à Romanis profligatos, socios fugæ sese adjunxerunt, fallentes simul & falsi. Quo facto, magna Romanorum vis usa occasione fugientibus institit, & eo die luculentam victoriam reportavit.*

§. 85. *Ex congestis cadaveribus agger effectus est. Fœdum etiam inter barbaros!*] Multa qvidem licere sibi vult Gradivus, sed non omnia. Præclarè *Camillus* apud *Liv. lib. V. c. 27.* ad *Falisscorum* puerorum pædagogum: *Sunt & belli sicut pacis jura, justeq; ea non minus quàm fortiter didicimus gerere.* Porrò simile occurrit suprà *lib. II. c. 6. §. 18.*

§. 90. *Sa-*

§. 89. *Pharsalia, & Thapsos, & Munda nusquam. & quantò majora erant, de quibus non triumphabat!*] Qvoad verba similis locus apud *Tac. lib. III. Ann. c. 76. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaq; ejusdem nobilitatis nomina. Sed præfulgebant Cassius atq; Brutus, eo ipso, quòd effigies eorum non visebantur.* Qvoad rem longè dissimillimus est. In funere enim *funia* gloriam habent, qvæ non ostentabantur (& hæc est commendatio ex injuriâ, qvâ *Dolabella* eminuit, de qvo idem *Tacit. lib. IV. Ann. cap. 26. huic negatus honor gloriam intendit.*) Sed in triumpho Cæsaris gloriam habet, non id, qvod non ostenditur, sed is, qvi non ostentabat. Est enim sensus: Cæsaris triumphum plus honoris habuisse, qvòd civium clades non ostentârit. Qvâ de re vide *Gruterum disc. in Tacit. XXII. p. 59.* Hic non habent locum, qvæ annotavit vir doctus de iis, *quos favorabiles reddit injuria.*

§. 90. *Nemo cæsus imperio, præter Afranium*] *Bellorum egregios fines, quoties ignoscendo transigitur*, ait *Tacit. lib. XII. Ann. c. 19.* Et sanè animi ingenii q; præstantissimi qvisq; Imperator, vocem illam Alexandri M. re & factis repræsentat: *Armatus sit oportet, quem oderim.* Nimirum,

Obvia prosternens, prostrataq; more leonis
Despiciens.

Huc

Huc pertinet totus discursus *Gruteri XXVII.* Addo clementiam *Arati* & *Achæorum* in *Mantinenses* ejusq; fructū apud *Polyb. l. II. c. 57.* Caroli M. apud *Putean. lib. IV. Hist. Insubr. p. 197.* ibi: *Caroli recentem victoriam pietas & clementia auxêre: nemo religiosiùs invasit Italiam, nemo mitiùs perdomuit. Regem tantùm Longobardi mutaverant, Dominum Insubres. Sedes & fortunæ cuiq; integræ. Nulla post bellum calamitas.* Vide ibidem notam *Puteani.* Certè, ut est apud *Senecam* in Controversiis, *non est invidiosa potestas, quæ misericordiâ vincit.* Refer huc insignis clementiæ exemplum de *Marco* apud *Dion. in Exc. Peir. p. 719.*

§. 90. *Satis ignoverat semel*] *Diod. Sic. lib. XXI. c. 17.* Qvi ob delicta non resipiscunt, omninò puniendi sunt. Adde *Pic. disp. 42. θ. 32. eund. Diod. Sic. in Exc. Peir. p. 316.* Nihil igitur peccavit Cæsar, si jussit interfici, qvi veniam ante impetratam, iteratâ rebellione, corruperunt.

§. 90. *Filiamq; Pompeji cum patruelibus ex Syllâ. hic posteris cavebatur*] Hic est unus è difficiliorib. locis, qvi absqve cognitione familiarum Romanarum nec intelligi, nec expediri potest. Sed qvi hactenus familias illas descripsêre, nec Sullæ posteros nec Pompeji nobis dedêre, uti debebant; scilicet qvod res esset multarum vigiliarum & laborum, alicubi etiam planè desperata. Nobis qvod de utrisq; compertum est, lubentes hic communicabimus.

Pompeji & Sullæ posteritas conjuncta.

Pompejæ alterius, S. Pompeji filia, Magni neptis & L. Scribonii posteritas.

L. Cornelius L.F.P.N.P. Pron. P. Abn. P. Atn. P. Cornelii Rufini Dictatoris A. U. 475. Trin. Sulla Felix, Dictator. Uxor Metella.

Cn. Pompejus Cn. F. Sex. N. Cn. Pro N. Magnus, is qvi cum Cæsare *bellum civile* gessit. Habuit uxores Antistiam P. F. Æmiliam Sullæ privignam; Muciam, Juliam Cæsaris Dictatoris F. Corneliam Scipionis Metelli filiam.

M. Licinius, P. F. M. N. P. Pron. P. Abn. P. Atn. P. Trin. Crassus ille potens cum Cæsare & Pompejo, occisus à Parthis.

Fausta Cornelia, uxor T. Annii Milonis, C. Memmii & C. Apronii Limonis. è Memmio est C. Memmius.

L. Corn. Sulla Faustus, occisus jussu Cæsaris, ut extat hic.

Pompeja. hanc Fausti conjugem fuisse, constat tum ex aliis, tum ex *Dion. l. XLII.* ubi generum vocat Cn. Pompeji M. ex hoc matrimonio sunt.

Cn. Pompejus occisus in fugâ post prælium Mundense.

Sex. Pompejus

L. Scribonius Libo Cos. A. 719.

M. Licinius Crassus. meminit Cicero, Cæsar, Justinus. alii.

Pompeja

L. Scribonius Libo.

M. Licinius M. F. M. N. Crassus (*Tabb. Capit.*) Cos. *A.* U. 739.

L. Cornelius L.F. Sulla III Vir A.A.A.F.F. ut describitur in æreis numis Augusti.

Cn. Cornelius Cinna Magnus. qvem ex hoc ipso conjugio deducit *Lipsius ad Senec. lib. I. de Benef. cap. 30. & lib. I. de Clem. c. 9.* Consul A. U. 757. meminit. *Inscr. 15. pag. 883.*

Cornelia. maritus Q. Æmilius Lepidus.

L. Scribonius Libo Drusus. de hoc *Tac. lib. II. Annal. cap. 27.* dum proavum Pompejum, amitam Scriboniam, qvæ qvondam Augusti conjux fuerat, consobrinos Cæsares, plenam imaginibus domum ostentat.

Scribonia, interfecta à Claudio. *Senec. in Apocol.*

M. Licinius Crassus Frugi è Pisonibus, sed adoptatus à M. Licinio Crasso. meminit *Inscr. 6. p. 200. Tac. lib. I. Histor. cap. 14.* interfectus à Claudio. *Sen. in Apocol.*

Faustus Cornelius Sulla Cos. Suff. VII. Eid. Mai. A.U. 783. qvo occisus Sejanus. *Inscr. I. p. 1087.* non observarus antiqvariis nostris.

L. Corn. Sulla Felix, Cos A.U. 785. collegâ Ser. Sulpitio Galbâ. *Inscr. I. p. 1087.* malè descriptus ab Onufrio & Golizio L. F. P. N. Hoc enim modo non esset à Felice Dictatore, qvod tamen indicat cognomen Felicis in citato lapide. In eburneâ tesserâ reperiuntur ipsi isti Cos. L. Sulp. L. Sulla. Citat *Vrsinus ad lib. VI. Annal. Taciti.* Ex hoc vel ejus fratre Fausto natus est.

Æmilia Lepida P. Sulpicii Qvirini uxor. De hac *Tac. lib. III. Ann. c. 22. & 23.* cui super Æmiliorum decus L. Sulla & Cn. Pompejus proavi erant.

M' Æmilius Lepidus, Asiæ Procos.

Licinia Crassi Frugi Pontificis F. Magna, L. Pisonis Pontificis uxor. *Inscr. I. p. 306.*

M. Crassus Frugi Cos. A. U. 816. interfectus à Nerone. *Tac. l. I. Hist. c. 48.* ab hoc descendere Crassi Frugi ad Hadriani usqve principatum.

Cn. Pompejus M. gener Claudii. *Sen. in Apocol. Svet. in Calig. cap. 35. & in Claud. cap. 27. & 29. Tac. lib. I. Hist. cap. 48.*

L. Calpurnius Piso Licinianus, adoptatus primùm à Pisone, deinde rursus à Galbâ; M. Crassi & Scriboniæ F. *Tac. l. I. Hist. c. 14.* Pompeji & M. Crassi soboles. *ib. cap. 15.* occisus ab Othone. *Uxor* Verania, *Tac. lib. I. Hist. c. 47.*

*Licinius Crassus Scribonian⁹. de qvo *Tac. lib. I. Hist. c. 47. & lib. IV. c. 39.*

Corn. Sulla, Claudio Imp. per nuptias Antoniæ gener, reus affectati Imperii *A.* U. 807. *Tac. lib. XIII. Annal. c. 23.* Eundem suspectat Nero, & A.U. 810. Massiliam ablegat. *Idem d. l. c. 47.* interficit *A.* U. 814. Fuisse è posteritate Sullæ Dictatoris patet è criminatione Tigellini apud *eund. lib. XIV. c. 57.* Erectas Gallias ad nomen Dictatorium.

HAbemus igitur hîc *duas Pompejas*, & utriusq; posteritatem, *alteram Magni* filiam, L. Cornelii Sullæ Fausti conjugem, *alteram Sexti* Pompeji filiam, Magni neptem, L. Scriboniiconjugem. Utram intelligit Florus? Dico ego, *Sexti filiam*, qvòd addit, *eam patrueles habuisse ex Sullâ*. ubi qvivis videt, abuti vocabulo *patruelium*, atq; ita dicere, qvos propriè debuisset *consobrinos*. Hæc igitur mens Flori: neminem imperio Cæsaris occisum esse præter *Afranium* & *Faustum Sullam*, & hujus liberos cum *consobrinâ Pompejâ*, sive Pompejam Sex. Pompeji filiam cum consobrinis suis, qvi erant Fausti Sullæ filii. Ab hoc longè diversus *Hirtius* in Hist. belli Afr: *Pompejæ cum Fausti liberis incolumitatem suaq; omnia concessit*. Qvorum verborum hic sensus: Cæsarem, etiamsi interfici jussisset Faustum, tamen ejus conjugem Pompejam cum liberis, qvos è Fausto susceperat, conservâsse. Atq; hic intelligit *Pompejam* alteram, *Magni* filiam; & ait Sullæ liberos conservatos, qvos Florus occisos. Utri credemus? *Hirtio*, qvi Cæsaris actiones omnes meliùs novit, qvàm Florus; fuit enim coætaneus & miles & familiaris Cæsaris: dein manifestè falsum est, Cæsarem occidisse *Fausti* liberos: qvum sciamus unum ex illis fuisse sub Augusto III Virum *A. A. A. F. F.* alterum etiam consulem, prætereà nepotes illius Consules sub Tiberio. Sed, inqvis, fortasse *non omnes* jussit interfici? Nugæ! si non omnes, qvomodo *posteris cavit*? Ait enim: *Hîc posteris cavebatur*, h. e. sustu-

lit domum Sullæ, ne scilicet ex illo genere superessent, qvi aliqvando bellum civile instaurarent, contra partes Cæsarianas insurgendo. Qvæ qvum ita sint, patet & mens *Flori* & *negligentia*, qvi qvemcunq; tandem exscripsit, vel non examinavit, vel parum accuratè legit, vel etiam *de industriâ* in Cæsarem *malignus* fuit; ut sæpè *Lucanus* ejus gentilis, Cæsaris apertus hostis; ac simul lucem dedimus multis auctorum locis.

§. 90. *Hîc posteris cavebatur*] Ficta ratio. Nam & illud *falsum*, Cæsarem interfici jussisse Fausti Sullæ liberos. Aliàs nota Principum severitas in hostium liberos. Vide qvæ notavimus *ad Vell. lib. II. c. 7. §. 1.* Minimè tamen probamus illam rationem Augusti Cæsaris, qvi *Cæsarionem* occidit, qvòd diceret, *non expedire Cæsari, ut plures Cæsares essent.* Qvalem etiam causam *gens Osmannica* suis parricidiis prætexere solet. Nullus enim exillâ familiâ ad imperium, nisi parricidio pervenit. *Vide Leunclav. lib. I. Histor. Musulm.*

§. 91. *Distincta radiis corona*] Minùs distinctè de hac ipsâ coronâ scribunt Interpretes. Primò *Freinshemius* malè confundit *coronam radiatam* & *effigiem numinum* apud *Tac. lib. I. Ann. c.* 10 §. 12. cum illo ἀπαυγάσματι *capitis Sanctorum.* Alia enim illius, alia hujus forma. *Capitibus Sanctorum* imponebantur μανίσκοι, ut docet *Scaliger ad Priap. p.* 211. qvem unus & alter exscripsit, dissimulato tanti viri nomine. Difficulter tamen eidem

dem accedo affirmanti, *Christianos* μανίσκους imposuisse statuis, ne ab avibus conspurcarentur; ejusqve rei causam ignorantes pictores credidisse, honoris causâ impositos. Magis enim probo, qvæ affert *Carolus Paschalius lib. IX. Coron. cap. 13. p. 606.* At qvantum ab hisce μανίσκοις & fulgoribus, instar iridis caput ambientibus, differat corona radiata Cæsaris, patet ex numis de qvibus mox dicam. Breviter. Constabat ex *duodecim radiis* emicantibus ex aureâ laminâ, eaq; *lamina* sic imponebatur capiti, *ut diadema.* Secundò, concedimus qvidem Freinshemio, *Statium* potuisse respicere ad omen oblatum Augusto, idq; artificiosè Augusto accommodâsse, cum ait:

-- -- -- licet ignipedum frenator equorum
Ipse tuis altè radiantem crinibus arcum
Imprimat.

Sed ad explicandum Flori locum nihil facit, propter eandem rationem, qvòd diversa sit forma *arcus* illius Solis, à formâ *coronæ* radiatæ imperatoriæ. Neq; arcus iste Solis, coronæ aliqvam speciem præ se ferens, Augusto portendebat divinitatem, sed imperium; ut vicissim *corona radiata* signum habebatur *divinitatis*, non imperii. Qvod etiam contra *Schegkium* notandum, qvi *Velleji* locum itidem malè jungit cum locis *Flori, Svetonii in Aug. c.* 94. *Tac. lib. I. Annal. c.* 10. §. 12. & aliis. Tertiò, non subscribo Freinshemio damnanti lectionem veterem Lucani,

Fulminibus manes radiisq; ornabit & astris.

& svadenti hanc novam, *radiisq; honerabit & hastis.* Scio *hastas*, inter Deorum insignia; & vidi numum æreum apud *Goltzium in tom. de Cæs. Aug. pag.* 23. in qvo conspicitur statua *D. Jul. Cæsaris* sedentis sellâ curuli, ac dextrâ *aquilam*, sinistrâ *hastam* tenentis, cum inscriptione, ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ ΝΕΩΚΟΡ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΘΕΟΣ. sed non ideò in *Lucani* versu expungenda sunt *astra*. Junguntur enim hæc ipsa in numis consecratorum, *fulmen, corona radiata, astrum.* Talis est æreus apud *Goltz. d. t. p.* 21. è qvo decidi potest hæc tota controversia. Eâdemq; pagina occurrit etiam argenteus, in qvo caput Augusti cum *coronâ radiatâ, astro & fulmine*, & inscriptione DIVUS AUGUSTUS. Sed & in numis ejusdem *Augusti* læpissimè conspiciuntur vel *duo astra*, vel etiam *septem*, divinitatis insignia, qvemadmodum in numis consecrati *Julii* supra verticem & *à vertice* simile *astrum*, aliqvando verò *stella crinita*. Deniq; & in ipsius *Julii* numis videmus illam *coronam radiatam*, de qvâ Florus, habentem ab alterâ parte *sex radios*, atq; ita utrimq; *duodecim.* Huc respicit *Lucanus*, qvem *Schegkius* citat:

------ *cui tempora circum*
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt.

atqve de his bissenis radiis plura *Carolus Paschalius l. IX. Coron. c.* 13. *Radiatus* læpè processit *Gallienus*, hoc est, cum coronâ radiatâ, *Treb. Pollio p.* 182.

§. 91. *Men-*

§. 91. *Mensis in cœlo*] Antiqvissimum adulationis genus. *Conon Narrat. Hist. XIX. apud Photium* Cod. CLXXXVI: *Argivi, ab irato Apolline ob eadem Psammathes, & Linum suum è Psammathe filium à canibus gregis laniatum, pestem immissam averti posse, si cæsos placarent, oraculo moniti, non solùm feminas & virgines ad Linum deplorandum miserunt, sed & sacrificium eidem & festum diem, Ἀγνιὰν dictum, mensem etiam Ἀγνιῶνα, quòd inter agnos educatus esset Linus, vocantes instituêre, mactâruntq; eo die, quotquot uspiam reperire poterant canes.*

§. 92. *Quæ omnia velut infulæ*] Notus est mos infulis ornandi victimas. *Videtur huc respexisse Minutius Felix in Octavio* cap. 54: *Miseri in hoc altiùs tolluntur, ut altiùs decidant. Hi enim ut victima ad supplicium saginantur: ut hostiæ ad pœnam coronantur.* Imò noster ad illa *Furii & Manlii* reorum apud *Livium* lib. II. c. 54. *Honoribus & administratione Reipubl. juniores Patrum abstineant; consulares verò fasces, prætextam curulemq; sellam, nihil aliud quàm pompam funeris putent: claris insignibus, velut infulis velatos ad mortem destinari.* Vide ibi *Gruterum.*

§. 92. *Clementiam principis vicit invidia, gravisq; erat liberis ipsa beneficiorum potentia*] Craterus apud *Curt. lib. VI. c.* 8. §. 8: *Quædam beneficia odimus. Meruisse mortem confiteri pudet. Superest, ut malit videri injuriam accepisse, quàm vi-*

tam. Vide ibi *Freinshem. ut & ad c. 6. §. 11.* Rem illustrabo uno & altero exemplo simili. *Victo Lysimacho, Seleucus Nicator* in regiâ suâ tenebat *Ptolemæum Ceraunum*; nec ut captivum, sed ut sobolem regiam, in honore & accuratione habuit, imò spem fecit fore, ut defuncto parente, in paternum Ægypti regnum deduceretur. *At* hominem improbum benè merita nihilo meliorem fecêre. Nam benefactorem ex insidiis trucidavit, & eqvi velocitate adjutus Lysimachiam profugit, ut refert *Memnon apud Phot. cap. 13.* Eadem fortuna fuit *Lamberti* regis Italiæ. Supplicium sumserat de *Mangifredo*; sed in filium ejus *Hugonem* benignus fuit: hunc honoribus auget, & ingenti familiaritate complectitur. Sic fata voluerunt, ut ultrò adsciscceret parricidam suum. Non profectò potuit ullo humanitatis officio injuriæ memoria deleri: erupit per ipsa beneficia vindictæ cupido, & naturâ stimulante, væsanum juvenis animum ad immane facinus exacuit. Admittebat interim lætissimo vultu, ægerrimo pectore liberalitatem regis, & sic potuit fallere. Tandem occasionem venatio dedit. Ergò forte fortunâ à reliqvo disjunctum comitatu, & labore fessum, parricida invadit, & fuste subdormientis cervices elidit. Legendus *Eryc. Puteanus in Hist. Insubr. pag. 265.* Sic cùm *Iohannes* I. rex Daniæ post debellatos Svecos, & acceptam regni Svecici coronam, *Stenonem Sturam* eorum Principem omnibus modis sibi devincire conaretur, nihil effecit. *Meurs. lib. II. Hist.*

Hist. Dan. p. 90. Stenonem ut sibi devinciret, & fidelem deinceps redderet, muneribus & multis affecit & præclaris: inde in Sveciam remittit. Sed profectò apud animum ad malitiam obstinatum idem valent beneficia, qvod injuriæ; & irritant, non obstringunt: planè ut nonnulli morbi per remedia asperantur. Ita Steno nihilo in regem æqvior, qvi tot eum beneficiis ad præstandam sibi fidem, mutuumq; item affectum exhibendum obstrinxisset, cùm reversus donum esset, vetera in ipsum odia præ se tulit: adeò se pridem victum ac dejectum de fastigio ægrè ferens, ut ad belli infeliciter à se gesti mentionem indignabundus barbam velleret, ac vix lachrymas contineret.

§. 93. *Aliiq; patricii consenserunt in cædem Principis*] Mihi omninò placet Pal. sec. lectio: *aliiq; patres.* Freinshemius, qvi *parricidæ* legit, sine causâ recedit à MS. Neq; enim movere eum debuerat, qvòd non omnes conjurati essent è Patribus. Qvid? qvòd idem mox §. 95. sententiam nostram, h. e. MSti Pal. lectionem planissimè confirmat: *Ibi in curuli sedentem eum SENATUS invasit.*

§. 94. *Quanta vis fati! libellus Cæsari datus eodem die*] Sc. index insidiarum. Simile qvid *Archiæ*, Thebarum tyranno accidit. Nam super convivium allatam epistolam, qvæ indicium conjurationis haberet, rejecit, cum voce εἰς ἄυριον τὰ σπενδόμενα, *in crastinum seria.* Sed crastinum non

vidit. Nam eâ nocte à *Pelopidâ* cæsus est, ut è *Plutarchi Pelopidâ* refert *Lipsius ad Sen. lib. de Tranquill. Anim. c. 15. & Casaub. ad Æn. Tact. c. 31. pag. 93.* ubi simile exemplum narratur ab Æneâ de *Astyanacte* prisco Lampsacenorum tyranno. Videlocum memoratu dignum sub finem cap. Eodem modo *Nicephorus Phocas* Imperator, uxoris ac *Tzimiscæ* conjuratione periit, qvòd libellum sibi traditum, in qvo conjuratorum nomina scripta erant, & ut seqventem noctem caveret, non legisset, auctoribus *Zonarâ* atq; *Cedreno*, & ex his narrante *Casaubono ad Svet. Cæsar. cap. 81.* ubi & mox: *Geminum istis exemplum in Annalibus nostrorũ temporum posteritas leget, ac fatorum vim ineluctabilem etiam in eâ cæde recognoscet. Resplanè memorabilis, & quæ olim inter* θαυμάσια ἀχειρώματα *& providentiæ divinæ argumenta jactabitur.* Hæc vir incomparabilis, qvibus indicat cædem *Henrici IV.* Magni Galliarum Regis. Ita deniqve *Cambobachii* sive *Campobassai* Comitis simultates erga *Carolum Burgundum*, & scelerata consilia, *Ludovicus XI.* Galliæ Rex Carolo indicari fecerat, qvem si ille audivisset, haud dubiè se suasq; provincias servâsset omnes. *Tiberius* aspernatus est indicium, aluitqve dubitatione bellum. *Tac. lib. III. Annal. cap. 41. §. 5.*

§. 95. *Ibi in curuli sedentem Senatus invasit*] Cautiores alii postea. *Caracallus* curiam ingressus est, *loricam sub lato clavo* habens. *Spart. in Getâ p. 92.*

§. 95. *Sic*

§. 95. *Sic ille, qui terrarum orbem*] Dura parentatio! Sed esto, & agnoscamus vim divinæ providentiæ, de qvâ *Matthias Bergius* ἐνσεβῶς:

Si mundum hunc spectes, qualem se protenus offert,
Artem, vim, fraudem, cuncta putes agere.
Si propiùs spectes, fortuna est arbitra rerum:
Nescis quam dicas, sed tamen esse vides.
At penitùs si introspicias, atq; ultima primis
Adjungas, tantum est rector in orbe DEus.

Exemplo hujus rei sunt qvinq; *Valesii* Reges. Pater *Henricus II.* & qvatuor filii, *Franciscus II. Carolus IX. Henricus III.* & *Franciscus Alenconius*, qvi cùm *sangvinarii* essent in vitâ, omnes *sangvinem* morientes proprium *profuderunt*. Pater *ex oculo*; primus filiorum *ex aure*; secundus *ex faucibus*; tertius *ex ventre* monachali sicâ percusso; ultimus ex *naribus, ore & oculis*. Ergò

Perjuri, sævi, fatui, hæc spectacula, reges
Vos regere vel mori jubent.

Qvæ tamen non ita intelligenda sunt, tanqvam exitus docere possit, cujus commatis Princeps fuerit. Nam hoc argumentandi genus rejecimus *ad Velleji lib. I. cap. 1. §. 9* & apertè de magnorum Principum exitu *Jul. Cæs. Scaliger lib. III. de Re Poëticâ c. 16: Perquàm pauci*, inqvit, *viri ex iis qui clari atq; illustres tum virtutibus tum fortunâ habiti sunt: quos non infelix exitus, tanquam pro exemplo,*

Fors ostentaverit posteritati. Quin panè omnes aut extra solum patrium, aut violentâ morte periêre. Alexandro Severo cùm *Thrasybulus* mathematicus dixisset, periturum *gladio barbarico*, lætatus est primò, qvòd sibi mortem bellicam & imperatoriam crederet imminere: deinde disputavit, ostenditq;, *optimos* qvosq; *violentâ morte* consumtos, cùm diceret, ipsum *Alexandrum*, cujus nomen teneret; *Pompejum, Cæsarem, Demosthenem, Tullium*, & ceteros insignes viros, non qvietâ morte oppetiisse. *Lampr. in Alex. Sev. p.* 136. De *Philopœmene* confer *Diod. Sic. in Exc. Peir. p.* 300.

AD CAPUT III.

§. 2.

ET *redierat, nisi aut Pompejus*] Exponit, ut prudentem Historicum decet, causas conclamatæ libertatis publicæ. Qvibus probè consideratis, simul patent errata Cassii, Bruti aliorumq; conjuratorum, qvi crediderunt, occiso Cæsare simul profligatam esse tyrannidem. Atqvi, ait noster, non unus Cæsar erat, qvi petebat jugulum libertatis, sed multi. Ex his ipsis *Sex. Pompejus*, Cn. Pompeji M. filius. Nam qvoniam Pompejo patri nunqvam is animus erat, ut in civitate obtineret ἰσονομία, seu, ut vocat Dio, ἰσομοιρία, seu, ut alii, τὸ δημοκρατικὸν h. e. *civilitas & æquabilitas juris*, sed potiùs eminentiam qvandam sibi volebat supra ceteros, qvæ non ferebat parem; qvid aliud, nisi ἰσονο-

μίας excidium? nec ab hac sententiâ filius poterat recedere: ut nec verosimile videbatur cuiqvam sapientum, *Cæsarem Octavianum* damnaturum acta patris adoptivi *C. Julii Cæsaris Dictatoris*. Hoc ipsum est, qvod *ad Velleji lib. II. c. 7. & Sallustii Catil. c. 17. & suprà ad lib. I. c. 9. §. 3.* docui, voluntates esse velut hereditarias; nec tam patres qvàm filios respiciendos ei, qvi securitatem publicam restitutam velit. Adjici potest illud *Juliani* in Misopogene: *Quemadmodum in plantis verisimile est, diffundi qualitates quàm latissimè, ac fortasse in totum similia nasci ea quæ gignuntur, iis, quibus orta sunt: sic etiam in hominibus credibile est, nepotum mores avitis affines esse.* Hæc igitur conjuratis ante cædem Julianam, consideranda fuerant; sed non sinebat imminens optimatum sceleribus Nemesis; & nimis serò ratiocinabatur *Cicero*, cùm *in Epist. 12. lib. XV. ad Atticum* hunc in modum scriberet: *Octaviano satis ingenii, satis animi: videbaturq; erga nostros* φιλίας (Cassium & Brutum) *ita fore, ut nos vellemus, animatus. Sed quid credendum sit nomini, quid hereditati, magni consilii est.*

§. 2. *Si non Collega quondam*] Aliud impedimentum libertatis, *Antonius*. Sed omisit *Lepidum*, qvem non debebat. Nam & ipse acris Julianus erat. *Cassii* qvidem consilium fuerat, etiam hos duos è medio tollendos esse; sed *Brutus* Senator Philosophus ignorans, hisce talibus semel susceptis, aut perdendum aut pereundum esse, à copiâ cædis & sanguinis abhorrebat, sperabatq;, unius

nius Cæsaris morte perpetratâ, libertatem tantoperè desideratâ à S. P. Q. R. sponte & obviis ulnis apprehendendam: atq; ideò vel metu solo *Lepidum* & *Antonium* in potestate Senatus futuros. Secus accidit. Lepidi & Antonii *ambitione*, Senatus *ignaviâ*, & populi *levitate*, omnia amissa sunt. Itaq; *Cicero* vocat *stultam Iduum Martiarum consolationem*, in epist. ad Attic. & *animis* qvidem optimates usos esse scribit *virilibus*, *consiliis puerilibus*. *Excisa est arbor*, inqvit, *non evulsa: Itaq; valdè fruticatur*.

§. 4. *Dum Antonius &c. desciscit in regem. Nam aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem*] Hic lacuna est; qvæ dum suppleatur è MSS. amplectamur interim vero similem conjecturam *Freinshemii*, qvi legit: *desciscit in regem, deserenda fuit populo libertas. Nam aliter &c.* Huc verò pertinet à tot seculis agitata qvæstio, *quæ Reipubl. forma alteri præstet?* Et *Principatum* qvidem ceteris præferunt, tum alii innumeri, tum *Lipsius lib. II. Mon. & Ex. Pol. c. 1. & Bernegg. quæst. in Germ. Taciti 55*. Alii *mixtam* & compositam qvandam Rempublicam è *tribus* hisce *formis*, qvalem instituit *Lycurgus*, ut scribit *Polybius lib. VI. cap. 8.* habuêre Romani, ut vult *idem d. l. c. 9.* Veneti, ut *Contarenus lib. I. de Rep. Venet.* Hollandi, ut *Grotius lib. I. de Antiquit. Reipubl. Batav. c. 1.* Argentinenses, ut *Bernegg d. l.* Ab istis dissentit *Tacit. lib. IV. ann. c. 33. §. 1* ibi: *Delecta ex his* (id est, mixta) *laudari faciliùs, quàm evenire; vel si evenit, haud diuturna esse potest.* Nobis non absurdè respondere videntur, qvamqve *perfectam* esse & *laudabilem*, dum *intra naturam & conditionem* permanserit, nec in vitiosam speciem, tanqvam turpissimum monstrum, degeneraverit. Tunc enim converti eam, & alteram alterius medicinam esse necesse est. Ita præter alios sentit *Forstn. in Hypomn. Pol.* Ecce Romam nostram! Ubi scissa in partes & factiones, semet ipsam cœpit conficere, nulla in foro pax, nulla in Senatu concordia, nulla in judiciis moderatio, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum modus, ut depingunt *Auctor libri de causis corruptæ eloq. & Dio lib. XLV.* Monarchiâ velut remedio indiguit: & vehementer erravit *Brutus*, qvi Monarchiam adeò detestatus est, ut *Cæsarem* interfecerit, noviqve Rempubl. calamitatibus involverit; qvod & ipsius *Senecæ* judicium est *lib. II. de Ben. c. 20.*

§. 5. *Gratulandum tamen in tantâ perturbatione est*] Idem judicium apud *Tacit. lib. I. Hist. c. 50: Propè eversum orbem, etiam cùm de principatu inter bonos certaretur; sed manssisse C. Iulio, mansisse Cæsare Augusto victore Imperium; mansuram fuisse sub Pompejo Brutoq; Rempubl. Nunc pro Othone, an pro Vitellio in templa turos?*

§. 6. *Nunquam coire & consentire potuisset, nisi unius præsidis nutu, quasi animâ & mente regeretur*] Legenda oratio *Mecænatis* apud *Dionem lib. LII. ad Aug.* ubi inter alia disserit, *Mo-*

Monarchiam velut anchoram tum extitisse fluctuanti mundo. Ipse *Augustus* qvanti fecerit hunc statum, constat è *Svet. Aug. c.* 28. Adeò qvidem in posterum etiam necessarius fuit, ut convelli & in alium mutari, sine totius Reipubl. exitio, non potuerit. Dio apud *Philostr. lib. V.* cap. 11: *Metuo, ne Romani longis dominatibus edomiti, nullam jam ferre possint mutationem.* Et ante eum *Seneca lib. I. de Clem. c.* 4. de Principe Romano: *Ille est vinculum, per quod Respubl. coharet: ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt; nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa Imperii subtrahatur.* Et mox: *Tamdiu ab isto periculo aberit hic populus, quamdiu sciet ferre frenos. Quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non fuerit, hæc unitas & hic maximi Imperii contextus in multas partes dissiliet: idemq; huic urbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit.*

§. 8. *Penitùs intremuit*] Non mirum, cùm *omnes mutationes Rerumpubl. eædem, fugam, aliaq; hostilia portendant*, ut è *Platone* scribit *Sallust. in Iugurth. cap.* 3.

AD CAPUT IV.

§. 2.

Qvippe cum intra decem & octo annos] Multos facit injuriæ oportunos ætas: Hinc *Dorimachus* apud *Polyb. lib. IV. c.* 5. Scopam clam hortatur ad societatem contra Messenios, *nihil quicquam à Macedonibus* (Messeniorum sociis) *periculi imminere, ob ætatem illius, qui tùm rebus præesset.* Nondum enim *Philippus* annum ætatis decimum septimum excesserat. Eundem *Philippum* ex eâdem causâ invaserant *Dardani*, ut est apud *Iustinum lib. XXIX. c.* 1. §. 10. & unum ex illius antecessoribus *Europum Illyrii*, apud eundem *lib. VII. c.* 2. §. 7. Idemq; evenit *Mithridati*, Ariobarzanis filio, Ponti Regi, cum qvo *Galatæ* bellum suscepêre, qvòd crederent, viris pugnam cum puero fore. *Memnon* apud *Phot. c.* 25.

§. 4. *Ætate favorabilis*] Ut enim in vere, sic in hac ætate

—— —— πολλὰ δ' ἀμφιθηλὲ χάρις·

multa circum floret gratia, ut loqvitur *Argentarius* in Epigrammate Græco. Adde *Brun. lib. XIV. pag.* 820.

§. 4. *Et injuria*] Junge cum notâ *ad l. hujus t.* 2. §. 89. Adde *Tacit. lib. II. Ann. c.* 43. § 8. *Germanico alienatio patrui, amorem apud ceteros auxerat.* Et *lib. III. Ann. c.* 75. §. 4. *Illi commendatio ex injuriâ.* Item *lib. IV. Ann. c.* 15. § 8. *qui & lib. eod. c.* 26. §. 2. de Dolabellâ: *Huic negatus honor gloriam intendit. Treb. Pollio* de *Herode*, Odenati filio, pag. 193: *Et erat circa illum Zenobia novercali animo, quâ re commendabiliorem patri eum fecerat.* Adde *Tacit.* iterum *lib. VI. Ann. c.* 27. §. 2.

§. 4. *Privatus, quis crederet?*] Ipse *Augustus* in monumento *Ancyrano*: ANNOS. UNDEVI-

DEVIGINTI. NATUS. EXERCITUM. PRIVATO. CONSILIO. ET. PRIVATA. IMPENSA. COMPARAVI. TERQVE. MEAM. PATRIAM. FACTIONIBUS. OPPRESSAM. IN LIBERTATEM. VINDICAVI. Confer *Cic. pro Domo c.* 34 *Gronov. ad Liv. Epit.* 118. Hoc ipsum verò, qvod in monumento crepat Augustus, carpunt alii apud *Tac. lib. I. Ann. c.* 10. Sed *Cicero* passim in *Philipp.* laudibus in cœlum fert, hac ratione nixus, qvòd salutem Reipubl. supremam legem ille judicâsset, qvam Jupiter ipse sanxerit, ut omnia qvæ Reipubl. salutaria essent, legitima & justa haberentur. Vide *Piccart. Disp. XLII. parerg.* 3. *Est* enim *lex* nihil aliud, nisi *recta & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.*

§. 5. *Cruentus & saucius aquilam*] Adde observationi *Freinshemianæ*, qvod de *Nicolao Duthio, Schulthesio Zofingensi* refert *Piccartus decad. I. Observ. cap.* 2.

AD CAPUT V.

§. 1.

Qvos Cæsar pretium militiæ] Hic obiter notabis, qvàm benè veteres milites suos remunerati fuerint. De *Macedonibus* vide *Justin. lib. XII. c.* 4. & adde *Freinshem. ad Curt. lib. X. c.* 1. §. 43. & *cap. c.* §. 8. De *Turcis Leunclav. lib. II I. Histor. Musulmann.* Sed hodie qvid? dicet *Forstnerus*

p. 56. ad illa Taciti: *Enim verò militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam & corpus æstimari.*

§. 2. *Antonii pessimum ingenium*] Ità qvoq; contra *Casaubonum* (qvi *pessimum* malebat, qvòd ridiculo cognomento *Pietas* esset cognominatus) legit *Virdungus*, propter *Velleji* locum *lib. II. c.* 74.

§. 2. *Fulvia gladio cincta virilis militiæ*] De tali muliere *Juvenalis* sat. VI. v. 251:

Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à sexu?

Magnum ergò dedecus imperii Romani, & detrimentum, si fortuna respondisset conatibus! Nam si credimus *Tacito lib. XV. Annal. cap.* 54. *muliebre consilium plerunq; deterius.* Elagabalus, *ubi primum diem Senatus habuit, matrem suam in Senatum rogari jussit. Quæ cum venisset vocata ad Consulum subsellia scribendo affuit* [id est, Senatusconsulti conficiendi testis] *solusq; omnium Imperatorum fuit, sub quo mulier quasi clarissima, loco viri Senatum ingressa est. Fecit & in colle Quirinali senaculum* [id est Senatum] *in quo ante fuerat conventus matronalis, solennibus duntaxat diebus, & si unquam aliqua matrona consularis conjugii ornamentis esset donata* (ita distinguit Salmas. p. 197.) *quod veteres Imperatores affinibus detulerunt, & his maximè, quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitate remanerent. Sed Symiamirica* (ita Pal. & v. e.)

facta sunt SCta ridicula de legibus matronalibus: quæ quo vestitu incederet (ita legit Casaubonus) *quæ pilento, quæ equo sagmario, quæ asino veheretur, quæ carpento mulari, quæ boum: quæ sellâ veheretur; & utrum pelliceâ, an ossêâ, an eboratâ, an argentatâ; & quæ aurum vel gemmas in calciamentis haberet.* Hæc *Lampridius in Elag. pag.* 102. Uncis inclusa delenda censet *Casaubonus.*

§. 3. *Iudicatum hostem*] Hoc eam habebat vim, ut qvi *hostis* judicatus esset, omnia jura & *beneficia perderet civitatis* Romanæ: deinde, ut ejus *bona publicarentur*: tertiò, ut ipse qværeretur *puniendus more majorum*; qvod explicat *Svetonius in Ner. cap.* 49. Deniq; adversus hostem judicatum, qvi antea fuerat civis, *omnia licebant*, perinde *atq; in hostem* alienigenam. *Cic. Philipp. ult.*

AD CAPUT VI.

§. 1.

Qvid contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem?] *Vossius ad Vellej. lib. II. c. 66.* nihil mutandum censet, nisi qvòd ita distingvit: *Quid? contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem.* Sed non respondet ad id, qvod urget *Freinshemius*, qvid sit *contra duos exercitus venire in societatem fœderis?* Certè sensum horum

horum verborum adhuc cum ignarissimis intelligo. Veterem sententiam meam hîc repeto, & lego: *Quid unus contra duos exercitus? Itaq; necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem.* Nec cuiqvâ audacior videbor, qvi consideraverit, qvàm auctorem nostrum temporis & librariorum injuria detruncârit. Et cùm illud etiam constet, solere nostrum eandem in stylo repræsentare imaginem; faciliùs admittet, tanqvam conformem illi loco *c. 2. h. l.* §. 29: *Quid enim una post quinq; legiones? Itaq; ultrò cedente Varrone &c.* Id verò ex mente Flori colligeretur, *Octaviani* consilium prudentibus illis exemplis annumerandum, qvæ recenset *Bernegg. ad Justini lib. VI. c. 1. §. 2. l. c.* non facilè cuiqvam, etiam potentissimo, negotium cum duobus hostibus suscipiendum esse. Dixi de hac ipsâ re *ad Vell. lib. II. cap.* 117. & adjicere nunc velim *Polybium lib. II. c.* 13. & 23.

§. 2. *Diversa omnium nota incendia*] Assentior ex parte *Grutero*, & deleto τῷ *incendia* è Palatinis tribus lego: *Diversa omnium vota.* Malè certè videtur ex *superiore* §. adhæsisse isti. Nisi fortassis ita scripsit Florus: *Diversa omnium nota ingenia*, hoc sensu: satis constat, qvàm diversa fuerint omnium ingenia & cupiditates, ut suprà *lib. II. cap.* 6. § 60. *Constat utriusq; confessione.* Nihil verò tam in Triumviros istos dici potest, qvàm illud *Senecæ lib. II. de Irâ* cap. 8: *Diversis stimulantur cupiditatibus: omnia perdita ob levem*

voluptatem prædamq; cupiunt. Non alia quàm in ludo gladiatorio vita est, cum iisdem viventium pugnantiumq;. Ferarum iste conventus est, nisi quòd illæ inter se placidæ sunt, morsuq; similium abstinent: hi mutuâ laceratione satiantur. Hoc uno ab animalibus mutis differunt, quòd illa mansvescunt alentibus; horum rabies, ipsos à quibus est nutrita, depascitur. Hæc ille. qvæ verisima esse docent simultates istorum Triumvirorum, & infelix exitus *Antonii*, perpetuaq; ignominia *Lepidi*.

§. 2. *Quarum spes ex turbatione Reip.*] Notum est, hoc genus hominum ab *Aristophane in Equitibus* assimilari his, *qui anguillas captantes, ubi tranquillus est lacus, nihil piscium reportant; at si lutum stagni sursum & deorsum commôrint, ibi capiunt demum pisces.* Hinc patet, cur mali tam facilè diteſcant, boni tam lentè. Nam injustitia & rapacitas mater repentinarum opum est, juxta illud Menandri: *Nullus repentè, qui justè vivit, ditatus est: Justus enim paullatim sibi colligit parsimoniâ. At ille insidiatus alicui dudum opes servanti, occupat confestim omnia.*

§. 3. *Apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam*] Ἀμφέπομαι γεωγραφικὴν. Nam *Confluentes*, de qvibus loqvitur, à *Perusiâ* facilè distant spatio 90 milliarium Italicorum, aut ultrà, ut notavit *Voss. ad Vell. lib. II. cap. 65.* Aliter *Appianus* & *Dio*, qvi scribunt, initam istam societatem inter *Bononiam* & *Mutinam*.

§. 3. *Nul-*

§. 3. *Nullo bono more Triumviratus invaditur*] De hac Triumvirorum crudelitate lege *Joan. Antio. h. in Exc. Peir. pag. 799. Casaubonus ad Svet.* Aug. cap. 27. *Triumviros* istos reip. constituendæ, ut & *Dictatores* comparat cum illis apud Græcos Magistratibus, qvi turbato intestinis malis Reip. statu, ad eam constituendam soliti creari: hos *Thessali* Ἀρχὰς, *Lacedæmonii* Ἁρμοστὰς appellarunt, iiq; & verâ tyrannicâ ac regiâ potestate erant præditi, qvamvis nomine abstinerent. Tales isti, qvi cùm se nominarent *Triumviros* Reipubl. *constituendæ*, erant *evertendæ*. Laborabant igitur hoc crimine, qvod *Otho* impingit *Galbæ* apud *Tac. lib. I. Histor. c. 37. §. 5.*

§. 6. *Hæc quoq; nisi multa fuisset*] Qvòd si fieri medicinam necesse est, rectius est more majorum in auctores criminum animadvertere, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat. Consulendi *Freinshem. ad Curt. lib. VI. cap. 1. §. 20. & lib. eund. c. 6. §. 34. Gruter. ad Liv. lib. XXXIX. cap. 35. & discursu XIX. ad Tacitum. Rittershus. ad Salv. p. 35.* Qvid hominum auctoritates advoco? Illa ipsa qvæ

------ prima chaos clementia solvit,
Hæc docet, ut pœnis hominum vel sanguine pasci
Turpe putes. ------

ut canit *Claudianus Paneg. II. in Stilicon.*

§. 6. *Etiam justa cædes haberetur*] Hone-

 stati

stati enim, ut ait *Paullus lib. IV. Sent.* heredis convenit, qvalemcunq; mortem testatoris non inultam relinqvere. Vide *l. 1. heredes. & l. cum fratrem. C. de his, quib. ut indign. heredit. auf.* Item *l. eius. §. ult. ff. de jure fisci.*

AD CAPUT VII.

§. 1.

Sic Cæsarem, quasi Tarquinium regem, regno depulisse videbantur] Sed qvantum isti decepti fuerint, dixi *Prolegom. Histor. Rom. & ad Vell. lib. II. c. 72.* Adde *Forstnerum ad Tac. p. 24. 25. 26.* Sapientiùs T. ille *Quinctius Flamininus* censebat, *Nabidem* tyrannum Lacedæmone relinqvendum esse, qvòd fine gravissimâ ruinâ totius civitatis opprimi non posset, ut refert *Plutarchus in illius vitâ.* Cujus & illud huc pertinet in *Lycurgo*, Laconem qvendam, cùm legisset hoc distichon:

Hos dum Marte parant dominatum extinguere, savus
Ante Selinuntis mania Mars rapuit,

respondisse: *Meritò Viri illi periêre. Expectare enim debuerant, ut ipse per se dominatus conflagraret.* Certè de *Bruto* scribit *Plutarchus* in ejus vitâ p. 987: *Si aliquantisper sustinuisset Cæsari esse secundus, opesq; ejus deflorescere, & gloriam rerum gestarum sivisset marcescere, principatum in civitate haud dubiè fuisse habiturum.*

§. 3. Cùm

§. 3. *Cùm appareret, quæ strages Reip. immineret, displicuit ultio cum Consulis abolitione decreta*] Dubito de veritate correctionis Freinshemianæ: *Displicuit ultio, Ciceronis consilio abolitione decreta.* Stadii editio habet: *consensu Consulis.* In qvâ nescio qvid desiderari debeat. Per *Consulem* intelligo *Antonium.* Verum qvidem, auctorem ἀμνηστίας fuisse *Ciceronem*; sed tamen cùm decerneretur, consensus aderat ipsius *Antonii. Dio lib. LIV.* p. 291. *Ad pacificationem utrinq; concessum est, maximè Antonii operâ.* & qvæ sequvuntur. *Cicero* Philip. I. c. 1. *Omnem memoriam discordiarum oblivione sempiternâ delendam censui. Præclara tum oratio M. Antonii, etiam voluntas: pax denique per eum & liberos ejus cum præstantissimis civibus confirmata est.* Sic & *C. Maximus Clodius Pupienus* svasit *oblivionem præteritorum.* Vide *Capitol. in Max. & Balb. pag.* 170. Confer apud *Herodianum* lib. II X. c. 7. ipsius Maximi verba, concione admilites; qvæ sic corrigit *Casaub. p.* 199: Μηδέ τις ὑμῶν εἰέσθω τῶν πεπραγμένων εἰναί τινα μνήμην, εἴτε ἐφ' ὑμῶν, &c. Adde *Brunn. lib. XII. pag.* 280. De ἀμνηστίᾳ ne qvid dicam, facit opera doctissimorum virorum, *Berneggeri* & *Bœcleri*; qvorum ille orationem, hic dissertationem scripsit de hoc ipso argumento, non minùs prudentem, qvàm elegantem.

§. 6. *Eandem illam, quæ fatalis Cn. Pompejo fuit, harenam insederant*] Legendus ad

hunc locum *Vossius ad Vell. lib. II. c. 70.* confirmans sententiam Lipsii, qvam hîc laudat *Freinshemius.*

§. 7. *Imminentia cladis destinatæ signa.* De hujusmodi signis agit *Piccart. dec. III. cap. 5.*

§. 7. *Assvetæ cadaverum pabulo volucres.* Est hoc ipsum apud *Obsequentem de prodig. c. 129.* cujus locum parùm feliciter emendavit *Freinshemius.* Lego: *Notatum est, prodigii loco fuisse, quòd P. Titius tr. pl. propter dissensiones, collegæ magistratum abrogavit, & ante annum est mortuus. Constat, neminem, qui Magistratum collegæ abstulerat, annum vixisse. Abrogaverunt autem hi: L. Junius Brutus Tarquinio Collatino; Ti. Gracchus M. Octavio; Cinna Helvius Ep. Marullo & Flavo. Bruto & Cassio pugnam adversus Cæsarem & Antoniũ molientibus, in castris Cassii examen apum consedit &c.* Primum legi: *P. Titius tr. pl.* Hic enim fuit, non prætor. *Dio lib. XLVI. p. 367.* Meminit ejus *Cicero in Epist. ad Plancum* Consulem designatum. Abrogavit autem magistratum collegæ P. Servilio Casca, qvi fuit unus è conjuratis. Meminerunt ejus *Appianus, Plutarchus & Svetonius.* Suâ manu cum fratre cecidit in prælio *Philippensi*, ut constat ex antiqvo epigrammate. *Secundò* legi: *Cinna Helvius. Ep. Marullo & Flavo.* Sed Freinshemius, *Corn Cinna, L. Cornelio Merulâ*, habens in animo *L. Cornelium Cinnam* crudelem illum in patriam, & *L. Cornel. Merulam* Flaminem Dialem, qvorum cùm *uterq; Consul* fuerit anno *666. putat Collegas.* Sed non sunt. Nam primùm creati sunt illo anno *Cn. Octavius, L. Corn. Cinna.* Sed cùm Cinna turbaret urbem, pulsus est à collegâ Octavio, cum sex tribunis plebis: & dum civitates Italicas solicitat ad arma, Senatus illi Magistratum abrogavit, & in ejus locum suffecit *L. Cornelium Merulam* Flaminem Dialem. Igitur *Collegæ* sunt *Cn. Octavius* & *L. Cinna*; eoq; abdicante, *Cn. Octavius* & *L. Merula*, non autem *L. Cinna* & *L. Merula.* Hic primus error Freinshemii, qvi putavit Cinnam fuisse Merulæ Collegam. Sed esto; an Cinna coëgit abdicare Merulam? Imò *Merula* suâ *sponte* magistratu *abiit*, Flaminiumq; deposuit, ac sibi venas incidit, ne vivus in hostium veniret potestatem. Consulendus *Pighius in A. V. 666.* (Merulam concordiæ publicæ causâ libentem abiisse magistratu, docet *Diod. Sic. in Exc. Peir. pag.* 484.) Est igitur emendatio Freinshemii contra historiam. Nostra in illâ ipsâ fundamentum habet. *Dio* d. l. p. 368. *Cinna Helvius cùm Marullum Flaviumq; magistratu exturbâsset, mox ipse interiit.* Alter est *C. Epidius Marullus*, alter *L. Cesetius Flavus*, Tribuni plebis. A. U. 709. Meminerunt iidem, qvos citavimus suprà, unde facilè constat, qvàm apud *Dionem* minimè recipiendus sit Μερούλας pro Μάρυλλος. Nec movere qvem debet, Φλαούιον appellari Dioni, qvi aliis *Flavus* est. Sic enim sæpè Græci Κυρῖνον appellant, qvi Latinis *Quirinus*; & alibi *Flavius* cum *Flavo* non semel confunditur.

§. 7. *Obvius Æthiops nimis apertè ferale signum fuit*] *Spartianus in Severo* auctor est, Æthiopis occursum & vocem illam, *Totum fuisti, totum vicisti, jam DEus esto victor*, mox quasi fatalem illius Imperatoris mortem subsecutam. Nimirum abominabantur Æthiopem propter colorem nigrum, qui funebris. Nam lugentium vestis nigra & fusca, quæ *Varroni* dicitur *amiculum nigellum*. ut contrà color candidus lætitiæ & felicitatis index. Vide *Joseph. Laurent. lib. II. Polymath. c. 3. Pigh. in Herc. Prod. p. 302. Lipsl. lib. I. Elect. cap. 13. Petrum Fabr. lib. II. Semestr. c. 10.*

§. 8. *Tuus, inquit, malus genius*] Similem ferè historiam leges apud *Amm. lib. XXV. pag. 287.* De hujusmodi spectris egimus *ad Velleji lib. I. c. 6. 7. & 8. dissert. 1. §. 13. 14. 15.* Addendus *Giphanius indice Lucret. in Simulachra*, ubi disputat, an reverà spectrum viderit *Brutus*? De geniis bonis & malis vide *Scalig. lib. II I. de Re Poët. cap. 26. Lud. Vivem. ad lib. IV de Civit. Dei c. 11. Martinum Delrionem in Agamemn. & Medeam Senecæ. Muret. in Variis, Brisson. lib. I. Form. Paulum Merulam Oper. Cosmogr. part. 2. lib. I. c. 1. Freinsh. ad Curtii lib. III. c. 8. §. 22. & lib. V. c. 13. §. 16.* E veteribus *Ammian. lib. XXI. p. 198. 199.*

§. 11. *Quantò efficacior est fortuna quàm virtus!*] Scilicet in externis. Nam in hominem internum fortuna nihil potest, cùm is semel habitum virtutis indeptus est. Hinc pleriq; veterum virtu-

tutem in cœlum efferunt, & fortunâ semper superiorem faciunt cum eâdem congressam. Qvàm magnificè *Sallustius* in procem. Jugur. *Animus, ubi ad gloriam virtutis viâ grassatur, abunde pollens potensq; & clarus est, neq; fortunâ eget; quippe quæ probitatem, industriam, aliasq; bonas artes neque dare neq; eripere cuiquam potest.*

§. 11. *Non in re, sed in verbo tantùm esse virtutem*] Ad hanc vocem alludere videtur *Horatius lib. I.* ep. 6. v. 31.

----- *Virtutem verba putas, ut*
Lucum ligna?

Videndus de hac ipsâ voce Bruti *Claudius Minos ad Alciati Emblem.* 119. Sed hujus tandem utiliratis est virtus gentilium, ut cùm ad rem ventum est, nihil afferat cultoribus suis. Huc pertinet jambus ille divinus *Paulini* ad *Ausonium*:

Qui corda vanis atq; falsis imbuunt,
Tantumq; linguas instruunt:
Nihil adferentes, ut salutem conferant,
Quod veritatem detegat.
Quid enim tenere vel bonum aut verum queant,
Qui non tenent summum caput,
Veri bonique fomitem & fontem DEum?
Quem nemo nisi in Christo videt.

Ejusdem & illud est:

---- *Virtus mea non mihi virtus,*
Si caream virtute DEi.

Sed

Sed alia virtus in regeneratis, & de qvâ istud Flori dici non potest. Videndus *August. lib. V. de C. D. cap.* 19.

§. 14. *Cùm in Cassio etiam suum animum perdidisset*] Ita solet in partibus. *Alterum* alterius infortunium dejicit. Vide *Freinshem. ad Curt. lib. IV. c.* 16. §. 4.

§. 14. *Ita enim par supereſſe bello convenerat*] Et hic locus est inter prodigiosè corruptos. Naz. præfert, *per supereſſe*. Malim totum locum ita legere: *uti neuter supereſſet bello, convenerat*, hoc est, uti neuter post prælium, si fortuna contra voluntatem suam id dispensaret, viveret, sed uterq; morte spontaneâ in libertatem sese asereret. Rem, qvam tangit, narrat *Plutarchus in Bruto p.* 1002. *&* 1003.

§. 15. *Iudicio suo, scelere alieno*] Hæc non capio. Qvi jubet & svadet, æqvè est noxius, qvàm qvi facit. Vide *H. Grot. lib. II. de I. B. ac P. c.* 1. §. 1. *& notis ad illum locum.* Adde judicium *Dionis Coccejani in Exc Peir. p.* 643. de Trallianis.

AD CAPUT VIII.

§. 2.

ILle Cilicas extinxerat: hic secum piratas navales agitare] Ita legam cum *Vossio ad Vell. lib. II. c.* 73. è MS. Cod. Naz. *Apronium archipiratam terrestrem* vocat *Cic. Verr. V II. c.* 26.

§. 3. *Ma-*

§. 3. *Magnæ indolis signum est, sperare semper*] *Qui quàm minimùm in adversis animum demittunt, factis verò viribusq; insistunt: illi seu publicè id fiat, seu privatim, præstantissimi meritò censentur*, ait apud *Thucyd. lib. II.* Pericles. Ac sanè Athenienses prisci eâ laude excelluerunt, de qvibus legendus *Diodorus Siculus lib. XIII. cap.* 25. *in Orat. Nicolai.* nec minus Romani veteres, de qvibus legati Hieronis apud *Livium lib. XXII. cap.* 37. scire regem suum ajunt, magnitudinem Populi Romani admirabiliorem propè adversis rebus, qvàm secundis esse. *Primislaus* ad rotam lapidariam alligatus, tamen de regno non desperavit. *Brunn. lib. XIII. p.* 587. Vide plura apud *Putean. Comment. in Histor. Insubr. p.* 273. 274. & adde illud *Euripidis* in Ino: Ἐν ἐλπίσιν χρὴ τὸν σοφὸν ἔχειν βίον. hoc est, interprete Gvil. Cantero: *In spe decet, quicunq; sapiet, degere.* Verùmenimverò *multi sunt hujusmodi, ut omnia, quæ optant, sperent; sed postquam cuncta retrò ferri, & contra animi sententiam evenire experiuntur, animis concidant, ut non facile sit ad æquitatem erigere*, sicut prudenter monet Vir Ill. *Aug. Busbeq. ep. IV. Legat. Turc.* ubi verba facit de *Sandæo*, ingentis spiritus viro, speiq; abundante, ac timoris inscio. Qvamobrem nobis hic salubre monitum instillat *Thucydides lib. V.* de Bello Peloponnes. *Spes*, inqviens, *quæ in periculis solatium præbet, si cæteris bonis adjungatur, etiamsi fallat, non tamen evertit. Qui verò in spe omnes res fortunasq; suas defixas habent* (*natura enim ita comparata est,*

ta est, ut nihil non polliceatur) ii non priùs quàm fefellerit, agnoscunt: atq; etiam dum quis agnitam cavere conatur, non abscedit.

§. 5. *Anulis in mare abjectis*] Certum est, nonnunqvam periculum creat anulus in digitis, ut exemplo *Arruntii* & *Richardi* Angliæ Regis, & *Conradini* Sveviæ Ducis ultimi, probat *Kirchmannus lib. de Annulis c.* 25. sed hîc meritò qværit *Virdungus*, si abjecit ut *dignitatis insigne*, (ut vocat *Apul. in Apol.* cujus locum emendat *Lipsius lib. II. epist. Quæst.* 22. & ad eundem videndus *Scip. Gentilis* p. 367. *notâ* 746.) cur non potiùs paludamentum Imperatorium, qvod Darium Codomannum aliosq; feciſſe memorant? Vide *Freinshem. in Curt. lib. III. c.* 11. *§.* 11. *& ad nostri lib. I. c.* 18. *§.* 7. *lit. u. Casaub. ad Sveton. Aug. c.* 10. *& ibid. Bernegg. §.* 9. *lit. a.* Dicam ſententiam meam brevibus: omninò me intelligere compedes remigum, qvos abjici jusserit Pompejus, vel majoris ſtrepitus vitandi causâ, vel ut libertate remigibus datâ, fideliores ſibi redderet. Nam *anulos* vocari *compedes*, docet illud *Martial. lib. III. epigr.* 29.

Has cum geminâ compede dedicat catenas
Saturne tibi Zoilus anulos priores.

Notus est ejusdem verſus lib. XI. epigr. 38.

Anulus iste tuis fuerat modò cruribus aptus.

Hinc *Apul. lib. IX. de Asino aur. p.* 324. ſervis *pedes anulatos* tribuit, *Frontem literati*, inqvit, *& capillum semi-*

semiraſi, & pedes anulati. Gloſſæ: *Anatus*, δακτυλιοφόρος, συμποδισθείς. Ubi, docente *Salmaſio in Vopiſci Aurel. p.* 112. *anatus* idem, qvod *anulatus*. Dubium, an ad hujusmodi factum Pompeji in fugâ alluſerit *Horatius Epod.* 9:

Ut nuper actus cùm freto Neptunius
Dux fugit uſtis navibus,
Minatus urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis.

§. 5. *Pavens atq; reſpectans, & tamen non timens ne periret*] Qvædam editiones habent, *tantùm non timens*. Senſus eſſet: Stolidus ac ſtupidus ille Sex. Pompejus, cùm jam omnibus copiis exutus, inq; mediis procellis morti proximus eſſet, propemodum metuebat, ne periret. Atqve ita perſtringeret metum mortis, ſicut in §. præced. 3. *Magni famam ducis ad inferos ſecum tuliſſet, ſi nihil tentâſſet ulterius. Perditis enim rebus profugit, &c.* Hunc metum mortis *Iſcanus* Poëta *lib. VI. de Bello Trojano, alteram* ait eſſe *mortem*. Eò verò major ejus fuiſſet ſtultitia, qvòd aliam mortem magis vereretur, qvàm cui proximus erat; cùm ſi enſe vel gladio periret, ex mente gentilium hæc eſſet *mors pura*, καθαρὸς θάνατος; contrà μιαρὸς θάνατος *mors fœda* & execrabilis eorum, qvi aqvis ſuffocarentur, qvorum animæ penitùs interire credebantur. Vide *Lipſ. lib. III. Phyſiol. Stoic. c.* 11. *Bernegg. ad Svet. Cæſ. c.* 89. *Voſſ. lib. I. Inſtit. Orat. p.* 89. *Achilles Tatius lib. V. de CL. & L. Amor. pag.* 313.

scribit, *animas eorum, qui pereunt in aquis, nonomninò ad infera descendere, sed propter aquas circumferri.* Portò similis videtur locus suprà *lib. II. cap. 12. § 6.* de Perseo: *Cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret; classem cremari, ne incenderetur.* Nimirum ut hic, dum fugit, in extremo periculo stetit, ita ille, qvæ fugiebat, incurrebat. De ejusmodi pavore *Diogenes* apud Stobæum: *Metus tam improbus est, ut multi rem, quam metuunt, ipsimet anticipent:* Consulendus *Dresemius in Iscan. p. 85.*

§. 5. *Pavens atq; respectans, & tamen non timens, ne periret*] Si stat vulgata, uti animo meo potest, videmus egregiam luctam in animis non benè compositis. Metuunt, & sperant. Pompejus pavebat & respectabat, qvi sese persequebantur; & tamen non metuebat, hoc est, adhuc benè sperabat, & in Antonio salutem suam collocabat.

AD CAPUT IX.

§. 2.

NEc ille defuit vitiis, quin periret] Hoc est, ipse facilem de se præbuit victoriam, cùm vitiis esset immersus & coopertus. Qvod auctoris nostri judicium plurimis interpretatur *Gruterus disc. XXVI.*

§. 3. *Civilesq; Populi Romani discordias læti acceperant*] Nihil novum in hostibus. Sic Romani optârunt discordias Germanorum. Idem facit *Mamert. in Paneg. III. c. 17. & 18.* eandem discordiam suorum Vitellio hosti peracceptam, differit *Otho* apud *Tacit. lib. I. Hist. c. 84.* Vide *not. ad illa Sallustii* in Catil. c. 9: *Jurgia, discordias, iras, simultates cum hostibus exercebant:* & adde *CL. Virdungi Orat. de Concord. & discord.* Portò qvod hic noster ait de *Parthis*, confirmatur Horatiano illo *Epod. 7.*

Sed, ut secundum vota Parthorum, suâ
Urbs hæc periret dexterâ.

§. 3. *Vltro invitante Labieno*] Labieno similis *Cyriades*, post multa facinora pessima, *Persas* petiit, & *Saporem* in Romanum solum traxit. *Antiochiâ* etiam captâ & *Cæsareâ*, *Cæsarianum* nomen accepit. *Treb. Poll. in Cyriad. p. 185.* Hæc ipsa res perdidit Imperium Constantinopolitanum, *cùm susceptis inter se gravissimis inimicitiis, parentes adversus liberos, soceri contra generos, liberi generiq; vicissim adversus parentes ac soceros, fratres adversus germanos fratres, Turcorum subsidia, qui fortunis omnium insidiabantur, ad perniciem mutuam arcesserent,* ut scribit *Leunclav. lib. I. Histor. Musulm. p. 27.* Veteres Athenienses hujusmodi occasiones nunqvam neglexêre, de qvibus *Hermocrates* in Orat. de pace *ad Siculos apud Thucyd.* lib. V: *Athenienses*, inqvit, *cùm sint potentissimi omnium Græcorum, nostra errata studiosè observant, paucisq; navibus adventare, & sub legitimo societatis titulo insi-*

tum odium in sua commoda callidè dirigere solent. Nam quando nos bellum movemus, & istos, qui etiam non vocati venire solent, accersimus; & clades ipsi nobis propriis sumptibus inferimus, illisq; aditum & viam ad imperium aperimus: cui dubium est, quin, si nos confectos debilitatosq; viderint, majore advenientes classe hac omnia adjicere suæ ditioni sint conaturi. Hoc ipsum est, qvod noster mox dicit, *Hostes sub auxilii specie sibi vincere.*

§. 4. *Saxa legatus*] De hoc videndus *Vossius ad Vell. lib. II. c. 78.* Dixi & ego plura in *lib. I. Hist. Rom. c. 1. sub f.* sive in *A. V. 724.* ubi contra *Casaubonum* distinxi à *Q. Didio* legato Syriæ.

§. 6. *Simulato metu*] Simile strategema fuit *Andreæ Bildii Dani* apud *Meursium lib. II. Histor. Dan. p. 148.* Cùm enim *Lubecenses* expeditâ classe *contra Monam* insulam audiret adventare, statim insulanos cogit, tum & tela, commeatum, qvæq; ad vim propulsandam, aut obsidionem etiam tolerandam necessaria, in oppidum & arcem *Stegam* infert: muros qvoq; ocyùs reficit, & cuiqve, si ad urbem oppugnandam accedat hostis, stationem suam assignat. Qvin & magnam copiam ferventis aqvæ ac permixtæ calce picis oppidanos intra mœnia in lebetibus & caldariis apparare idé jubet; ut mulieres, senes, pueri, qvos seu ætas seu sexus à militiâ prohiberet, in oppugnantes ea effunderent. Ita rebus in urbe ordinatis, exscendere in terras hostes sinens, suos intra vallum cohibet. Hostes, metum esse rati, summâ cum securitate

tate excurrentes, cuncta ferro ac flammâ vastant: inde ad oppidum accedentes, oppidanos tanqvam non prodire ausos ad conserendam manum provocant. Qvi cùm sese nihilominus continerent, illi multò audaciores, mox etiam contemnere eos incipiunt. Itaq; invadunt urbem magno impetu, ipso duce *Storterbolio*, ut exemplo incitaret, præeunte. Subire vallum conabantur; ne tormentis, si qvæ essent, lædi possent. Proruebant sine ordine, tanqvam sine negotio urbe potituri. Id præfectus cùm videret, dato signo illicò tormenta explodit: inde in vallum enitentes, qvibus id mandatum erat, aqvam effundunt ferventem, ac permistam calce picem. Qvare postqvam multi cecidissent, tandem animum despondentes, cæso duce *Storterbolio*, pedem & ipsi retulêre. Oppidani fugientes insecuti, plures etiam trucidârunt, accurrente passim ad cædem agrestium multitudine, qvorum domos hostes incenderant.

§. 6. *Donec absumto jactus spatio, adimeret usum sagittarū*] Causa multiplex, cur nō nunqvam Romani duces hostes propiùs accedere passi sint; sed præcipua, ut intra jactum consistentes sagittarii minus inferrent periculi, & ut ad gladios, qvibus præcipuè pollebant Romani, eò citiùs deveniretur. Vide *Freinshem. ad Curt. lib. III. cap. 10. §. 3. Vales. ad Amm. p. 295.*

§. 7. *Circumlato ejus per urbes quæ desciverant capite*] De hoc facto agit idem *Frenshemius*

mius ad Curtii lib. VIII. c. 2. §. 32. Adde qvod scribit *Cic. Phil. II.* Trebonii cervicibus abscissum caput, jussu Dolabellæ, gestatum fuisse in pilo. Sic apud *Valer. lib. IX. c. 9.* C. Helvii Cinnæ tr. pl. à furente plebe discerpti caput, circa rogum Cæsaris fixum jaculo legitur. Apud *Herodianum lib. VIII. c. 5. & 6.* Maximinorum, patris & filii, à militibus occisorum, infixa contis capita, eqvites Romam perferunt, ibiq; omnibus conspicienda præferunt. Deniq; de Rufino trucidato idem scribit *Claudianus lib. II.* in ipsum v. 433.

Nec minùs assiduis certant elidere saxis
Prodigiale caput, quod jam de cuspide summâ
Nutabat, dignâ rediens ad mœnia pompâ.

AD CAPUT X.

§. 1.

EXpertis invicem Parthis atq; Romanis &c. integrata amicitia] Benè *Cæsar* monuit Pompejum *lib. III. de Bello Civili c. 10.* hoc unum esse tempus de pace agendi, dum sibi uterq; confideret, & pares ambo viderentur.

§. 1. *Pari reverentiâ*] Hoc est, ut neuter populus in superiori conditione causâq; poneretur, qvod in fœdere fiebat, cui hæc verba erant adscripta: *Majestatem populi Romani comiter conservent*, ut testatur *Cic. pro Cor. Balbo.* Posteà tamen sub Augusto videntur Parthi hoc genus fœderis ad-

admisisse, ut ipsi in eo inferiori conditione essent. Unde eorum legati apud *Tacit. lib. XII. Ann. c. 10.* §. 4. ad Claudium Cæsarem, *veterem sibi ac publicè captam prædicant cum Romanis amicitiam, & subveniendum sociis virium æmulis, cedentibusq; per reverentiam. ideò regum obsides liberos dari, ut si domestici imperii tædeat, sit regressus ad Principem Patresq;, quorum moribus assuefactus rex melior asciscereturi.* E qvibus verbis patet, Parthos & cessisse per reverentiam tum Romanis, i. e. majestatem eorum comiter conservâsse, & obsides regum suorum liberos Romanis dedisse, & Româ reges sæpè petiisse, ut ipsi pænè se illis subjectos faterentur. Cum qvibus convenit illud *Hegesippi lib. II. cap. 9.* in oratione *Agrippæ* regis: *Persarum* (i. Parthorum) *superba audimus imperia, sed eorum quoq; obsides videmus; & cùm ipsi pluribus nationibus imperent, Romanis gaudent pro fide pacis, simul ut serviendo discant suis imperare. Offerunt vestes, monilia, elephantos, quodq; Romanis summũ tributum,* (ita legit *Lipsius ad Tac. lib. II. Ann. c. 2.*) *reges imponere.* Meminit horundem obsidum *Inscript. II. pag. 288:*

SERASPADANES. PHRAATIS
ARSACIS. REGUM. REGIS. F
PARTHUS
RHODASPES. PHRAATIS.
ARSACIS. REGUM. REGIS. F
PARTHUS

Unde emendari debet *Strabo lib. XVI.* qvi Phraa-

tis qvatuor filios, Augusto datos obsides, nominat *Saraspaden*, *Ceroſpaden*, *Phraanam* & *Boonem*. Sunt enim *Saraſpadanes*, *Rhodaſpes*, *Phraates* & *Venones*. Qvod ipsum qvoq; *VVelſerum* obſervâſſe video in monumentis peregrinis, qvæ adjecit *Adtiquit. Vindel. p.* 166. Deniq; hæc omnia confirmat ipsius Cæsaris oratio, qvâ *d. l. c.* 11. respondet legatis, cùm de fastigio Romano obseqvioq; Parthorum orsus est. Et hanc reverentiam imperio Romano lubentes habebant etiam aliæ gentes; imò *Gothi*, qvamvis victores & Italiæ domini. Consulendus *Freherus not. in Petr. Andloum lib. II. c.* 8. ut nihil per vanitatem dixerit Senatus apud *Herodianum lib. VII. c.* 7. ubi pro *Gordiano* provincias hortatur *parere Romanis, quorum ab antiquo esset imperium, quibus veteri jure gentes aliæ amorem obsequiumq; præstarent*, Vide *H. Grot. not. in lib. II. de I. B. ac P. c.* 9. §. 11. qvi & de fœdere, qvale Romanis cum Parthis fuit, disputat *lib. I. de I. B. & P. c.* 3. §. 21.

§. 2. *Dum titulorum cupidine*] En, hæc urtica jam antiqvitùs homines momordit, eoq; communem temporum morbum arguit. Nimirum *tantò major famæ sitis, quàm virtutis*; ut conqveritur *Juvenalis*. Laboravit hac ambitione *Trajanus*, ut est apud *Sex. Aurel. Victor. Constantius* apud *Ammian. Marcell. lib. XVI.* Materiem triumphi undecunq; petere concupivit *Ap. Claudius Pulcher* Cos. A. V. 610. *Dio Coccej. in Exc. Peir. Peir. p.* 616. 619. Adde *Dion. lib. LV. Histor. p.* 636. de

de Phraate rege Parthorum, qvam contumeliam reposuerit Augusto, qvòd in literis ad ipsum datis, omisisset titulum REGIS REGUM. Sarcasticum admodum illud est, qvod fecisse *Franciscum I.* Galliæ regem accepimus, ad qvem cùm tempore controversiarum Augustissimus Cæsar *Carolus V.* pro ratione majestatis suæ scripsisset, tituliq; Imperiales ac provinciarum dominiorumqve magnum chartæ spatium implevissent, mordax Gallus in responso tantundem spatii insumsit repetitione vocis Galliæ hoc modo: *Franciscus* I. *Rex Gallia, Gallia, Gallia, &c. Piccart. dec. IV. c.* 10.

§. 2. *Ac ne imaginariâ quidem belli indictione*] Vide ad hunc locum H. *Grot. lib. III. de I. B. ac P. c.* 3. §. 6. *& notis ad illum locum*, ubi docet, qvando denunciatio belli necessaria sit. Adde *Diod. Sic. Exc. Leg.* I. *apud Fulvium Vrsinum. Polyb. fragm. apud Vales. in Exc. Peir. p.* 207. *è Suidâ. Diod. Sic. in iisdem pag.* 340.

§. 3. *Simulat fugam*] Vide notam *ad lib. I. cap.* 3. §. 4.

§. 5. *Irent retrò, peterentq; montes*] Ne multitudine circumfunderentur. Constat enim, patentes campos vel inprimis vitandos iis, qvi multitudinem hostis timent. Qvâ ratione commotus *Parmenio* apud *Curt. lib. III. cap.* 7. §. 9. Alexandro regi suo deliberanti de loco, ubi cum Darii immensis copiis prælio congrederetur, instillat, *planitiem ipsis camposq; esse vitandos: ubi circumiri,*

ubi ancipiti acie opprimi possent. De *Datame* scribit *Corn. Nepos* in ejus vitâ, eum cùm adversariis inferior esset copiis, superiorem omnibus prœliis discessisse, qvòd nunqvam manũ consereret, nisi *adversarios locorum angustiis* clausisset. Nimirum secundum præcepta doctorum rei militaris è qvibus videndi *Onosander in Strateg. cap. 21. & Veget. lib. II I.c. 26. Adde Scip. Amiratum lib. XVIII. discurs. 1. in Tac.*

§. 8. *Infesta primùm siti regio*] In siti totius exercitus qvid faciendum sit bono duci, docet *Freinshem. ad Curt. lib. IV. c. 7. §. 12.* Adde sitis exempla apud *eundem d. c.* §. 15.

§. 10. *Vix tertiâ parte de sedecim legionibus reliquâ*] Vide *Vossium ad Velleji lib. II. cap. 82.* ubi hunc ipsum Auctoris nostri numerum præ Vellejano probat.

§. 10. *Ibi incredibili quadam mentis vecordiâ ferocior aliquantò factus est*] Contrà *Plutarchus*, qvi scribit *Antonium* in rebus asperis naturâ longè fuisse præstantiorem, & cum fortunâ adversâ conflictatum, simillimum effectum viro bono. Vide notam *ad lib. I. c. 10. §. 2.* At sub stultorum istorum numero, qvi cùm victi sunt, victores agunt, comprehenduntur, de qvibus dixi *ad lib. I. c. 11. §. 6.* & adde, qvæ scribit *Tacitus lib. XV. Ann. c. 18.* Cùm Parthi *Cæsennium Pætum* ad infamem deditionem compulissent, Romæ tropæa de Parthis, arcusq; medio Capitolini montis sistebãtur:

tur: decreta à Senatu integro adhuc bello, neqve tum omissa, dum aspectui consulitur, spretâ conscientiâ. Confer *Brunn. lib. IX. p. 726.*

AD CAPUT XI.

§. 2.

PRetium libidinum Romanum imperium petit] Simili monetâ percussum illud *Tac. lib. XI. Ann. c. 35. Quicquid avitum Neronibus ac Drusis, in pretium probri cessisse.* Posterioribus temporibus *Marocia*, nobilissima atq; potentissima femina, ut *Hugone* Arelatensium Comite, & tunc Italiæ rege potiretur, eidem Romæ principatum spopondit. Ille pellectus venit, & tanqvam in dotem cives mœnia dicerent, novum blando affectu admisére Principem. Qvanqvam levissimi homines, qvi in mulieris gratiam obliti erant se Romanos dici, non potuerunt constantes esse, ut refert *Puteanus lib. VI. Hist. Insubr. p. 294.*

§. 3. *Vt mente, ita animo quoque & cultu desciverat*] De vestitu ante ruinam mutari solito, vide *Freinshem. ad Curtii lib II I. c. 3* §. 6.

§. 4. *Vt venienti bello occurreret*] Cogitabat illud *Senecæ Consol. ad Martiam* cap. 1: *Oriens adhuc extinguenda malis vis: vehementius contra inveterata pugnandum est.* Cui vicinum est illud *Persii sat. 3. v. 63.*

Helleborum frustra, cùm jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo.

Similiter *Gratius* in Cyneget:

----- *Vitio facilis medicina recenti.*

Sed & his antiqvior *Cicero* Phil. IIX: *Omne malum nascens facilè opprimitur, inveteratum fit plerunq; robustius.* Et *Porcius Latro* in Catilin: *Restinguenda est flamma nobis scelerata & atrox, dum adhuc velata cineribus ac sopita, facultas restingvendi levissimè data est: ne cùm omnia comprehenderit, nos frustra postmodum furibundam atq; exultantem restingvere cupiamus:* Facit huc illud, qvod è recentioribus scribit *Bisselius in Icariâ* p. 207: *Exiguis sæpè radicib⁹ detrimentorum silvas pullulâsse, nullis falcibus amputandas.* Sapienter itaq; *Antipater* apud *Justin. lib. XII. c. 1. §. 9.* bellum Lacedæmoniorum *in ipso ortu oppressit.* Vide ibi *Bernegg.* Stultissimè nos, qvi cùm imperii nostri partes ad bellum civile spectarent:

----- *cùm semina belli,*
Nondum bella tamen. Qualis certamine primo
Ventorum, minùs aura furit, sesèq; moveri
Indignantur aquæ, nec promptus surgere Nereus
Addubitat paullùm & cunctantes consulit undas.

ut canit *Barclajus parte 1. sat.* nunqvam circumspectavimus medicinam, ut oriens sopiretur malum, sed eò usq; serpere passi sumus, ut jam in potestate nostrâ non sit vel tantillum remedii.

§. 5. *Quippe à senis in novenos remorum ordinibus*] *Plutarchus* auctor est, à trinis in denos. *Freinshemius* existimat gradus sive ordines computandos in altitudinem. Hoc, ut fatetur, *Scaliger* ipsum docuit *ad Euseb. n.* 1230. Scaligeri sententia hæc est: *alium ordinem alii juxta altitudinem incubuisse.* Igitur, inqvit, in triremi imus ordo erat propior aqvæ, supremus propior foris navis, medius, inter imum & supremum. Remiges imi versus θαλαμῖται dicebantur, medii ζυγῖται, supremi θρανῖται. Hæc *Scaliger*; qvæ qvatenus non solùm contra rationem, sed & manifestas auctoritates veterum pugnant; nos discessionem facemus. Qvomodo enim regi potuisset hujusmodi moles, in qvâ semper inferior remorum versus supra se haberet alium versum? qvomodo istæ Antonianæ, qvæ, secundum *Plutarchum*, habebant denos ordines? annon à remis superioribus impediti fuissent illi, qvos θαλαμῖται trahebant? Vidi apud *Vrsinum* numos viginti qvatuor, nec pauciores apud *Goltzium*, qvibus Antonius naves suas insculpsit; & in iis nullam invenio molem, qvalem *Scaliger* sibi finxit. Atqvi nemo dubitare potest, qvin pro ambitione suâ, in his monumentis exhibiturus fuerit, si habuisset sive Hexeras sive Deceras ejus formæ. Omnes ita porrectæ & fabricatæ, sicut hodiernæ naves. Sed audiamus *Scaligerum*: Primùm producit veterem auctorem Τακτικῶν, qvi scripserit ad calcem Æliani: ἡ τριακόντορος, καὶ τεσσαρακόντορος, καὶ πεντηκόντορος λέγεται καὶ τὸ πλῆθος τῶν κωπῶν. ἡ μονήρης, καὶ δίκροτος, καὶ ἑφίππους, καὶ τὰς σίτους τὰς καὶ τὸ ὕψος ἐπ' ἀλλήλοις. Sed facilè constat, somnia hæc esse glossatoris cujusdam inferioris, qvi auc-

to-

ctoritates alias, qvas adducemus, consideraverit. Multa talia à nugantibus Græculis illita textibus magnorum Scriptorum, qvi de vetustioribus cognitionem habuerunt opidò tenuem. Imò retorqvemus falsum illud, qvo condire voluit auctoritatem *Bayfii*, in ipsum Scaligerum: *Ad hoc præclarum*

pellibus incubuit stratis, somnosq; petivit,

unde illud somnium protulit de nave in altitudinem dividendâ. Et qvæ ratio differentiæ, ut ex longitudine remorum dicantur naves, qvæ terminentur in ὀρθὸν, & ex ordinibus sibi invicem juxta altitudinem incumbentibus eæ, qvæ in πρῷραν? Historici (qvorum loca citat *Bayfius f.*14.*&* 16.) jungunt τριήρεις καὶ πεντηκοντόρους. Pergit *Scaliger* obvertere locos Vegetii, Virgilii & Lucani. *Vegetius* ait: *Quinos sortiuntur remigum gradus.* Si gradus, ergò in altum, non in longum. *Virgilius*:

---- triplici pubes quam Dardana versu
Impellit, triplici consurgunt ordine remi.

Sanè consurgentes remorum ordines dici non possunt de longitudine. Longitudo jacet, altitudo consurgit. *Lucanus* de qvadriremi *lib.III*:

Quosq; quater surgens exstructi remigis ordo
Commovet, & terno consurgunt ordine remi.

Exstructos remorum ordines non possumus accipere in porrectum. Primum qvod attinet, *gradus* non semper usurpatur, cùm de altidudine sermo est.

est. Noster suprà *lib.IV.c.*2.§.81. *gradum retrò fecit*, ut ibi legit *Salmasius*. Sic apud Livium, *addere gradum*, etiam cùm de militiâ in planitie loqvitur. Virgilii & Lucani locus inane terriculamentum est. Solùm enim describit labores remigum, qvi dum remos trahunt, remi videntur surgere; nec qvicqvam illi faciunt ad obtinendum id, qvod vult *Scaliger*. Jam ut nostram sententiam stabiliamus, qvi τὸ ὀρθὸν Scholiastæ illius Æliani planè explodimus: affero locum Galeni, qvem mecum communicavit *V. CL. Dn. D. Casp. Hofmannus ex* 1. *de Vs. pag.* 24. *lit.a*: Καθάπερ οἶμαι κἂν ταῖς τριήρεσι τὰ πέρατα κωπῶν εἰς ἴσον ἐξικνεῖται, καὶ τοι γ' οὐκ ἴσων ἁπασῶν ὄσων, καὶ γὰρ οὐκ ἀκεῖ τὰς μέσας μεγίστας ἀπεργάζονται. Hoc ait: In triremibus remi medii sunt longissimi, qvi dum remigatur, fiunt æqvales. Si remi medii sunt longissimi, qvomodo stat sententia Scaligeri? Nam secundum Scaligerum, non medii, sed summi, qvos θρανῖται trahunt, sunt longissimi. Hinc non debebat rejicere Scholiasten Aristophanis, cetera bonum, ut ipse fatetur, dum ait: Θρανίτης, ὁ ἐπὶ τὴν πρύμναν. ζυγίτης, ὁ μέσος. θαλαμίτης, ὁ ἐπὶ τὴν πρῷραν. Qvæ jam est auctoritas altera, nos propugnans. Debemus autem has explicationes eò libentiùs accipere, qvòd ipsum Scaligerum expediunt super eo ipso, qvod affirmârat, stupentem. Deniq;, qvid sit *triremis*, dicendum est. Breviter: Qvæ ab *altero latere* habebat *tres* remos, & *utriq; sex*. Sic ἑκτήρης, qvæ habebat ab altero latere remos octo, & utriq; sedecim. *Memnon*

*mnon apud Photium cap.*14. meminit octeris Ptolemæi hunc in modum: *In hac centum viri, suæ quisq; centuriæ ordine, remos ducebant, ut ex alterâ parte DCCC. ex utrâq; autem cIↃ IↃ C. numero essent: qui verò de foris pugnarent, cIↃ CC. Et duo inerant gubernatores.* Hunc locum omninò sic capio, fuisse utrinq; sedecim remos, & singulis adsignatam fuisse centuriam. Qvod noluit admittere Scaliger. sed in tantæ longitudinis navi qvid incredibile? Malo sanè credere istud, qvàm qvod ibidem statuit Scaliger, singulos homines traxisse singulos remos. Qvod qvomodo in supremo tabulato fieri potuerit, nunqvam exputo. Qvæ cùm ita sint, Flori locum considero ἐ κ τὸ ἄψω, uti cum Scaligero Freinshemius; ἀπὸ κ τὸ μέσου, *Antonii naves* supra se non habuisse versus alios; sed deceras qvidem utrinq; habuisse viginti remos, & singulis additos remiges qvàm plures. Numerum definire non possumus: Fuêre enim modò qvinqvaginta, modò octuaginta, modò plures. Adstipulatur huic sententiæ nostræ *Enenckel. ad Thucyd. lib. IV. p.*565. pro Scaligero copiosissimè disserit *Salmas. in observat. ad Jus Attic. & Roman. c.* 28. cui jungendus *Gronov. ad Livii lib. XXXIIX. c.* 38.

§. 5. *Quæ quidem ipsa moles exitio fuit*] Vide not. ad libri hujus *cap.* 2. §. 49.

§. 8. *Sed instare vestigiis Cæsar*] Exemplo avunculi, de qvo *Sveton.* in ejus vitâ c. 60: *Nullum unquam hostem fudit, quin castris quoq; exueret: ita nullum spatium perterritis dabat.*

§. 9. *Non*

§. 9. *Nam pulchritudo intra pudicitiam Principis fuit*] Summam in hoc genere laudem meretur *Aristomenes Messenius*, qvi, cùm virgines Lacedæmonias numero qvindecim captas ejus comites violare vellent, monuit primùm ne hoc facerent, & ad extremum qvosdam non parentes interfecit, ceteris metu coërcitis, ut scribit *B. Hieron. lib. I. adversus Iovinian.* Post hunc pudicitiæ palmam retulit *Alexander M.* apud *Curtium lib. II I.c.* 12. §. 15. ubi vide *Freinshem.* Tertius *Scipio* apud *Valer. lib. IV. c.* 3. & qvartus *Lucullus*, qvi occupatâ Tigranocertâ, multas potentissimorum conjuges captas ab omni injuriâ defendit, eoqve facto maritos sibi conciliavit. Auctor *Dio, lib. XXXIV.* Hos excepére *Julianus* Cæsar, de qvo *Ammianus Marcell.* lib. XIV. *Ex virginibus*, inqvit, *quæ in expugnatione cujusdam oppidi speciosæ sunt captæ, ut in Perside, ubi feminarum pulchritudo excellit, nec aliquam contectare voluit, nec videre.* Deniqve *Sapor* Rex Persarum de qvo idem *lib. XIIX. in Historiâ* captæ Nisibis.

§. 10. *Sepulchra Regum sic vocant*] Putidum glossema, qvod etiam *Freinshemius* notavit. Qvis credat Romanos Romanis ita scribere, qvi qvotidiè videbant Mausoleum Augusti, & aliorum, de qvibus *Vales. ad Amm. p.* 310?

§. 11. *Ibi maximos induta cultus*] Vide not. *ad lib. I. c.* 13. §. 10.

§. 11. *In differto odoribus solio*] More Orien-

rientalium, de qvo *Freinshem. ad Curt. lib. X. c. 10. §. 13.*

§. 11. *Admotisq; ad venas serpentibus*] Ajo, ad venas brachii. Propert. *lib. II I. Eleg. 9.* edit. Scal.

Brachia spectavi sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.

Idem scribit *Plutarchus in Antonio* pag. 955. qvos seqvitur Vir CL. Dn. D. *Caspar Hofmannus* in Variis, qvòd fuerit hæc via mortis compendiosior. Arteriæ namq; brachii statim ducunt ad cor. Brachiis admoveri aspides, docet *Ælian. lib. IX. de Anim. c. 62. qui & cap. 61.* historiam Cleopatræ refert. Contrà vulgò pingunt aspides illas admordentes mammas; & reperitur apud *Gorlæum* gemma 146. qvæ his accedit: sed si qvid video, est seqvioris ævi, vel ad arbitrium ejus sculpta, qvi verum à falso non discernebat. Porrò de illis aspidibus, qvas somniculosas *Cinna*, somniferas *Lucanus* ab effectu vocat, vide *Casaub. ad Sveton. Aug. c. 17. Salmas. ad Solin. p. 341. Vales. ad Amm. p. 239.*

AD CAPUT XII.

§. 1.

Districto circa mala sua imperio] Locus parallelus §. 3. *c. 9. hujus libri.*

§. 2. *Nova quippe pax*] Vide notam *ad lib. II. c. 17 §. 8.* Et huc pertinent verba *Agrippæ* apud *Dionem lib. LII. p. 535: Difficile est futurum, plebi nostra*

stra libertatem, in quâ tot annos vixit, adimere: arduum socios subditosq; partim antiquitus populari imperio rectos, partim à nobis ipsis libertate donatos, nunc in servitutem redigere. Adde Scipion. Amirat. lib. I. disc. 8. in Tac.

§. 4. *Brennos, Senones atque Vindelicos*] Lego: *Breunos, Vennones atq; Vindelicos.* De primis *Horatius lib. IV. od. 14:*

-------- Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus
Breunosq; veloces, & arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer.

Strabo lib. IV. p. 206: Vindelici montana exteriora tenent, magnâ ex parte μετὰ Βρεύνων καὶ Γεναύνων, *cum Breunis & Genaunis.* Sic legendum in tropæo Alpium: ISARCI, BREUNI, GENAUNES. Populi sunt ad Ænum fluvium. Germanis dicti Brunauer. Ab his *Leander Albertus* dictam vult *Breunizonam* vel *Berinzonam*, qvod sit Breunorum castrum. Fluvium etiam, qvi ex *Lucumone* monte profluit, *Breunium* nominant. Secundò scripsi, *Vennones.* Cùm enim *Senones* inter Breunos & Vindelicos locum non habeant, & verò ad scripturam Flori nullum aliud propius accedat, qvàm nomen *Vennonum*, qvos auspiciis Octaviani victos novimus ex eodem Alpium tropæo; nihil admisisse temerè videor. *Strabo d. l. IV.* ponit inter ferociſsimos Vindelicorum, qviq; cum Rhætis

ad Orientem versi sint. *Simlerus comment. de Alpib.* putat incolas *Vallis Venustæ*, qvam Germani *Vinstgovv* nominant. Tamen manuscripti modò *Sennos*, modò *Scennos* appellant; qvod propiùs accederet ad *Stœnos*. Sunt & hi Alpini populi, de qvibus triumphavit Q. Martius Rex. Fragmentum triumphorum: Q. MARCIUS. Q.F.Q.N. REX. PRO. COS. AN. DCX//// /DE LIGURIBUS. STOENEIS. Sed hi non benè junguntur cum *Breunis* & *Vindelicis*. Malim igitur prius. *Valesi. ad Dion. Exc. Peir. pag.* 109. 110. mavult *Cennos*.

§. 7. *Et in viâ primus*] Debere bonum ducem partem laborum in se primum recipere, docui *ad Valerii lib. I. cap. 2. dissert. 1. §. 7.* Id ipsum agit *Gruterus toto discursu XV. in Tacitum, & Virdung. comment. in Agric. Tac. c.* 18. ad locum: *Ipse ante agmen, quò ceteris par animus simili periculo esset.*

§. 7. *Speciosior sangvine*] Maximè lætantur vulneribus suis, tanqvam fortitudinis insignibus, magni duces. *Seneca lib. de Provid.* cap. 4: *Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori casu sangvinem ostentant. Idem licet fecerint, qui integri revertuntur ex acie, magis spectatur, qui saucius redit.* De Sertorio vide *Sallustium fragm. incert. historiæ. cap. 5.* cujus locum in animo habuit *Tacitus lib. IV. Histor. c.* 13. ibi: *Civilis Sertorium se aut Annibalem ferens simili oris dehonestamento.* De Germanis & eorum conjugibus scribit *idem in lib.*

lib. de Germ. cap. 7: *Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt: nec illæ numerare aut exigere plagas pavent.* Ita namq; legit Farnesianus & Romanus codex: & *Lipsius* explicat, robur femineum magis exprimere, tanqvam illæ non numeraverint solùm plagas, sed exegerint, expostulârintq; cum suis, si illæsi rediissent, tanqvam ignavi & vitæ suæ parci.

§. 8. *In hos donandos Vibium misit*] *Pighius, Virdungus* & *Freinshemius* legunt *Tiberium*: *Vossius ad Velleji l. II. c.* 16. negat id benè factum, forrasse qvòd apud Vellejum in bello *Dalmatico* celebretur *Vibii Postumi* opera. Sed aliud bellum *Dalmaticum*, aliud *Pannonicum*; & qvæ causa Floro, ut per totum hoc caput sileret Tiberii gloriam ex bello Pannonico, ceteris Historicis adeò deprædicatam? Qvamobrem omninò probo doctissimorum virorum conjecturam in *hoc* §. 8. sed ab eo diversus est §. 12. ubi de bello Dalmatico. Hunc neqve solicitârunt illi, neq; solicitandus est. Ibi enim vulgata è Vellejo defendi potest: *Sed Augustus perdomandos Vibio mandat.*

§. 9. *Non ex more belli cremata*] Vide notam *ad lib. II. c.* 4. §. 4.

§. 12. *Efferum genus fodere terras coëgit, aurumq; venis repurgare: quod alioquin gens omnium cupidissima studiosâ diligentiâ anquirit: ut illud in usus suos servare videatur*] Ut alia in auctore nostro, sic istum locum contaminâ-

runt improbæ manus, ut qvomodo ſanari poſsit, ferè non videam. An de Dalmatis verum, *aurum ſtudiosâ diligentiâ anquirere?* Atqvi nullâ utebantur pecuniâ, ne ſanctitas illorum inficeretur, ſi credimus *Euſtathio in Dionyſii* Περιηγήσεως v. 97: φασὶ δὲ τὸν Δαλματεῖς δι' ὀκταετηρίδος ποιεῖσθαι τῆς χώρας ἀναδασμὸν, κατά τινα ἀναγραφήν· καὶ οὐδὲ νομίσματι χρῆσθαι, πολλὴν ταύτην ἀφελομένους βίᾳ κιβδηλίαν. Hoc eſt *Ajunt Dalmatas per ſingula quaq; octennia agros denuò dividere deſcriptione quadam agrariâ: & nullâ uti pecuniâ nullisq; numis, multâ iſtâ vitæ depravatione è medio ſublatâ.* Qvem locum exſcripſit è *Strabonis lib. VII. p. 315.* An ſtudiosè inqvirunt ſaltem ad ornandum corpus, ut *Indi Orientales?* Aliàs avaritia occupandarum poſſeſsionum in Dalmatis ſatis nota ex eodem Strabonis loco. Fortaſſe cùm Florus de eorum avaritiâ legiſſet, intellexit hoc avaritiæ genus, qvod inhiat auro; cùm debuiſſet illud alterum. Deinde, ut verè judicat Freinshemius, nullus color, nullus ſenſus eſt in his verbis: *Vt illud in uſus ſuos ſervare videatur.* Dum alius melius qvid exſculpat è MSS. legerim: *Vt illud in uſus ſuos ſervari videretur.* In uſus ſuos, id eſt, Auguſti. Senſus eſſet: juſsiſſe Auguſtum terras fodere, aurumq; venis repurgare, ut avariſsima gens videret, non ſibi ſervâſſe in montibus aurum, ſed Auguſto; ac Dalmatiæ montes non incolarum, ſed Romanorum uſibus divites eſſe, qvâ non potuit major pœna contingere hominibus rerum ſuarum cupidiſsimis. *Statius lib. IV. Silv.*

IV. Silv. od. 7. ait *impalluiſſe* Dalmatas eruendo ex aurifodinis auro. Sed is *pallor* non ad animum referendus videtur (qvod exiſtimavit *Morellus ad d. l.*) ſed potiùs ad corpus. Morellus legerat, qvod ex ejusdem notis ad Strabonem patet:

Quando te dulci Latio remittent
Dalmatæ montes? ubi, dite viſo,
Pallidus foſſor redit, erutoq;
Concolor auro.

hoc ſenſu: *invidiſſe Dalmatas, cùm viderent alios ex ſuis aurifodinis diteſcere.* Qvod qvidem pulchrè faceret ad hunc locum Flori. Sed malo aliorum librorum lectionem: *ubi Dite viſo*, id eſt, *Deo infero*; & ſic totum locum interpretor de luſu poëtico in deſcribendo colore foſſorum. *Lucan.* lib. IV. v. 297.

Non ſe tam penitùs, tam longè luce relictâ
Merſerit Aſſyrii ſcrutator pallidus *auri.*

An locum habet, qvod olim ſuſpicati ſumus: *Vt illud in uſus ſuos eruere viderentur?* ut ſit ſenſus, damnâſſe in aurifodinis, ut homines avariſsimi ibi oculos ſuos paſcerent, & inde ſibi qvoq; divitiarum aliqvid pollicerentur. Similis locus infra §. 59. Nam ut *Cæſar* perſvaderet *Aſturibus*, ut ſedes ſuas mutarent caſtris Romanis, videri voluit ex ipſius nationis bono hoc eſſe conſilium. Erat enim illa regio aurifera, & aliorum metallorum ferax, ut illum locum explicat *Salmaſius.* Se-

neca Consol. ad Helv. c. 9. *Non pretiosus hîc lapis caditur, non auri argentiq; venæ* eruuntur.

§. 13. *Ipsorum etiam barbari barbarorum*] Hoc est, adeò fuêre truces, ut ab ipsis barbaris, pro barbaris haberentur. Similis locus apud *Curtium lib. VII. c. 3. §. 6.* Parapamisadæ appellantur *agreste hominum genus, & inter barbaros maximè inconditum. locorum asperitas hominum quoq; ingenia duraverat.*

§. 14. *Accepit omen Crassus*] Simile apud *Tac. lib. II. Ann. c. 13.* Qvidam Germanorum Latinæ lingvæ sciens, acto ad vallum Romanorum equo, voce magnâ, *conjuges & agros, & stipendii indies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, Arminii nomine pollicetur.* Incendit ea contumelia legionum iras: *Veniret dies, daretur pugna: sumpturum militem Germanorum agros, tracturum conjuges: ACCIPERE OMEN, & matrimonia ac pecunias hostium prædæ destinare.*

§. 16. *Efficacis tamen apud barbaros stoliditatis*] Vide notam *ad lib. I. cap. 12. §. 7.*

§. 17. *Armis etiam Romanis assveverant*] Hinc plerunq; maximum periculum imminebat Romanis. Vide *Liv. lib. VIII. c. 8.*

§. 18. *Quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere solebant*] Plinius in gratiarum actione: *An audeant*, inqvit, *qui sciunt te adsedisse ferocissimis populis eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis, cùm Danubius ripas gelu*

gelu jungit, duratusq; glacie ingentia tergo bella transportat. Idem scribit *Libanius* in Βασιλικῷ: Τὰς ποροτέρας, inqvit, καταδρομὰς, ποθὲν ἂς ἀναβλέπειν μὴ σὸν ἐξὸν, μιᾶς ἢ ἐυχῆς τυγχάνουσιν ἐγίγνετο σώζεσθαι. αὕτη ἦν μὴ παγῆναι βέβαιον ὑπ' ἴσχυρᾳ κρύστάλλῳ, ὥστε ἐπιλθεῖν παρέχειν. *Priores excursiones Scytharum, adversus quos ne oculos quidem attollere licebat, sed unicum supererat votum, cujus compotes, salvi essemus; ne scilicet Danubius solidâ glacie constringeretur, adeò ut transitum barbaris daret.* Hæc *Vales. ad illa Ammiani* lib. XIX. p. 168. 169. *Cùm necdum soluta vernis caloribus nives amnem undiq; pervium faciunt, &c.*

§. 19. *Sic tunc Dacia non victa, sed summota atq; dilata est*] Alludit his verbis ad victoriam Dacicam Trajani Cæsaris. Vult enim dicere: *Daciæ devictæ gloriam, quam Augustus referre non potuit, reservavit Fortuna Trajano.* Scripsit igitur, qvantum ex hoc loco constat, post confectum bellum Dacicum, hoc est, annum Urbis 855. qvo Dacia capta, & in provinciæ formam redacta est, si credimus Eusebio; sive ut nos ex *Spartiani Hadriano* alibi demonstravimus, post annum 858. Fuerunt autem *duo* bella *Dacica*: Priore, legati Decebali, positis in Senatu armis, more captivorum manus copulârunt. Unde *Trajanus* triumphavit, & *Dacicus* appellatus. altero bello, cùm rebellâsset Decebalus, victusq; à Trajano mortem sibi conscivisset, Dacia in provinciæ formam redacta est.

§. 20. *Tanta barbaries est, ut pacem non*

intelligant] Credebant Romani, extra *Roma*-num imperium non esse pacem. *Seneca de Prov.* cap. 4. *Omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit: Germanos dico, & quicquid circa Istrum vagarum gentium occursat.* Ipse Nero apud eundem *lib. I. de Clem.* cap. 1. *Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur.* Cic. pro Sext. c. 23. *Externa bella regum, gentium, nationum, jam pridem ita exstincta sunt, ut præclarè cum iis agamus, quos pacatos esse patiamur.* Sed hanc ambitionem notat *Galgacus* apud *Tacit. in Agric. c.* 30. §. 7. Ubi *solitudinem* faciunt, *pacem* appellant. Ipsi certè Britanni metuebant hanc pacem. Id. *lib. XII. Ann. c.* 33. de Caractaco: *Additis, qui pacem nostram metuebant, novissimum casum experitur.* Et qvid noster infra de fructu pacis *Romanæ*, qvem experti sunt majores nostri. §. 32: *Togas & sæviora armis jura viderunt.* Qvæ pax inferiori seculo multos permovit *Romanos* nobiles, *ut maluerint inter barbaros, quàm suos vivere.* qvemadmodum scribit *Salvianus lib. V. & Oros. libro VII. c.* 41.

§. 22. *In illius honorem concupiit facere provinciam*] Id est, ut ipse de conatu Cæsaris reverenter sentire videretur, *noluit decedere provinciâ.* Nam aliàs alter alterius acta decessione veluti damnabat. Sic *Hadrianus* livore in *Trajanum* decessit provinciis, trans Euphratem & Tigrim sitis, qvas Trajanus *Romano* imperio adjecerat; & prætexebat qvidem facto suo exemplum *Catonis*, qvi

qvi *Macedonas* liberos pronunciavit, qvòd teneri non possent.

§. 22. *Si barbari tam vitia nostra, quàm imperia ferre potuissent*] Et hoc sibi persvadebant *Romani*, non tam grave gentibus fuisse imperium suum. Hinc illud *Livii* in proœmio: *Ea belli gloria est P. R. ut cùm suum conditorisq; sui parentem Martem potissimùm ferat: tam & hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm imperium patiuntur.* Cujus loci examen vide apud *Gruterum*.

§. 22. *Tàm vitia nostra*] Divinè *Polyb. lib. X.* cap. 33: *Manifesta nimis res est, & multorum experientiâ demonstrata, homines de hominibus benè merendo, & bonam omnibus spem ostentando, opes sibi parere & fortunam secundam. qui si posteaquam votorum facti fuerint compotes, maleficiis & impotente dominatu tanquam heri in subditos grassari ceperint; meritò sanè immutatis eorum qui præsunt moribus, & parentium quoq; voluntates simul corruunt.* Idem asseverat Camillus apud *Liv. lib. VIII.* cap. 13: *Firmissimum id imperium, quo obedientes gaudent;* ut contrà verbis *Sallustii* in Orat. de Rep. ordinandâ, *cuncta imperia crudelia, magis acerba, quàm diuturna esse solent.* Accedit *Seneca* lib. I. de Clem. cap. 11. *Cùm Reges cunsenuerint, liberisq; ac nepotibus tradiderint regna; Tyrannorum execrabilis ac brevis potestas est.* Sic Neronem *sua scelera, sua immanitas cervicibus publicis depulit*, ut scribit idem *Tacitus lib. I. Hist. c.* 16.

§. 24. *Hoc velut sacramento sumserant bellum*] Pertinet hoc factum Germanorum ad ea, qvæ notavimus ad ista *lib. I. cap. 9. §. 1: Bona diripit.*

§. 24. *Adeò certâ victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione divisérint*] Huc facientia jam attulimus suprà ad *lib. III. c. 7. §. 2.* Sed addendum, qvod scribunt *Aventinus lib. VII. & Brunn. lib. XV. Ann. Bojor. pag. 976.* Delectam trecentorum eqvitum manum *Adolpho* Cæsari adversus *Albertum Austrium* A. C. 1298. adducebat *Otho* Bojus. Ei se *Albertus Comes ab Haigerloch* cum multò majore Svevorum manu opposuit, victoriæ tam certus, ut *funium compedumq; magnam in castra vim convexerit*, qvodq; antehac factum non legitur, *Tonsores insuper novaculis instructos adduxerit*, eo consilio, ut *rasos deformatosq; ad ludibrium Bojos* ostentare Alberto in vinculis posset. Contrà evenit. Etenim ab Othone obtruncatus Haigerlochius, complures ferro strati, vel eqvorum ungulis obtriti, lætissimumq; Bojis fuit, inter spolia *novaculas funesq;* legere, hostilis *vanitatis insignia* apparatumq; immaturi triumphi.

§. 26. *Bonnam & Gesoniam cum pontibus junxit*] Consulendus *Casaubonus ad lib. IV. Strab. p. 91, lit. d & Lipsius in lib. I. Ann. Tacit. cap. 69.* ubi docent, pontem à Romanis Rheno impositum fuisse in Treviris.

§. 28. *Non per adulationem, sed ex meritis*] Fuerunt enim pleraq; Senatus decreta post illud tempus adulatoria. Vide not. *ad lib. I. c. 11. §. 6. & b. l. c. 9. §. 10.*

§. 29. *Difficilius est provincias obtinere, quàm facere*] Pauci enim audiunt *Sallustianum* illud *Orat. I.* de Rep. ord: *Ut fabricata, sic virtute parta, quàm magnâ industriâ haberi decet, ne incuriâ deformentur, aut corruant infirmata.* Vel illud Narsetis apud *Agath. lib. II.* pag. 41: *Insistendum etiam nunc est veteribus institutis, neq; solùm ob præsentem rerum statum lætari, sed de futuro etiam, ut similis sit, solicitos esse oportet. Qui enim ita consilia sua non instituunt, iis prosperitas stabilis ac diuturna esse non potest, sed in contrarium plerumq; fortuna vertitur. Cujus quidem rei evidens argumentum hæc Francorum clades fuerit, ob quam nunc vos meritò gloriamini. Cùm enim res illorum bono in statu essent, cœperunt in solescere, spei lubricitatem non prævidentes. Itaq; periêre omnes, suâ potiùs temeritate, quàm nostris armis.* Confer *Gruterum in Tac. disc. XVIII.*

§. 30. *Germani victi magis, quàm domiti*] Et posterioribus temporibus triumphati magis, qvàm victi. Vide *not. ad Val. Max. lib. V. c. 6. §. 4.* Et adde *Bernegg. quæst. in Tac. CLVIII.* unde patebit, majores nostros refutâsse famam illam communem, qvam noster tangit suprà *hoc lib. c. 10. §. 7. & h. c. §. 14: Romanos omnium gentium dominos & victores fuisse.*

§. 31. *Libidinem ac superbiam odisse cæperant*

rant] Illam qvidem, qvia *Germani casta gens & severa*, ut scribit *Tac. in Germ. c.* 18. §. 1. unde *Lipsius*, cùm apud eundem *Tacitum d. l. c.* 12. §. 2. legeretur, *Germanos, ignavos & imbelles & corpore infames, cœno & palude, injectâ insuper crate mersisse*, legendum monuit, *torpore infames*, qvòd Germani qvàm longissimè absint ab execrandâ παιδεραστίας notâ. Purgat & *Quinctilianus* inqviens *in declam. pro milite*, cujus pudicitia tentata à Tribuno: *Nihil tale novêre Germani, & sanctius apud Oceanum vivitur.* Vide *Bernegg. ad Tac. q. XC.* & inprimis ipsum *Tac. lib. IV. Hist. c.* 24. At qvales Romani fuerint, præter Historicos & Poëtas, vel unus *Petronius* docere qveat. *Potuitne igitur in tam diversis mentibus pax aut amicitia esse?* ut interrogem verbis *Sallustii in Jug. cap.* 31. De superbiâ dixi ad *lib. I. c.* 7. §. 4. Certè liberis hominibus nil gravius accidere potest, qvàm superbus magistratus, sive ut loqvitur *Ammianus lib. XXIX. nihil est tam iniqvum, quàm ad arduа imperii supercilia etiam acerbitatem naturæ adjungi.* Qvid? qvod servi dominorum fastidium & arrogantiam ægrè ferunt, si credimus *Isocrati ad Demonicum*? Qvamobrem verum superbi faciunt, qvod ait Regum sapientissimus, *Ruinam præcedere superbiam. Nec quisquam* (ut est apud Menandrum) *arrogantia suæ pœnam evitat.*

§. 31. *Ausus ille agere conventum, & in castris se direxerat, quasi violentiam barbarorum, & lictoris virgis & præconis voce, posset inhibere*] Ita lego, ex omnibus MSS. & principe editione, cum *Vossio ad Vell. lib. II. cap.* 118. Vult dicere, ita direxisse Varum actiones suas, qvasi violentissimi hostes jure possent mulceri. Fuit hic genius Germanorum per multa secula. Adhuc superiori deforme atq; humile videbatur, judicis conseqvi sententiâ, qvod qvis armatâ tum suâ tum suorum manu impetraturum sese confideret, ut scribit *Luckius in Numo Francisci à Sickingen.*

§. 32. *Qui jam pridem rubigine oblitos enses, inertesq; mœrerent equos*] Huc pertinent verba *Senecæ lib. de Prov. c.* 4: *Opus est Virtuti ad notitiam sui experimento. Itaq; quidam ultrò se cessantibus malis obtulerunt, & virtuti iturа in obscurum occasionem, per quam enitesceret, quæsiverunt. Gaudent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis, non aliter quam fortes milites bellis. Ego myrmillonem sub C. Cæsare de raritate munerum audivi querentem: Quàm bella, inquit, ætas perit! Avida est periculi virtus, & quò tendat, non quid passura sit, cogitat: Quoniam & quod passura est, gloriæ pars est.*

§. 32. *Togas & sæviora armis jura viderunt*] Hæc enim dominabantur in illâ pace Romanâ. Tacitus, qvæ *pacis adversa* compendiosè vocat *lib. I. Histor. c.* 89. explicat *lib. IV. Ann.* cap. 33. §. 5: *Nos sæva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, & easdem exitu causas conjungimus, obviâ rerum similitudine, & sæ-*

tieta-

tietate. Igitur debebat Germanis sua vita placere præ cultu & scientiâ Romanorum, vel *Senecæ* judicio *lib. II. de Irâ* cap. 2. *Quibus incultus mos, agrestis vita est, circumscriptio ignota est, & fraus, & quodcunq; in foro malum nascitur.* Ubi notat illud ipsum Romanum forum, cui

Multa fuit rabies, & stricta jurgia litis,

versu *Papinii* leviter immutato.

§. 33. *Tanta erat Varo pacis fiducia*] De hac securitate plura dixi ad *Vell. lib. I. cap. 9. §. 1.* quibus tamen, velim, addas *Eryc. Putean. Comm. in lib. V. Hist. Insubr. p. 271. 274.*

§. 33. *Ut ne prædicta quidem*] Prorsus ut Jul. Cæs. supra *h. lib. cap. 2. §. 94.* ubi vide not. nostram.

§ 34. *Tres legiones opprimuntur*] Meminit hujus ipsius cladis *Manilius lib. I. sub fin.* & prodigiorum eam antecedentium:

Quin & bella canunt ignes subitosq; tumultus,
Et clandestinis surgentia fraudibus arma:
Extremas modò per gentes ut fœdere rupto,
Cùm fera ductorem rapuit Germania Varum,
Infecitq; trium legionum sanguine campos,
Arserunt toto passim minitantia mundo
Lumina, & ipsa tulit bellum Natura per ignes,
Oppositaq; suas vires, finemq; minata est.

Equibus manifestò patet, cùm hæc scriberet *Manilius*, recentem fuisse memoriam cladis Varianæ. Atq; ita confirmantur, qvæ de ætate Manilii scripsi

ad Val. Max. Prol. diss. II. §. 8. Meminit ejusdem *Seneca* epist. 47: *Variana clade quàm multos splendidissimè natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, Fortuna depressit? alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit.* Vide ibi *Lipsium*; & ad *Tac. lib. I. Ann. c. 10. & 60.* ubi docet, *Teutoburgiensem saltum*, in qvo clades illa Romanis contigerat, hodieq; nomen suum retinere, & victoriæ cognomine insignem campum Winfeld/ad oppidulum *Hornam* in Westphaliâ.

§. 37. *Tandem vipera sibilare desiste*] Ita vocabant *causidicum* sive *rabulam forensem*: non ineptè. Nam ita qvoq; de causidicis *Apulejus* in Apologiâ: *Jam concesso quodam more rabulis id genus, quo ferinæ solent linguæ suæ virus alieno dolori locare.* Ferinæ, id est, *Viperinæ*, ut explicat ibidem *Scipio Gentilis.* Sic infrà: *Viperæ ritu niveo denticulo atrum venenum inspirare.* De his viperis plura *Ammian. lib. XXX. pag. 419.* ibiq; *Vales. p. 401. 402.* Alii *Canes* appellant, uti *Cassium Severum Horat. 3. Epod. 6.* & eorum *verba canina*, vel *caninam eloquentiam.* Ovidius in Ibin:

Jactat & in toto verba canina foro.

Caninam facundiam dicit *Sallust.* in Fragm. *Caninum studium allatrandi* Columella *præfat. lib. I.* & apud *Tertull. l. de Pallio* fori patronus dicitur *causas elatrare.* Deniq; huc pertinet illud *Seneca consol. ad Marciam c. 27.* ubi de Sejano, cujus tribunal

(ut

(ut de *Verrinis canibus* loqvitur Cicero) solebant improbi accusatores lambere: *Subscriptio, & acerrimi canes, quos ille, ut sibi uni mansvetos, omnibus feros haberet, sangvine humano pascebat, circum latrare etiam hominem & illum imparatum incipiunt.* His adde *Ammianum lib. XV. Cibyratæ illi Verrini tribunal unius legati lambentes.* Ubi *Valesius*: Imitatur Ciceronem, qvi in *actione III. in Verrem* sic ait: *Quid ista cohors, quorum hominum est? Volusii haruspicis, & Cornelii medici, & horum canum tribunal meum vides lambere.* Ubi *canum* nomine Tlepolemum & Hieronem intelligit, fratres Cibyratas; qvos etiam *Cibyraticos canes* appellat in *lib. IV. in Verrem* his verbis: *Simul atq; in oppidum aliquod venerat, immittebantur illi continuò Cibyratici canes, qui investigabant & perscrutabantur omnia.* Et alio loco: *Mirum in modum canes venaticos diceres; ita odorabantur omnia, & pervestigabant.* Aliâ imagine usus *Cyprianus* Epistol. ad Donatum, *forum litibus* dixit *mugire insanum.* Omnes illi aptè & convenienter philosophiæ *Polybii lib. I. c. 82. & Rittershus. l. IV. Sacr. Lection. cap. 9.* è qvibus constat, omnia graviora vitia rectè nominari *feras*; iisq; cooperatos *ferinos.* Qvâ de re & ipse qvondam egi ad illa *Sallustii de Republ.* ordinandâ: *Avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est.* Porrò ut majores nostri, sic etiam *Pannonii* hos canes odisse cœperunt, ut scribit *Ludovicus Vives lib. VI. de causis corruptar. artium in fine*; cujus locum prolixiorem, qvi auctore ille destituitur,

tur, legere potest apud *Bernegg. Quæst. in Tac.* 184. Inter alia verò sic loqvitur: *Venerunt in Pannoniam JCti aliquot, qui barbarum morem (ut ipsi dicebant) magno vultus & superciliorum fastidio aspernati, auctoritate suâ facilè perfecerunt, ut homines rudes ac simplices, illorum se sapientiæ concrederent, Cœperunt illi formulas præscribere, quibus esset petendum atque excipiendum; dies legitimos notare, judici quoq; aliquid assignare, quod diceret, ne muta esset persona. Brevi tempore, ubi nullæ priùs erant lites, omnia vidisses fervere litibus, controversiis, petitionibus, repetitionibus, exceptionibus, comperendinationibus, procrastinationibus. Quod malum tantum & tam subitum animadversum homines prudentiores detulerunt ad Regem; qui re percognitâ JCtos illos continuò regni finibus jussit excedere, & omnia in pristinum morem revocari. Sedata est statim tempestas illa, tanquam si venti posuissent.* Hæc ille. Qvæ dum profero, nemo existimet me istos nescire distingvere à veris JCtis. Imò scio tantùm differre, *quantum Hypanis Veneto distat ab Eridano*, qvantum justitia illa DEÛM soboles ab ipso Diabolo, qvi justitiæ semper adversatur. Bonorum JCtorum qvanta sit necessitas, qvanta utilitas, docet *Piccart. Disp. XXXII. q.* 17.

§. 35. *Duas adhuc barbari possident*] Imò has qvoq; recepére Romani. *Lips. ad Tacit. lib. II. Ann. cap.* 25. Et confirmat numus, qvem laudant *Scaliger ad Euseb. num.* 2033. *& Pigh. in A. V.* 769. Conspicitur in superficie *Germanicus* Cæsar altus

qvadrijugo curru, cum inscriptione, GERMANICUS. CÆSAR. In alterâ stat in habitu militari tenens hastam. Adscriptum: SIGNIS. RECEPT. DEVICTIS. GERM. ubi intelligit signa, Varianâ clade perdita.

§. 39. *In ripa Rheni fluminis staret*] Hic & posterioribus temporibus limes imperii Romani fuit, ut rectè hîc notat *Freinshemius*. *Mamertinus in Paneg.* Maximiano dicto c. 7. *Rhenum videbatur ipsa sic Natura duxisse, ut eo limite Romana provincia ab immanitate Barbariæ vindicarentur. Et quis unquam ante vos Principes non gratulatus est Gallias illo amne muniri? quando non cum summo metu nostro Rheni alveum minuit diu serena tempestas? quando non cum securitate nostrâ illius diluvia creverunt?* Sed qvæ ibidem adjicit de promoto isto limite, pomposa magis sunt, qvàm vera; nec Maximiani victoria diu Galliis profuit, ut seqventium temporum historiæ satis ostendunt.

§. 41. *Curinio*] Est ille *P. Sulpicius Quirinus*, qvi Cos. fuit A.U. 742. & qvem *Lucas* Evangelista & *Strabo lib. XII. p. 569.* Κυρήνιον vocant. De eo cum extraordinario imperio in Palæstinam misso ad censum accipiendum, dixi plura in *Hist. Imperii Rom. ad A.V. 750.*

§. 41. *Sed modestior in æstimandâ victoriâ fuit*] *Quæ* qvidem modestia illis temporibus omninò requirebatur. Consulendus Virdungus ad illa *Taciti in Agric.* cap. 8: *Nec Agricola unquam in*

suam famam gestis exultavit; sed ad auctorem & ducem, ut minister, fortunam referebat. Adde *Bernegg. Quæst. in Tacit.* 176. Dixi & ipse de hac re ad illa *Sallust. in Jug.* cap. 6: *Et cùm omnes gloriâ anteiret, omnibus tamen carus esse.* & ad *Vell. lib. II. c. 79. & c. 121.* & alibi.

§. 42. *In Syriâ Cajus ex vulnere*] Res dubia, in *Syriâ* ne an *Lyciâ* obierit C. Cæsar Augusti filius adoptivus. Illud dicunt *Seneca* pater & *Festus Rufus* & *noster*: istud, *Vellejus, Svetonius, Zonaras*, hoc est, ipse *Dio*. Ne priores deserat *Lipsius*, facit observatio *Bellonii*, ad *Hamam* sive *Hamzam*, Latinis olim *Emesam* vel *Emissam*, hodieq; sepulchrum esse δ. σχῆμα, *in modum quadrangulæ pyramidis fastigiatum, valido cæmento extructum, in quo C. Cæsaris epitaphium Græcis characteribus inscriptum legatur.* At *Voss. ad Vell. lib. II. c. 102.* regerit, esse tantùm κενοτάφιον. Nam *Dionem* clarè scribere, corpus ejus à Tribunis militum Romam delatum; & hoc confirmare inscriptionem, qvæ Romæ sit:

OSSA
C. CÆSARIS
AUGUSTI F.
PRINCIPIS JUVENTUTIS.

Cui qvidem planè assentior, esse cenotaphium, qvod *Bellonius* credidit epitaphium. Sed ob id nondum sublata suspicio de *C. Cæsare* in *Syriâ* mortuo. Potuit enim hoc fieri, qvod aliqvando factum est cum aliis; & sicut *Druso* in *Germaniâ*,

ubi obiit, milites cenotaphium (*honorarium tumulum* vocat *Svetonius*) excitârunt; cujus corpus Romam devectum sepultumq; est in *Campo Martio*: ita hocipsum C. Cæsaris cenotaphium, licet ossa Romam deportata sint, eo in loco extrui, quo mortalitatem explevit. Magnum præstitisset Bellonius, si exscripsisset verba Græca cenotaphii, unde fortasse jam sine ullo negotio nos expediremus.

§. 43. *In hoc unum servitutis genus*] Facilè tolerant externum dominatum eæ gentes, quæ dominatui assvetę, integram servirutem, nullis adstrictam modis, aut legibus, ferre qveunt. *Freinsh. ad Curt. lib. VI. c. 3. §. 6.* Sed tamen & conciliandi ars adesse debet. *ibid.* §. 9. Hìc tamen notanda est differentia. Solebant Romani vel suæ gentis ac civitatis Magistratus in provincias mittere; vel nationibus reges dare exillarum corpore. Ita hìc interpretandus est Florus. Dedêre qvidem *Armenis* regem, sed *Armenium*. Sic posterioribus temporibus *Augustus* dedit *Tigranem*, eoq; interfecto, *Artavasdem*. *Tac. lib. II. Ann. c. 3.* Eadem conditio fuit *Svevorum*. Idem *lib. II I. Hist. c. 5. §. 4*: *Trahuntur in partes Sido atq; Italicus, reges Svevorum, quibus vetus obsequium ergà Romanos & gens fidei commissæ patientior.* ubi *Virdungus* legit, *fidei commissa suorum patientior.* Nihilominus infida Romanis Armeniorum gens fuit, etiamsi suis committeretur; & ferè similis *Hungaricæ*. Ita sanè comparat *Forstn. ad Tac. lib. II. Ann. cap. 56. in addend. p. 40.* §. 44. *Quip-*

§. 44. *Quippe Domnes, quem Rex Artaxatis præfecerat*] Aliis *Donnes* & *Dones*. Zonaræ Ἄδδων, Straboni corruptiùs *Ador*, ut & Vellejo *Adduus*. Vossius ad *Vell. lib. II. c. 102.* derivat ex Hebraicâ voce *Adon*, qvæ *dominum* significat. Notat ibidem errorem Flori, qvòd *Domnem* hunc *Artaxatis* præpositum scribat, cùm fuerit *Artageris*. *Artagera* autem & *Artaxata* urbes diversæ.

§. 44. *Adortus virum intentum libello*] Ut conjurati Cæsarem Dictatorem. Exempla id genus plura collegit *Freinshem. ad Curtii lib. VII. cap. 2. §. 23.*

§. 48. *Quia vehementiùs agere nuntiabantur, non mandata expeditio, sed sumta est*] *Tac. l. II. Ann. c. 20.* de Germanico: *Quod arduum, sibi; cetera legatis permisit.* Idem *lib. XIII. Ann. cap. 39.* de Corbulone: *Sibi, quod validissimum in eâ præfecturâ, sumit, minora Cornelio Flacco legato mandat.* Aliàs vix hoc permittitur principi, cujus ea est conditio, ut præcipua rerum ad famam dirigere debeat, adeoq; non nisi tuta, & cum certâ gloriâ conjuncta sibi sumere, ut alicubi scribit idem *Forstn.*

§. 49. *Quem maria priùs Oceani quàm arma Romana ascensura esse crediderant*] Similis locus *suprà §. 4*: *Noricis animos dabant Alpes atque nives, quò bellum non posset ascendere.* Sed profectò gloriæ avidis nihil tam munitum, nihil tam

altum, qvò non ascendere conentur. Egregiè Gruterus: *Vt semel ambitiosus navem gloriæ ingressus est, non cogitat tempestates aut pericula; sed mentis lumine jam intuetur portum, jam spei manu præmium occupat.* Vide illum ad hæc *Liviana* lib. II. c. 12: *Vt sentias quàm vile corpus sit iis, qui magnam gloriam vident.* Adde ad hunc locum notam *ad lib. III. c.* 1. §. 14. ubi disserui, naturæ munimentis non nimis fidendum esse.

§. 52. *Hos deduxit montibus*] Idem legitur infrà §. 59. Sic pater ejus *Cæsar Dictator*, ut est apud *Dionem lib. XXXIX.* montis *Herminii* incolas, in planitiem demigrare jusserat, ne scilicet loco, suâ naturâ tuto, ad prædas agendas abuterentur. Idem consilium fuit *T. Didii* adversus *Termisenos* apud *Appian.* in Ibericis. *Pompeji*, suprà *lib. III. cap.* 6. §. 14.

§. 52. *Hos obsidibus astrinxit*] Nihil crebriùs occurit hoc consilio. Inprimis autem liberos solebant dare, charissima pignora. *Polyb. lib. III. cap.* 98. & virgines. Vide not. *ad lib.* I. *cap.* 10. §. 7.

§. 53. *Sed jam Cæsar tantus erat, ut posset triumphos contemnere*] Præsertim qvòd jam pervulgatus esset hic honor. Nam ita est: *Carum, quod rarum*; & *omnis honor multitudine compotum* (ut est apud *Liv. lib. I. c.* 10.) *vilescit.* Huc facit illud *Cornelii Nepotis* in Miltiade: *Vt populi nostri honores quondam fuerunt rari & tenues, ob eamq; causam gloriosi, nunc autem effusi atq; obsoleti.* Idem dicit

cit *Plato in Euthydemo* non longè à fine: *Quod rarum, id honorandum. Aqua vilissimi pretii est, cùm sit pretiosissimum.* Et *Hieronymus* ad Evagriũ: *Omne quod rarum est, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemtibiles facit.* Qvidnî autem triumphos fastidiat Augustus, cùm nec ipsis ducibus paullò pòst placuerint ornamenta triumphi, qvòd pluribus is honos communicatus esset? *Tac. lib. XIII. Ann.* cap. 53: *Quietæ ad id tempus res in Germaniâ fuerunt, ingenio ducum, qui pervulgatis triumphi insignibus, majus ex eo decus sperabant, si pacem coluissent.* Qvid? qvòd ipsum imperium tandem eviluit. Hinc *Piso* ille apud eundem *Tac. lib. I. Hist. c.* 17. cùm Cæsar crearetur, nullum exultantis animi motum prodidit, *quasi imperare posset magis, quàm vellet.* Qvi qvidem omnium magnanimorum character est, si credimus *Aristoteli lib. IV. Ethic. c.* 7. ubi scribit, *honoribus modicè delectari, tanquam virtute suâ minoribus: nonnunquam tamen accipere, quòd sibi non possint tribui majora.*

§. 54. *Nec temerè sumptus, ut barbaris, impetus*] Lipsii codex habet: *Nec temerè sumpta, ut barbaris spes.* Vide illum *lib.* II. *Elector. c.* 19.

§. 57. *Vt victoriæ Romanæ stans potiùs esset, quàm incensa, monumentum*] Argumentum magni ducis hoc est. Major igitur mihi *P. Scipio Africanus*, qvi bello *Punico secundo* finem imposuit, qvàm *P. Scipio Africanus Æmilianus*, ejus ne-

pos, qvi bello *tertio*. De utroq; *Vellejus* lib. I. c. 12. *Carthaginem magis invidiâ imperii, quàm ullis ejus temporis noxis invisam Romano nomini, funditus sustulit, fecitq; suæ virtutis monumentum, quod fuerat avi ejus clementiæ.* Sed & æternitate dignior M. ille *Claudius Marcellus*, de qvo *Cic. act. IV. in Verr.* c. 2: *Vrbem pulcherrimam Syracusas, quæ cum manu munitissima esset, tum loci naturâ terrâ ac mari claudebatur, cùm vi consilioq; cepisset, non solùm incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriæ, mansvetudinis, continentiæ.* Sapienter etiam *Fritigernus* dux apud *Amm. Marcell. lib. XXXI. pag.* 447: *Pacem sibi esse cum parietibus.* Qvam ipsam voluit sibi esse *Titus Vespasianus* cum templo Hierosolymitano. Sed aliter Deus ille scelerum vindex. *Joseph. lib. VII. Ἁλώς. c.* 10. Huc etiam pertinet epistola *Belisarii* de non delendâ Româ apud *Procopium lib. III. Gothic.* qvæ integra citatur à *Grotio notis ad lib. II I. de I. B. ac P. c.* 12, §. 2. & *Puteano comment. in lib. I. Hist. Insubr. pag.* 90. Confer *Piccart. in Disp. XL II. th.* 31. Eadem laus *Henrici IV.* Galliæ Regis. *Casaub. Præf. in Polyb. p.* 74. Sed *Artaxata* delevit magnus ille *Corbulo*, qvod *Tacitus lib. XII I. Ann. c.* 41. excusat: *Artaxatis ignis immissus, deletaq; & solo æquata sunt. quia nec teneri sine valido præsidio, ob magnitudinem mœnium; nec id nobis virium erat, quod firmando præsidio & capessendo bello divideretur. vel si integra & incustodita relinquerentur, nulla in eo utilitas aut gloria, quòd capta essent.*

§. 60. *Sic*

§. 60. *Sic Astures & latentes in profundo opes suas atq; divitias, dum aliis quærunt, nôsse cœperunt*] Versutissimum consilium hoc fuit, populos recens domitos à feritate sic abducere, ut ex novo imperio maximam utilitatem sperent, & in posterum ab omni bello abhorreant. Nam profectò ita est: Qvi divitias nôsse cœpit, & sibi paravit, non amat rerum mutationem, secundum illud *Sallustii Orat. II.* de Republ. ordinandâ: *Qui sibi divitias pepererunt, ubi paullùm inclinata Respubl. agitari cœpit, multipliciter curis atq; laboribus fatigantur.* Huc autem planè facit illud *Prudentii* in Psychomachiâ:

Dejiciunt animos ceu victi, & spicula ponunt
Turpiter, heu, dextris langventibus obstupefacti,
Dum currum variâ gemmarum luce micantem
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
Et solido ex auro pretiosi ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus --- --- ---

§. 62. *Nam & Scythæ misêre Legatos*] Nulla annona vilior, qvàm legationum, ubi res prosperè succedunt. Vide *Curtii Supplem. lib. X.* c. 4. §. 15. ubi *Freinshemius* adire jubet *Paschal. in Legato c.* 86. Sic victo *Perse* legationes freqventes ad gratulandum convenêre in stativa *L. Æmilii Paulli* apud *Livium lib. XLIV. c.* 46. Adde *Polyb. lib. II. c.* 11. Similis honor contigit *Iuliano*, de qvo *Amm. lib. XXII. pag.* 211. Vide ibi *Vales. p.* 214. nec non *Heraclio*, de qvo *Baron. in A. C.* 628. *n.* 4.

§. 64. *Sic ubiq; generis humani aut pax fuit aut pactio*] Et in hunc finem tendere debent omnium sapientum Principum bella. Vide *Rittershus. lib. I Satr. Lect. c. 7.* sub f. Eædem cogitationes, eademq; felicitas fuit superiori seculo *Maximiliani I.* cui proinde numus percussus est, in cujus alterâ parte *Pax sedens, fruges fructusq; plenis calathis offerens* conspicitur. Circumscriptum: SUB. CÆS. MAXIMILIANO. AUG. IMPERIUM. ROM. PACATUM EST. In qvo nomine finio (nam qvid *ad* §. 65. attinet dicere, qvem in *Velleji lib. II. c.* 89. interpretati sumus? & qvid de *Augusti* cognomento? cui qvanta vis insit, docuit *Freherus ad Andloum lib. I. c.* 7.) & eò lubenti is, qvod velut post longam jactationem, dulcissimâ sui memoriâ non tantùm me reficit, sed & locum hunc ita illustrat, ut qvi locorum communium agmen alioqvin clauderet, nunc ducat.



IN-

INDEX

Numerus primus *librum*, alter *caput*, tertius *paragraphum*, qvartus paragraphi *notam* designat.

Abortionis poculum. I, 1, 2.
Absentia causa defectionis. III, 6, 6. 2. III, 10, 7.
Aciei instaurandæ modi. I, 11, 2. III, 10. 4.
aciem *ordinaturo quæ observanda.* II, 6, 16. 2.
Acta iniqua non semper possunt rescindi. III, 23, 2.
Adesse, id est juvare. II, 2, 8. 2.
Adolescentes præcoces. I, 1, 5.
Adolescentiæ vires. prol. 6.
Ædes magnificæ irritamenta invidiæ. I, 9, 4. 2.
Æmulatio inter æquales. III, 12, 6. 2. æmulationis *bonum.* II, 15, 5. *damnum. I.* 11, 1.
Æneæ legum tabulæ. I, 24, 1. 4.
Æqualitas discordiæ causa. III, 17, 4.
Æquivocationis ars. II, 6, 5.
Ærarium rapinis non supplendum. III, 9, 3.
Æs symbolum perpetuitatis. I, 24, 1. 4.
Æstivæ veterum deliciæ. I, 11, 7.
Æstus impatientes Galli. II, 4, 1. 2.
Ætas quæ & quousq; publicorum munerum capax. I, 1, 15. 2. *tenera injuriæ opportuna.* IV, 4, 2. ætate *favorabilis.* IV, 4, 4.

Æthio-

Æthiopis occursus ferale signum. IV, 7, 7.3.
Æternitatis figura. I, 7, 8.5.
Affinitas causa concordiæ inter magnates. IV, 2, 13.
Affinitatem *Pompeji malè sprevit Cato.* IV, 2, 9.
Afflicti ab omnibus contemnuntur. I, 14, 1.
Agricultura nobilitati non officit. I, 11, 14. agriculturæ *neglectus.* III, 13, 3. *studiosissimus Regulus.* I, 20, 2.
Aleriæ urbes maritimæ. II, 2, 16.
Alexia. III, 10, 23.
Alieni operis præmia intercipere. II, 16, 4.
de *Alliensis pugnæ die dissensio Autorum.* I, 13, 7. 2.
Alpium altitudo. II, 6, 9.4.
Ambitionis malum. III, 21, 6.
Ambitus honorum. III, 12, 11.
Amici corrumpendi eorum quos destruere volumus. II, 8, 6. *sæpè plura damna inferunt, quàm inimici.* III, 21, 7. amicorum *sive proximorum odia acerrima.* II, 6, 41. Vide *Morum.*
Amissorum vel suppressorum hominum exempla. I, 1, 16.
Αμνησία. IV, 7, 3.
Amor verum vinculum. III, 5, 14.
Amphibiæ. III, 6, 6.
Anarchiæ descriptio. III, 17, 2.
Ανάθηματα. III, 9, 2.
Ancilia. I, 2, 3.
Angues discerpti à bacchantibus. I, 12, 7.
Animæ immortalitas. IV, 2, 71.
Animalia Diis sacra. I, 13, 20.4.
Annales Romani bello Gallico perierunt. I, 10, 5. 4.
Annibalis iter per Alpes. II, 6, 9.3.
Annonæ cura duci inprimis habenda. IV, 2, 22.
Annua successio. I, 9, 2.
Annuli. I, 5, 6. *aliquando periculum creaverunt.* IV, 8, 5.
Annus in quot menses olim divisus. I, 2, 2.3.
Ανύψυχοι. I, 13, 9.
Antidotis corpus munire. III, 5, 26.
Apium examina malum omen. II, 6, 14.2.
Apologorum utilitas. I, 23, 2.
Apotheoses quorundam. I, 1, 18.
Aquis suffocatorum mors fœda & execrabilis. IV, 8, 5. 2.
Aquilæ prodire nolentes. II, 6, 14.3.
Arcanum Aristocraticum ad eludendam plebem honorum communicationem petentem. I, 26, 1. *contra dominationem; collegam addere, tempore circumscribere.* I, 9, 2. *contra dominationem optimatium; provocationem ad populum concedere, intercessionem tribunis.* I, 9, 4.
Archimedis opera. II, 6, 33.
Argentariæ tabernæ. II, 6, 48.2.
Arma nitida militi commendantur. I, 16, 7. III, 3, 15. *aurea.* I, 16, 7. armorum *depositio deditionis signum.* II, 18, 4. arma *& vitam eodem pretio æstimant fortes.* ibid.
Armato inermem se objicere, dementia est. III, 10, 12.
Artibus suis hostem aggredi. III, 1, 10. artes *artibus oppo-*

opponere. II, 6, 26.
Arces urbesq; fortiter defensæ. IV, 2, 40.
Asculum duplex. I, 18, 9.
Aspides. IV, 11, 11. 3.
Astris pro ducibus etiam in terrâ uti. III, 5, 28.
Asylum Romuli. I, 1, 9. 2. ejus utilitas. I, 1, 14.
Avaritia curiæ Romanæ. III, 1, 7. Persei. II, 13, 1. 2. regnorum pestis. ibid. necessitate excusata. III, 9, 3. divitiarum soboles. III, 12, 9.
Aventurieri. III, 8, 3.
Avibus ignota, proverb. II, 13, 5. 2.
Aureum pro inaurato. II, 4, 4. 3.
Aurum olim appensum. I, 13, 7. 2. auro redemta pax. I, 13, 17.
Auspicato creati reges. I, 1, 6.
Auspicia in bellis & eorum varia genera. II, 2, 29. 3.
Autor culpæ hostibus deditus. II, 6, 7. autor & consentiens eâdem pœnâ digni. II, 6, 7. 2. autores teneat pœna. IV, 6, 6.
Αυτὸς ἐμφαλήκην καὶ καλακευτικός. I, 1, 9. 4.
Αυτοχθεία castitatis vindex. I, 7, 9. 2. inexcusabilis. IV, 2, 70. Germanarum mulierum improbatur. III, 3, 16. 3. ejus præcones. II, 15, 17.
Auxiliatores plerunq; sibi metunt. I, 16, 1. I, 18, 6. imperium sibi quærunt. II, 2, 4.

B.

Bacchanalia. V. Angues.
Baja. II, 6, 22.
Barbarorum jus in armis. I, 13, 6. 2. multitudinem in nostrum solum admittere periculosum. III, 3, 2.

Bellua pro Elephanto. I, 18, 8. 3.
Bellum dulce inexpertis. prol. 1. IV, 2, 43. finitimum. I, 9, 6. multa sibi permittit. IV, 2, 85. offensivum præstat defensivo. II, 6, 54. opinione plerunq; gubernatur. IV, 2, 84. 2. & 3. belli alieni accessio. II, 13, 1. apparatus celer. II, 2, 7. prætextus. III, 11, 5. IV, 2, 5. causæ distinguendæ à prætextibus. II, 2, 2. III, 5, 3. jura. II, 7, 4. III, 11, 5. indictio necessaria. IV, 10, 2. 2. bello & pace Roma crevit. prol. 1. bello an pace firmanda Resp. ibid. bello solo fundamenta Imperii firmè non jaciuntur. I, 8, 1. 2. in bello sæpè vana pro veris valent. I, 12, 7. I, 16, 12, 3 II, 18, 5. in bello levia quandoq; magnum momentum faciunt. IV, 2, 83. 2. multum conficit unus dies. II, 6, 23. bella metonymicè pro exercitibus. II, 2, 17. recrudescentia. III, 5, 14. III, 21, 9. geruntur acquirendæ paci. IV, 12, 64. infausto omine inita. III, 11, 2. injusta. III, 11, 5. indicta, legatis antè repetendis rebus missis. I, 13, 6. antequam inchoëntur, omnia tentanda. II, 6, 5. 2. intestina cessantibus externis. III, 12, 2. 2. bellorum comparationes cum tempestatibus, fulminibus, procellis &c. II, 6, 9 cum incendio. II, 17, 2. compendia. I, 3, 3. hereditas. III, 17, 2. III, 22, 1. civilium miseria. I, 3, 3. 2 origines. III, 12, 2. III, 21, 6. principiis non semper respondet eventus. II, 6, 1. II, 10, 2. bellis alienis non facilè se immiscent infirmiores aut finitimi. IV, 2, 23. 2. pluribus simul se non implicandum. I, 17, 2. bella externa aggressuri nihil

hil à tergo hostile relinquere debent. IV, 2, 36. *gerere alieno sangvine.* II, 6, 41. *non sine justâ causâ susceperunt Romani.* III, 11, 5. *pluribus locis gerere spargendis hostibus.* II, 6, 31. *proferendi imperii causâ gerere injustum.* III, 10, 16. *solâ gloriæ vel Imperii cupiditate gerere.* III, 10, 19. *inter bella voluptates exercita.* II, 8, 9. *ob bella Principum plectuntur civitates.* III, 22, 8. bellis *assiduis hostes acuuntur & instruuntur.* II, 3, 3. *in bellis hostium cædes quidam improbant.* III, 21, 24.

Beneficii potiùs quàm injuriæ meminit vir bonus. II, 9, 3. *V. Injuria.* beneficia *beneficiis novis cumulanda.* II, 8, 5. *quædam odimus. IV*, 2, 92. 2. beneficiis *hostes sibi devincire.* I, 18, 15.

Benevolentiam sibi alienis malis parare. IV, 2, 55.

Breuni. IV, 12, 4.

Bulla. II, 6, 24. 2.

C.

Cæsar an jure cæsus? IV, 7, 1. Cæsaris *magnanimitas & clementia. IV*, 2, 50. 2. Cæsarum *Romanorum degeneratio.* prol. 8.

Calamitas & fortuna adversa magnum virum probat. III, 21, 10. *hominum studia allicit.* III, 21, 11. *eos & proba virtutis. I*, 13, 3. *& occasio.* I, 10, 2.

Calliditas. V. Fortitudo. Consilium.

Calones & lixæ ab exercitu removendi. II, 18, 10.

Camillum Romanis obsessis subvenisse negatur. I, 13, 17. 4.

Campaniæ fertilitas. I, 16, 3.

Capi-

Capitolium. I, 7, 8. *ab arce Capitolinâ differt.* I, 13, 13. 2. *pro arce.* I, 7, 8. 6. Capitolia *extra urbem.* I, 1, 5. 2. I, 7, 8. 6.

Captivos remittere. I, 18, 15. *in captivos num sæviendum.* III, 4, 7.

Caput pro præstantissimâ rei parte. I, 7, 8. 6. *rerum deserere exitiosum. IV*, 2. 20. *& comam jactabant fanatici.* III, 19, 4. Capita *velata.* I, 14, 3. *hostium circumlata. IV*, 9, 7. Capita *seu duces tollere.* I, 7, 7.

Castra unde dicta? II, 18, 10. Castrorum *luxus.* II, 8, 9. Castra *metiri in locis aridis.* III, 3, 8. III, 11, 7.

Causam bonam corrumpere sævitiâ. III, 21, 12. causæ, *principia & prætextus quomodo differant.* III, 5, 3.

Causidici. IV, 12, 37.

Celeritas. III, 10, 22. 2. IV, 2, 63. *victoriæ summa.* II, 7, 11. Celeritatis *vis.* II, 2, 6.

Celia. II, 18, 12. 3.

Censuræ utilitas. I, 18, 22.

Census utilitas. I, 6, 3. I, 8, 6.

Cerevisia. II, 18, 12. 3.

Cingulum militum. II, 4, 3. 3.

Civilitas quid? I. 26, 8.

Civitas magna civibus perniciosis non caret. I, 26, 6. 2. *cur negata vicinis post cladem Gallicam?* I, 14, 1. 2. *Civitatis jus multis concessum fundavit Imperium Romanum.* I, 1. 14. *V. Litem.*

Clades nobilitata loca. II, 6, 15.

Clamore debellati hostes. II,18,5.
Claustra, clisura. II,7,10.2.
Clementia magnanimitatis index. III,21,19. *bellum finiat.* IV,2,90. *nimia noxia.* IV, 2, 92.2. clementiæ *vis.* II,6,40.
Cœci liberum responsum. I,18,20.
Cœli clementiâ robur elangueſcit. III, 3, 15. cœlo *propinquare dicuntur res altiores.* II, 6, 9. 4. cœlum *gloriâ ascendere.* II, 19,3.
Cognomina adsumebant Romani, etiam ab iis à quibus victi erant. III, 7, 3.
Collegas qui magistratu abdicâssent, annum non supervivebant. III, 14, 5.
Colloquia suspecta. III, 11, 9. colloqviorum *fraus.* II, 2, 12.
Coloniarum usus. I,4,2.2.
Commeatus. V. Annona.
Conatus irriti. III,4,1.3.
Confidentia nimia. III,3,6.
Conflare. II,15,10.
Conjugiorum necessitas in Rep. I, 1, 10.
Conjurationis pignus sanguis humanus. IV, 1, 4.
Consanguinitati quantum tribuerint Ethnici. I, 18, 6.
Conscientiæ rationem habere. III, 16, 2.
Consecrandi mos, gladios, pugiones, arma, alia. II, 4, 4.
Consilium in arenâ. I, 3, 7. *& ratio sæpè plus potest quàm virtus.* I, 8, 4. consilio *temperanda*

randa arma. I, 18, 14. consilia *celerrima in rebus extremis optima.* IV,1,7.
Constantia in adversis. I,10, 2. II,2,25. *character magni animi.* IV, 2, 83. *in pernegando aut resistendo rebus iniquis.* III, 16, 2, *propositi.* II, 6,43.
Constantinopolitani Imperii incrementum ruina Occidentis. III, 6, 6.2.
Consularis. III, 21, 17.
Consulatus potestas annua. I, 9, 2.
Contemnendum nihil. II, 14, 2. IV, 2,83. contemtus *infelices sequitur.* I, 14, 2. contemtissima *sæpè nocent.* II,14,4.
Contumeliam ægriùs patimur quàm vulnera. I, 7, 4.
Conviviorum apparatus. III,12,12.
Corioli. I,11,9.
Cornu copiæ. prol. 2.
Coronæ in capitibus sanctorum. IV,2,91.
Corporis majestas autoritatem conciliat. II, 14, 3. 2. *deformitas similem ferè animum tegit.* ibid. *proceritas.* I,13,4.2.
Corvus Apollini sacer. I,13,20.2.
Credulitas in pejus prona. II,8,6. *ejus incommoda.* ibid.
Crudelitas lassa. I, 7, 4. 2. *in mortuos abominanda.* IV,2,85. crudelitatis *in victos exempla.* II, 6, 18. crudelitate *bonitatem causæ corrumpere.* III,21,12.
Culpam aliis aspergendi usitatissima fraus. III,5,3.

Cunctatio quandoq; utilis. IV, 2, 42. *tam bello quàm togâ.* II, 6, 27. *nimia nocet.* ibid.
Cuniculi. I, 12, 9.
Curiæ. I, 6, 3. 4.
Currus pro munimentis objecti. III, 3, 16. 2.
Cynocephalæ. II, 7, 11. 2.

D.

Dacia victa. IV, 12, 19.
Dalmatæ nulla pecuniâ utebantur. IV, 12, 12.
Decoquere. prol. 8.
Deditio omnium, id est, divinorum humanorumq; I, 16, 2. deditionis *formula.* ibid. *ad* deditionem *compellere carissimarum rerum periculis.* II, 6, 35. 2. *in* deditos *non est sæviendum.* II, 8, 18.
Defigere. I, 1. 2.
Desperationis exempla. I, 12, 4. *vires.* II, 15. 13. desperatis *audaciissima quæq; tutissima.* III, 20, 4. 1. *cum* desperatis *non pugnandum.* II, 15, 13.
Desultores. III, 3, 10. 2.
Devotionis formula. I, 13, 9.
Deum qui iratum habet, ei omnia adversantur. II, 6, 15. 2. *Dii aversi.* II, 6. 20. 3. *gentilium à gentile explosi.* II, 12, 9 Deorum *assistentia in prælijs à Polybio irrisa.* I, 11, 4. *iram privatis injuriis lenire.* I, 22, 4. Deos *Ethnici fingebant invidiâ tangi.* I, 13, 1. IV, 2, 1. *Diis genitos se dicebant spurii.* I, 1, 1.
Dies novâ notione. II, 6, 58. dies *fastis damnati.* I. 13, 7. 2.

Disciplina frenum contumacium. I, 1, 9. 3. disciplinæ *militaris utilitas & necessitas.* I, 3 1. 2. disciplinâ *restauratus exercitus.* II, 18. 9.
Discordiæ fiduciâ hostem aggredi. IV, 2, 62. *semina spargere.* II, 2, 4. discordiam *libenter audiunt exteri.* IV, 9, 3.
Divinæ iræ & pœnæ instrumenta. III, 21, 8.
Divites non amant mutationes Reip. IV, 12, 60. Divitiæ *causa belli.* III, 9, 3. *& exitii.* ibid. *& multorum malorum.* III, 12, 7. 2. *tyrannidi aditum struunt.* III, 12, 13. *emolliunt.* IV, 12, 60.
Duella. I, 13, 20.
Dux bonus primus in prælio, postremus in fugâ. I, 18, 10. *militibus suis fausta acclamet, etsi falsa.* I, 3, 7. *callidus, quicquid ob venit, in occasionẽ arripit, firmando militi.* IV, 2, 84. *magnanimus in tecta & domos non sævit.* IV, 12, 57. *partem laborum in se recipiat.* IV, 12, 7. *ignavus.* II, 8, 4. *timidus.* II, 12, 8. *viæ, pastor.* II, 7, 10. Ducis *constantia.* III, 10, 4. 2. *autoritas & severitas quid præstet.* II, 2, 17. 2. *alacritas & mœstitia militem mirè afficiunt.* IV, 2, 79. *justitia & moderatio quàm efficax.* I, 12, 6. *sanctitas & virtus quid efficiat.* II, 6, 40. *clementia etiam hostes allicit.* ibid. *summi præsentia necessaria, ubi de summâ rerum agitur.* II, 8, 12. *V.* Princeps. *ducis & militis officia implere.* IV, 2, 50. Duce *interfecto belli requies.* I, 16, 12. 4. *sublato diffugiunt milites.* III, 11, 10. *in duce quantum instar.* I, 18, 18. II, 17, 13. *etiam felicitas spectanda.* III, 6,

III,6,7. Duces *perſequendi in bello, non vulgus. I*,1,11. Ducum *autoritas in ſedandis ſeditionibus. I*,22,2. *ſed non obnoxiorum aut avarorum.* ibid.

E.

Ebrietas cauſa calamitatum. *II*,10,3.
Egeria. *I*,2,4,2.
Educatio ſtricta. *III*,8,6.
Elephanti, boves, Lucæ. I,18,6.2. *commune malum.* *I*,18,12. elephantorum *odorem equi reformidant.* *I*,18,8.
Eloquentiæ abuſus. *III*,14,1.
Emicare. *I*,18,4.2.
Epitomatores. prol. pr.
Equos ablegare. IV,2,82. *Equis dilacerare.* *I*,3,8.
Errorem in conſilium vertere. III,3,8. *in occaſionem.* *IV*,2,84.
Exercitus magni incommoda. IV,2,49.2. exercitus *tempeſtate deleti. II*,6,15.2. Vide *Miles.*
Expiationes veterum. I,13,18.2.
Explorare occultato habitu. I,17,4. explorationis *utilitas.* *II*,12,5.
Exules patriæ infeſti. I,22,2.4. *reſtituti plerunq; ferociores. III*,21,12.2. Vide *Peregrini.*

F.

Fabularum vis. I,23,2. in fabulas *antiqua facilè abeunt.* I,12,11.
Fama bellum conficit. I,3,7, *IV*,2,84 *auget res. II*,8,2. famæ *celeritas. II*,13,2. *incredibilis. II*,12,14. *III*,3,20.

Fa-

Fames ex luxu. III,12,8. famis *ſuſpicionem hoſtibus adimere. I*,13,16. *tolerantia.* *IV*,2,46.
Familiæ bellum gerentes. I,12,1. familiarum *proſpera vel adverſa* *III*,8,1.
Fanaticorum habitus. *I*,12,7.
Fati vis ineluctabilis. IV,2,94. fatales *ſtatus. I*,2,3. 2. fatalia *loca. III*,15,4. *tempora.* *I*,13,7.2.
Felicitas mutat mores. I,3,5. *cauſa inſolentiæ. II*,19,1. *hæc ruina.* IV,2,79,3. IV,12,29. *neglinoxia. IV*,2,79.3. *concoctu difficilis. IV*,2,8. felicitatis *nimia venenum. III*, *gentiam parit. II*,10,2. *nimia Nemeſi obnoxia.* 12,7. *ſua confidentia. IV*,2,37.2. *& moderationis dividuum contubernium. II*,12,11. felicitatem *comitari debet ratio. III*,6,7. felicitate *corrumpimur. I*,13,8. *II*,15,5. *Vide Fortuna.* Felicibus *maria ipſa ſervire dicuntur. III*,5,19. Feliciter! *acclamatio.* *III*,3,20.3.
Femina num poſſit ignominiâ afficere. II,5,3. feminæ *in virum imperium tabulis dotalitiis aſſignatur apud Ægyptios. II*,5,2. feminæ *à caſtris removendæ. II*,18,10. feminarum *garrulitas. IV*,1,6. feminea *virtus. III*,3,16. *Vide Mulier.*
Feretrius Jupiter. *I*,1,11.
Fertilitas bina in anno. *I*,16,3.4.
Feſti dies apti inſidiis. *III*,18,8.
Fides usque ad extremum ſervata. II,6,3. *ſervata etiam hoſtibus in pretio. II*,8,18. fidei *ſervatæ & non ſervatæ exemplæ. II*,6,5.

Filii & propinqui tyrannorum etiam metuendi. I, 9, 3. 2. *parentum similes.* IV, 3, 2.
Florentia. I, 11, 8.
FLORI atas. prol. pr. *quo tempore scripserit? prol.* 8. IV, 12, 19. *affectibus deditus.* I, 1, 12. *ejus stylus poëticus.* I, 10, 8. 2. *& tumor.* I, 13, 17. 5. *& 19. & 21.*
Florum sparsio. II, 7, 14. 2.
Flumina & fontes veteribus culti. II, 20, 7. *cruenta hostium cæde.* II, 6, 18. fluviorum *nomina pro accolis.* I, 18, 24.
Fœdus iniquum. I, 16, 2. *alienis calamitatibus ictum.* IV, 2, 55. *& sponsio quomodo differant.* I, 16, 12. fœdera *juncta cæsâ porcâ.* III, 18, 5. *sanguine mutuo sancita.* IV, 1, 4. fœderum *observantissimi olim Romani.* II, 6, 5. fœdifragorum *pœna.* III, 11, 6.
Fœneratorum impotentia. I, 23, 1.
Forma regia. II, 14, 3. 2. formæ *vis.* IV, 2, 56.
Fortitudinis & calliditatis conjunctio. III, 4, 3. Vide *Prudentia.*
Fortuna Romana. prol. 2. *aurea.* ibid. *adversa eos & experimentum virtutis.* I, 13, 3. *afflicta gratiosos reddit.* III, 21, 11. *invidens.* IV, 2, 1. *sæpè supra virtutem.* II, 6, 53. *quibusdam pro virtutibus.* prol. 2. I, 18, 11. *initio prospera, tandem deficiens.* II 10, 2. *reverenter habenda.* II, 12, 11. 3. *utraq; æquanimiter ferenda.* ibid. *subitò mutata consternationem animis injicit.* IV, 2, 83. fortunæ *inconstãtia.* IV, 2, 79. 2. *inopina mutatio.* III, 1, 1. *nimius favor fascino obnoxius.* I, 13, 1. *vis & potestas.* II, 2, 8. *ingruentis æstui frustra resistitur.* II, 7, 1. *in virtutem & hominis interiora nullum jus.* IV, 7, 11. fortunæ *non fidendum.* II, 2, 22. *aliquando cedendum.* II 7, 1. 2. *se decet accommodare.* II, 12, 10. fortunam *aucupantur neutrales.* I, 3, 6. *adversam fortiter tolerare magnanimi est.* IV, 8, 3. 2. *contra fortunam obstinatè niti, dementia est.* IV, 8. 3. *in fortunam publicam derivantur pleraq;.* II, 6, 53. *V. Felicitas.*
Fraude suâ capi. III, 1, 2. 2. fraudes *in bello licitæ.* I, 3, 4. *eas tamen abominabantur prisci Romani.* I, 18, 21.
Frigoris patientiora corpora uncta. II, 6, 12.
Fuga incondita. III, 11, 10. *plures absumit.* IV, 2, 49. fugæ *postremi Duces, & quod fortium.* I, 18, 10. *simulatio.* I 3, 4. 3. *spem adimere.* Vide *Equos.*
Fulmen celeritatem notat. IV, 2, 63, 2. fulminatrix *legio unde dicta?* II, 6, 9. vide *Bellorum.*
Funda. III, 8, 4.

G.

Galli Senones. I, 13, 4. *Galli impetu valent.* II, 4, 1.
Genii. IV, 7, 8.
Gentilium superstitiones cur permiserit DEus? II, 6, 14. gentilitia *scelera.* I, 9, 3. 2.
Geographia studium Duci commendatur. II, 12, 5.
Germani Galliq; gentium immanissimi. I II, 10, 2. *penè nudi pugnabant.* III, 10, 12. 2. Germanorum *castitas.* IV, 12, 31. *inconsulta ira.* I, 8, 4. Ger-

manis *per multa secula jure agere ignotum. IV*, 12, 31. 2.

Gladius. Vide *Securis.*

Gloria avidi, periculorum contemtores. IV, 12, 49. *alienæ prædones.* II, 16, 4.

de Guevarâ judicium. II, 17, 17.

H.

Hastæ subjici. II, 6, 47.

Heredi incumbit ulcisci mortem testatoris. IV, 6, 6. 2. Hereditariæ *voluntates.* *IV*, 3, 2.

Heroës ursorum etiam, aprorum, pardorum &c. pellibus tecti. I, 18, 6. 2. Heroica *ingenia* μανίαν. *IV*, 2, 79.

Hispani impostores. II, 17, 17.

Historico à turgidis verborum ampullis cavendum. I, 10, 8. 2. historicorum *vaniloquentia & aniles ineptiæ.* I, 11, 4. *consvetudo, separata temporibus aliquando connectendi.* II, 19, 5.

Honores mutant mores. I, 3, 5. *dignis tribuendi, non nobilibus tantùm.* I, 6, 1. *extraordinarii an & quando viris claris concedendi?* II, 2, 9. 2. *uni non continuandi.* III, 15, 3. *pervulgati fastidiuntur. IV*, 12, 53. honorum *ambitus & mercatura.* III, 12, 11. 2. *inexplebilis fames.* III, 21, 6. *accumulatio.* *IV*, 12, 91.

Hostis à tergo non relinquendus. IV, 2, 36. *eò adigendus, ut aut nocere non possit, aut non velit.* I, 16, 10. *non contemnendus.* II, 14, 2. *quòd à vilissimo nonnunquam periculum sit.* II, 14, 4. hostem *distrahere.* I, 3, 4. 2. *Reip. judicare quid sit? IV*, 5, 3. hoste *absente vel recedente augetur animus contrariæ parti.* III, 6, 6. 2. *ab hoste vili nulla gloria.* III, 19, 8. hostes *benignè habiti.* I, 10, 2. 2. *loco confisi.* II, 3, 4. *divinitus submoti. II*, 6, 45. *clamore vel aspectu solo debellati. II*, 18, 5. *suis moribus domiti. III*, 4, 5. *duo uno tempore non lacessendi. IV*, 6. 1. *ibi aggrediendi, ubi nihil timent. III*, 20, 4, 3. *IV*, 2, 36. 2. hostium *pluralitas exitiosa. I*, 17, 2. *adjutores & socios plerunq; etiam infectabantur Romani.* I, 19, 1. 2. *juga occupare. II*, 2, 13. *vires spargere. II*, 6, 31. *testimonia autoritatis plena. II*, 6, 60. *errata observare. IV*, 8, 5. 2. *iis erratis quomodo utendum. IV*, 2, 62. *discordia latis animis accipiuntur. IV*, 19, 3. *iis uti.* ibid. 2. *impetum & multitudinem defervescere finit dux bonus. III*, 3, 5. *donec langvescant ignoti soli assvetudine. III*, 5, 13. hostes *suis viribus i.e. alieno sangvine vincere. II*, 6, 41. *morari objectu prædæ. III*, 5, 18. *discretos viribus aggredi. III*, 5, 22. *habere, quos tueri non possumus.* *III*, 16, 5.

Humana sapientia, mera stultitia est. *II*, 2, 8.

Hundsruck. *II*, 7, 11.

I.

Idololatria nov-antiqua. *I*, 11, 4. *II*, 8 3.

Ignis æternus. I, 2, 3. 4. *ab* ignibus *desumta metaphoræ. I*, 6, 1. 3. *& comparationes. II*, 2, 1. *II*, 2, 42. 2.

Ignobilitas non obstat virtuti. I,1,1. I,5,1. I,6,1.
Illyrii ex rapto vivebant. II,5,2.2.
Imaginum sudor vel lacryma. II,8,3.
Imperium unum magnum praestat parvis multis semper litigantibus. I,19,1. *Romanum civili furore periit.* IV,2,1. Imperii *Romani ampliatio.* III, 5,31. *pax.* I,19,1. *oblati generosus contemtus.* I,18,21.2. *cupiditas fœdera rumpit.* II,2,3. *naturæ vincula solvit.* I,1,8. III,1,3. *magnitudo exitiosa.* III,12,6.2. *cum eâ enim adolescunt vitia.* II,19,1. *sedes eligenda, unde in omnia regimen.* III,6,6.2. Imperium *suum æquo animo ferri à gentibus persvadebant sibi Romani.* IV, 12,22.2. Imperia *libidinum pretia.* IV,11,2. *crudelia non diuturna, & contra.* IV,12,22.3. Imperiorum *ruinæ causæ.* prol.8. Imperia *acquirere quàm servare difficilius.* IV,12,29. Vide *Parare.*
Impetus barbaris pro virtute. III,3,5.
Imprecationes vitandæ. I,12,8.
Improvisa magis terrent. III,20,4.3.
Inaugurare, effare templa. I,7,8.2.
Incommodum aliquod vitando, sæpè in aliud incidimus IV,2,23.2.
Inconstantia rerum humanarum. IV,2,79.2.
Incubare II,6,57.
Inferorum pœnas pro figmento habuerunt quidam gentilium. I,8,3.
Infula. Vide *victima.*
Ingeniarii. II,6,6.2.
Injuriæ non meminit generosus. III,21,19. *ex injuriâ commendatio.* IV,4,4.2. injuriarum *diuturnior quàm beneficiorum memoria.* IV,2,92. Vide *Beneficium.*
Insanus pro magno. II,6,35.
Insignia abjecta. I,18,7.
Institutio regia. I,6,1.
Interpretum fraudes. I,7,7.2.
Intra. I,3,5.4.
Invidia inter finitimos. I,11,1. invidiæ *obnoxia potentia nimia.* IV,2,8.4.
Invisus pro non viso. III,20,4.
Ipse ἐμφατικὸν. I,1,9.4.
Itinera per loca invia & difficilia. II,12,5.2.
Iudicii invidiam amoliri. I,3,5.2. judiciorum *ratio.* III,12,9. *ea equitibus à Graccho permissa.* ibid.
Jus in armis. I,13,6.2. jura *armis sæviora.* IV,12,32.2.
Jurijurandi religio. II,6,5.
Justitia regnorum fulcrum. I,13,6.2.
Juturnæ lacus sive fons. II,12,15.
Juventas Dea. I,7,8.3.
Juventus magnarum rerum administra. I,1,5. *fervida & in bellum præceps.* IV,2,43. Vide *Adolescentia.*

K.

Kalendarii corrigendi cura Regi incumbit vel Principi. I,2,2.3.

L.

Laboris alieni præmia invadere. II,16,4.
Laniena sive cædes improvisa. III,5,7.2.

Lapidatio. I, 22, 2.
Lapidum cultus. I, 7, 8. 4.
Largitiones. III, 12, 10. 2.
Latrocinia magis quàm bella. II, 3, 4. 2. *olim honesta.* III, 8, 3. Latrones *extirpârunt Principes optimi.* III, 8, 3.
Laureatæ literæ. III, 3, 20. 2.
Legationes frequentes ad eos, quibus res prosperè succesére. IV, 12, 62. Legationibus *morari hostem.* III, 10, 3.
Legati barbaris etiam venerabiles. I, 18, 5.
Leges non facilè mutandæ. III, 23, 4. *sacratæ.* I, 16, 7. 4. *XII. tabularum, earumq; laus.* I, 24, 1. 5. leges *an & quando mutare liceat.* I, 24, 1. *in leges suas peccare.* I, 24, 2.
Leut. III, 3, 10.
Liberi adversariorum & suspectorum obsides lecti. I, 12, 5. liberos *hostium interficere.* IV, 2, 90. 4.
Libertatis custodia apud Romanos. I, 26, 6. *studium.* III, 10, 4. *diversum æstimium apud Orientales & Europæos.* I, 9, 3. libertatis *propugnatores haud facilè quiescunt.* IV, 2, 65. *studiosos populos domare difficile.* II, 17, 8, 2. IV. 12, 2. libertatem *quidam concoquere non possunt.* I, 9, 3. II, 16, 2. *sed adversus illos ipsos, qui eam dederunt, utuntur.* II, 16, 2.
Libertorum ingratitudo. I, 21, 2.
Libido regnorum pestis. I, 7, 9. *Romanorum.* IV, 12, 31.
Licere nobis æquum putamus, quæ damnamus in aliis. II, 18, 3.
Li-

Lictorum officium. I, 26, 3.
Litem alienam suam facere caveant civitates. II I, 22, 8.
Literarum cognitio an requiratur in Principe aut magistratu. I, 5, 1. 2.
Locus superior quantum conferat. I, 17, 5. loci *opportunitas quid præstet in pugnâ.* II, 6, 16. 2. locorum *iudicræ appellationes.* II, 7, 11. 2.
Longè. II, 2, 8. 2.
Ludius. I, 2, 2. 2.
Ludi quinquennales. II, 7, 14.
Lustrationes veterum. I, 13, 18, 2.
Luxuria pestis exercitus. II, 8, 8. & *Reipubl.* IV, 1, 1. Luxuriæ *venenum.* II, 8, 10.
Luxus divitiarum soboles, parens famis. III, 12, 7. 4. luxus *incrementum.* I, 18, 22.

M.

Machinæ bellicæ artificiosæ. II, 6, 33. 2.
Magiæ vis in penetrandis etiam cogitationibus humanis. I, 5, 3.
Magistratus suo exemplo legibus præluceat. I, 24, 2. *præsertim si quid injungere velit subditis.* II, 6, 25. *suo exemplo inopiam publicam sublevans.* II, 6, 24. magistratuum *insignia.* I, 8, 5. magistratus *minores præstat esse plures quàm unum.* I, 9, 2. *annuos item quàm perpetuos.* I, 9, 2. 2.
Magnesiæ duæ. II, 8, 15.
Magnificentia publica. I, 8, 4. 2.

Magni-

Magnitudo obstat perspicuitati. prol. 3. *nocet.* IV, 2, 49. 2. Vide *Imperii.*
Majorum gloria posteris utilis. I, 4, 1. *virtus, stimulus posteris.* I, 4, 1. 2. II, 12, 2.
Maleum jugum. II, 9, 4.
Mali corvi, malum ovum. I, 9, 3. 2. mala *sæpè prosunt & bona pariunt.* I, 8, 7. malis *tanquam instrumentis utitur DEus.* III, 21, 8.
Manes. I, 14, 3.
Manum porrigere signum clementiæ. III, 21, 16. Manu *i. e. vi.* I, 1, 10. 2. *manu unâ facta strages.* IV, 2, 49. manus *abscissæ.* III, 4, 7. 2.
Maris otium sive pax. I, 16, 3. 6.
Maritimum Imperium maximi momenti est. IV, 2, 31.
Mars, Hesus. II, 4, 4. 2.
Massilienses mores. IV, 2, 24.
Mater magna Deum. I, 7, 8. 4.
Matrimonia promiscua nobilium cum plebe non concedenda. I, 25, 1. matrimoniorum *apud Romanos ratio.* ibid. matrimoniis *splendidis ad dignitates evecti.* ibid.
Mensch *unde?* III, 3, 10.
Menses Imperatorum nominibus insigniti. IV, 2, 91. 2.
Mercurii viales. I, 7, 8. 4.
Μεταμορφώσεις. II, 2, 7.
Metaurum. II, 6, 50.
Metus ridiculus. IV, 8, 5. 2. metu *periculi in periculâ incidere.* II, 12, 6. III, 19, 11. *simulato hostem fallere.* IV, 9, 6.
Miles contra suæ nationis militem non educendus. II, 6, 41. militis *virtus.* I, 10, 4. *morientis rabies.* I, 10, 8. milite *externo quomodo utendum.* II, 6, 41. milites *quomodo inflammandi etiam falso rumore subdito.* I, 3, 7. *vinci volentes.* I, 22, 2. 2. *ducem protegentes.* II, 6, 10. *luxu corrumpuntur.* II, 6, 21. 2. *impransi non educendi.* II, 18, 12. 2. *olim egregiè remunerati.* IV, 5, 1. militum *Romanorum virtus etiam cùm Duces peccarent.* I, 18, 18. *ardore utendum.* II, 6, 9. *timor testamenta scribentium.* III, 10, 12. militibus *adimenda sors, uxores.* II, 18, 10. milites *honestè sepelire.* III, 20, 9.
Militiæ detrectatores pollices sibi præcidebant. I, 22, 2. 3.
Minari aliâ, aliâ irrepere. II, 12, 8.
cum Minervâ manus movenda. I, 13, 13 4.
Moderatio. Vide *Felicitas.*
Modestiæ laus & utilitas. IV, 12, 41. 2. modestiam *colant felices.* II, 2, 22.
Modius Romanorum. II, 6, 18. 4.
Mœnia pro ædificiis. I, 4, 2.
Monarchiæ utilitas. IV, 3, 6 *& necessitas primis Romæ temporibus.* I, 22, 1. Vide *Imperium.*
Montium altitudo. II, 6, 6. 4. montibus *deducere hostes.* IV, 12, 52.
Morituri vestibus egregiis se ornabant. I, 13, 10. IV, 11, 11. morituorum *ferocia, hostem secum trahendi.* I, 18, 17. 2.

Mors grata amissâ libertate. II, 6, 6. *electa metu calumniæ aut infamiæ. II*, 6, 17. 2. *opportuna.* III, 17, 9. *lenta. III*, 21, 26. *matura sæpè multorum malorum averruncа. IV*, 2, 51. *ignominiosæ vitæ præponitur. IV*, 2, 34. *magnorum virorum plerunq;* violenta. *IV*, 2, 95. mortis *contemtus pro honestate. I*, 13, 9. *vesanus metus. IV*, 8, 5. 2. mortem *morte possi redimi, persvasum veteribus. I*, 13, 9. *viris dignam obire.* III, 20, 14. mortes *occultatæ.* I, 6, 2.

Morum similitudo causa amicitiæ. I, 7, 3. *III*, 22, 3. mores, *locorum situs format. I*, 16, 7. *II*, 11, 4. *III*, 2, 2. *III*, 4, 4.

Muliebre imperium. II, 5, 2. *eo perire ignominiosum.* II, 5, 3.

Mulieres prælium dirimentes. I, 1, 14. *virorum fugam impedientes. II*, 18, 14. mulierum *necessitas in Rep. I*, 1, 10. *V. Femina.*

Multitudo à paucis victa. III, 3, 14. 2. *Vide Magnitudo.*

Munitiora urbium loca plerunq; negligentius custodiuntur. III, 20, 43.

Munerum contemtus. *I*, 18, 20. 2.

N.

Nationes quædam utrisq; merent. II, 6, 41.

Naturæ munimentis non nimis fidendum. III, 1, 4. *IV*, 12, 49.

Navis egregiè defensa. IV, 2, 33. naves *rostratæ* I, 11, 10

Nau-

Nauticæ rei comparatio cum equestri. *II*, 2, 35.

Necessitatis velo sæpè obteguntur turpia. III, 9, 3. necessitate *multa excusantur. IV*, 2, 59.

Niger color infaustus. I, 12, 7. 2. *& mali ominis. IV*, 7, 7. 3.

Nobilitas incentivum virtutis. *I*, 4, 1. 2. *II*, 12, 2.

Nominum horror. *III*, 20, 10.

Novercale odium. *I*, 1, 4.

Noctis divisio apud veteres. IV, 2, 37. nocturnæ *impressiones. II*, 17, 14. 2. Vide *Prælia.*

Nudipedalia. *I*, 13, 12.

O.

Obedientia potior victoriâ. *I*, 14, 2. 2.

Obsides feminæ. I, 10, 7. obsides *legere adversariorum liberos.* *I*, 12, 5.

Obsessor obsessus. IV, 2, 24. obsessorum *contumacia, & in obsessores scommata.* *III*, 18, 14.

Obsidionem metuentes inutili turbâ se exonerare debent. I, 13, 13. *in* obsidionibus *celanda inopia.* *I* 13, 16.

Occasiones captare. *III*, 5, 4.

Occisorum capita auro pensata. *III*, 15, 6.

Oculorum flagrantia. *I*, 16, 12. 3.

Odia cognatorum acerrima. *III*, 18, 11.

Oligarchicus. *I*, 26, 8.

Omina è vestibus. I, 12, 7. 2. *insidentium avium.* I, 13, 20. 3. Vide *Apium. Heroica.*

Omnia facere proverbialis locutio de irrito conatu. III, 5, 24.
Opera à magnis viris contra naturam ausa. III, 4, 1. 3.
Ordinis & aptæ collocationis utilitas. I, 8, 6.
Orgia. I, 13, 11.
Orientales populi servituti assueti. I, 9, 3.
Otiosi libenter invident, petulanterq; calumniantur. IV, 2, 8.

P.

Pales pastoria. I, 20, 2.
Palladium. I, 2, 3. 2.
Parare facilius est, quàm retinere. II, 17, 8. IV, 12, 29. Vide *Imperia.*
Parentum memoria favorabilis filiis. IV, 2, 74.
Partium prætextus. IV, 2, 5.
Parthi Romanis cesserunt & obsides dederunt. IV, 10, 1. 2.
Partus expositio. I, 1, 14. 2.
Pastoria feritas. I, 22, 1.
Patria regno prælata. I, 18, 21. 2. patriæ *amor.* I, 1, 5. *situs format ingenia.* III, 4, 4. *excidio supervivere generosus animus recusat.* II, 15, 16. *pro* patriâ *mors gloriosa.* I, 13, 9.
Paupertas tuta. III, 9, 3. *ad bella civilia stimulat.* IV, 1, 1. 2.
Pax Romana. IV, 12, 20. *fluminis.* IV, 2, 28. *externa, civilium bellorum causa.* III, 12, 2. 2. pacis *faciendæ optimum tempus, cùm ambo pares videntur.* IV, 10, 1. paci *ignominiosa anceps bellum præferendum.* II, 18, 12. pace *longâ consenescunt omnia.* I, 8, 1. 2. Vide *Auro.*
Peccata æstimantur qualitate personarum. III, 21, 2.
Pecunia omnia expugnat. III, 1, 5. *& 7. sparsa à fugientibus.* III, 5, 18. pecuniâ *hostem oppugnare.* III, 1, 2. Vide *Aurum.*
Pedites equitibus permixti. IV, 2, 48.
Per quod quis peccat per idem punitur. III, 4, 7.
Peregrini sive exules sub personâ hospitum sæpè proditores occulunt. I, 7, 6. peregrinorum *etiam virtus æstimanda.* I, 5, 1. *ad munia tamen Reip. vix admittendi.* ibid. *nam iis ægrè parent subditi.* ibid.
Perfidia eorum, quorum fidei nos credidimus. III, 1, 16. 2. perfidiæ *sive perjurii pœna.* III, 11, 6. perfidiam *perfidiâ ulcisci non licet.* II, 6. 26. 2.
Periculis magnis erepti in multâ famâ sunt. I, 1, 2. 2.
Perjurii pœna. II, 6, 5. Vide *Perfidia.*
Persvasionis vis. I, 10, 5.
Phaleræ. I, 5, 6.
Pietas colenda Principi. I, 2, 2.
Pignora Imperiorum. I, 2, 3. 3.
Piratæ. III, 6, 1.
Plebs Romana indignè ab honoribus exclusa. I, 26, 1. plebis *favore subnixi.* III, 15, 3. 2.
Pœna ad paucos perveniat. IV, 6, 6.
Poëtæ olim temperantes. III, 13, 1. 2.
Pons de cadaveribus. II, 6, 18. 2.
Ponticorum regum successio. III, 5, 1.

Pontificis autoritas etiam in secularibus. I, 13, 12. 2. Pontificii *cleri superbia, & ab antiquâ sinceritate degeneratio.* III, 13, 1. *ejus cum tribunis comparatio.* ibid.
Populi salus suprema lex esto. III, 23, 2. *Vide Reipublicæ.* Populis *suspectis sedes mutare imperatum.* II, 15, 6. *externis rectè negatus ager à Romanis.* III, 3, 2.
Potentiæ nimium crescenti obviandum. I, 15, 1. 2. *non jam adultæ,* ibid. potentiâ *suâ abuti.* III, 16, 1. Potentior, *prior.* I, 13, 6. 2.
Præda nondum capta, divisa. IV, 12, 24. 2. prædæ *decimæ Apollini votæ.* II, 4, 4. *objectu hostes morari.* III, 5, 18.
Prætextati. I, 13, 13, 6.
Præscriptio XX. & XXX. annorum. III, 13, 5.
Prætextus, αἰσχήματα malarum actionum. III, 13, 1.
Prætorii forma & magnificentia. II, 12, 11. 2.
Prandium unde dictum. II, 18, 12.
Principis virtus maxima, nosse suos. I, 8, 6. Principi *quando permissum, bello interesse.* IV, 12, 48.
Principiis obstandum. III, 21, 4. IV, 11, 4.
Proditores invisi. I, 1, 12.
Prœlii unius eventu sequiori, summæ rei diffidere. II, 12, 2. 2. prœlia *nocturna.* III, 5, 23.
Providentia divina impediri nequit. I, 1, 3. *humanæ tarditati inperscrutabilis.* I, 8, 1.
Provocationis jus. I, 9, 4. Provocatores *infelices.* I, 13, 20.

Pru-

Prudentia cum fortitudine juncta. III, 4, 2. *Vide Ratio.* πειστικὴ. IV, 2. 9.
Publicani. III, 12, 9.
Publica necessitas sublevata. II, 6, 24.
Pudicitia morte asserta. I, 7, 9. 2. pudicitiæ *servatæ aut egregiè vindicatæ exempla.* II, 11, 7. IV, 11, 9.
Pudor causa fortitudinis. IV, 2, 34.

R.

Rabulæ. IV, 12, 37.
Rarum, carum. IV, 12, 53.
Rationis & virtutis copula. I, 8, 4. *& virium.* II, 12, 3.
Rebelles plerunq; contumacissimi, III, 19, 2. rebelles *& perfidos potiùs persequebantur Romani, quàm alios hostes.* I, 20, 1.
Regiones aliæ alios generant mores. II, 11, 2.
Regnandi cupido. Vide Imperii.
Regnum malè partum benè administrare. I, 6, 2. 2. I, 7, 2. 3. *sibi stabilire, variis technis successoribus insidiando.* I, 1, 2. regna *ferè omnia vi acquisita.* I, 8, 2. *non omnia ita sunt regum, ut ea abalienare possint.* II, 20, 2. regnorum *progressus faciliores quàm initia.* II, 1, 2.
Religio an cogi debeat? I, 2, 2. *& justitia fulcra Rerump.* I, 2, 4. 3. *eorum indissolubilis nexus.* ibid. religionis *honor.* I, 2, 1. *cultus privatis rebus anteferendus.* I, 13, 12, 2. *etiam in adversis non neglectus.* ibid. *Vide Sacra.*

era. contemtus in hominibus impiis. III, 21, 21.
Reliquiarum apud Pontificios vanitas. I, 2, 3.2.
de Remorum gradibus discursus. IV, 11, 5. remos *detergere. II*, 2, 8.3.
Reip. salus suprema lex. IV, 4, 4.3. Vide *Populi*.
Rerump. *forma quæ alteri præstet. IV*, 3.4.
Rex sine regno. III, 1, 12. reges *olim eligebantur ex optimis*, I, 2, 1. *in clientelâ Romanorum*. III, 1, 3. 2. *à Romanis impositi nationibus*. IV, 12, 43. regum *sella aurea*. I, 12, 11. *ingenia suspiciosa*. II, 8, 6. regibus *colenda modestia*. I, 11, 5. *convenit magnitudo corporis*. II, 14, 3. 2. *Vide Monarchia*.
Rhea Sylvia. I, 1, 1.3.
Rhenus limes Imperii Romani. IV, 12, 39.
Roma Romanis æterna credita. I, 7, 8. 5. *aliquoties singulari fortunæ benignitate protecta*. II, 6, 45. Romæ *conditæ dies. I*, 20, 2. *montes*. III, 3, 21. *effigies*. ibid.
Romana virtus in extremis. I, 10, 2. *vis & ἀκμὴ ante bellum Punicum secundum*. II, 1, 1. Romanæ *Reip. ruinæ causa*. prol. 1. *historiæ vitium*. I, 13, 17. 4. *curiæ avaritia*. III, 1, 7. Romani *imperii fatum. II*, 6, 20. Romani *tam pace quàm bello præstantes* prol. 1. *totius orbis Dominos se putabant*. prol. 2. *historici affectuum mancipia. I*, 1, 12. Romanorum *animi magnitudo & audacia. II*, 2, 4.2. *armorum justitia. III*, 11, 5. *incremen-*

menti causa. II, 3, 3. *autoritas & imperium in alias nationes*. IV, 10 1.2.
Romulus. I, 1, 1.
Ruinæ socios adjungere. IV, 1. 7.3.
Rupium montium & anfractus pervadere ducibus pastoribus. II, 7, 10.
Rusticæ vitæ commendatio. III, 12, 2.

S.

Sabinarum raptus an excusandus? I, 10.2.
Sacerdotes alendi non saginandi. I, 13, 12.2. *III*, 13, 1.
Sacra potestas inflat. III, 13, 1.2. Sacra *nec in periculis deserenda. I*, 13, 16.2. *Vide Religio*. Sacrorum *mysteria. I*, 13, 11. sacra *quando liceat in profanum usum transferre. II*, 6, 23.3.
Sacrificia humana. I. 16, 7.5.
Salii. I, 2, 2.2.
Salyi. III, 2, 3.
Sanguis. Vide Fœdera.
Scævolæ historia explosa. I, 10, 5. 4.
Sceleris & pœnæ idem sæpè locus. II, 2. 29. 2. scelera *non diu latent. III*, 1, 6. *sceleribus tuenda. III*, 20, 3.2.
Scholastici homines ad politica inidonei. IV, 2, 52.
Scipionum virtus per tria bella Punica. II, 2, 16.
Scorta ab exercitu remota. II, 18, 10.
Securis an gladii supplicium honestius. II, 2, 17.3.
Securitas vitanda. III, 1, 1.
Seditionum turbarum & facies pessimi quiq; & profa-

ctis judicium metuentes. *III*, 14, 2.
Seditioso uno interfecto, non statim desinit seditio. *III*, 17, 2. seditiosis *nulla nisi ex turbatione Reip. spes.* *IV*, 6, 2. 2.
Segida. *II*, 18. 3. 2.
Segobriga. *II*, 17, 10.
Segovia. *II*, 18, 3. 2.
Seniorum consiliis obediendum. *II*, 6, 26.
Senones Romæ captæ superstites. *I*, 13, 19. 2. I. 13, 31. *alii Semnones.* ibid.
Septenarius numerus. prol. 1.
Septentrionalium ferocia. III, 2, 2.
Sepulchra diruere, impium. *II*, 7, 4.
Serpentes miræ magnitudinis. II, 2, 20. 2. *cervorum odore è latebris protrahuntur.* III, 1, 6.
Servilium bellorum pericula. *III*, 19, 2.
Servitutis malum. I. 16, 6. servituti *assvetæ gentes.* IV, 12, 43.
Servi etiam homines. III, 20, 1. *imperium occupant.* *I*, 21, 2. 2. *crudeliter habiti, in dominos insurgunt.* *III*, 19, 3. 2. servorum *multitudo.* III, 12, 10. *pessima conditio.* III, 19, 1.
Sicarii principum. I, 10, 5 2. *auro emti.* *III*, 15, 6.
Sicilia laus. *II*, 2, 2. *fertilitas.* *III*, 19, 3.
Signa. I, 17, 2, 2.
Simile simili gaudet. III, 22, 3.
Sinus togæ. *II*, 6, 7. 4.
Sociis auxilia ferre. *I*, 16, 1. socios *& cognatos juvare licet.* II, 18, 3. *Vide Hostium.*

Sol occidens Tethyos complexum appetere fingitur. II, 17, 12. *& cum stridore mari mergi.* ibid.
Solœcismus politicus Catonis. IV, 2, 9. *Pompeji.* *IV*, 2, 20. *Mossilienſium.* *IV*, 2, 23.
Spectaculorum corruptelæ. I, 1, 10. 4.
Spectra. *IV*, 7, 8.
Speculatores mutatis vestibus. I, 8, 3.
Spes non deserenda. *IV*, 8, 3. 2.
Spolia hostium DEO alicui vota. II, 4, 4. *combusta.* ibid. *templis affixa.* *II*, 6, 23. 4. spolia *legendi aviditas, malorum sæpè causa.* III, 5, 18.
Spurii plerunq; magnos patres mentiuntur. *I*, 1, 1. 2. *in magnos ferè viros evadunt.* ibid.
Statuæ consecratæ, πεπλεσμέναι, *earumq; vis.* I, 2, 3. 2.
Staturæ proceritas. III, 3, 10. 3.
Stolidus quorundam furor. III, 4, 1. 3.
Stratagema, aliâ minandi, aliâ irrependi. *II*, 17, 7.
Stuporis notatio. II, 12, 13.
Subita terrent. III, 20, 4. 3.
Successores famam premunt antecessorum. IV, 12, 22. *Vide Regnum.*
Superbia, contemtus, crudelitas, regna evertunt. I, 1, 17. *stulta.* I, 18, 4. 3. *intolerabilis.* IV, 12, 3 1. Superbiæ *odium.* I, 7, 4.

Superstitio frenum vulgi. I,8,3. superstitionis *vis. I,* 2,4. *II,17,14.*
Supplicio afficiendi nolas gestabant. I,3,5.
Suspendium, mors feminea. III,3,17.

T.

*Tarentus. I,*18,2. Tarentina *mollities I,* 18,6. *dialectus.* ibid.
Tedesci unde. III,3,10.
Tempestatis ædes. II,2,16.
Templi significationes. II, 12, 11. 2. templis *appensa dona. III,* 9,2.
Tempora præsentia toleranda. III,23,4.
Terminus. I,7,8.4.
Theutobocchus. Theut. Teutsch. *III,3.10.*
Tironum character. IV, 2,43.
Titulorum vanitas. IV,10,2.
Tituria gens. I,1,10.3.
Trabeæ. I,5,6.
Trajani nugatoria felicitas. prol.8.
Trajectiones in vet. libris frequentes. III,9,2. *Vide Populorum.*
Transfugarum perfidia. I,7,6. *transfugis non credendum.* III,11,7.
Tribus sacrosancti & inviolabiles. III,13,1.2.
Tribus Romanæ. I,1,15.
Tributa. Vide vectigalia.
Triumphandi nimia cupido. III,5,11. triumphantium *equi albi.* I,5,6.4.

Triumphus de civibus funestus. IV, 2,89. triumphi *affectatores. Vide cognomina.* triumphi *de hostibus frivolis vel non victis.* I,11,6.
Triumvirorum crudelitas. IV,6,3.2.
Tropæa aurea. II,4,4.3. *de victis non erigenda.* III, 2,6. *an & qualia erexerint Romani.* III, 2,6.2.
Turcici incrementi causa. II,17,4. & 8.
Tyrannis non semper opprimi facilis. IV,7,1.
Tyrannorum caduca majestas. I,11,5.

V.

Varietas humana. I,8,1.2.
Vectigalia patrimonium Imperii. III,13,4.2. ab Optimis Principibus remissa, ibid. Vectigalium *ratio.* III,12,9.
Veneno in hostem grassari nefas. II,20,7.
Veniæ desperatione fidem obligare. I,9,1.2. veniâ *indigni qui iteratò delinqvunt. IV,* 2, 90.2.
Vestis magnifica dignitatem conciliat Principibus. I,8,5. vestium *mutandarum ratio.* I,10,5.3. *Vide Speculatores. Vestitus mutatus ruinæ index. IV,* 11,3.
Vexillum in hostes jaculari. I,11,2.
Via duces pastores. II,7,20.
Vicinorum incrementis obsistere licet. I,15,1.2. potentia formidabilis. II,2,2.
Victimæ infulis ornatæ. IV,2,92.

Victoris humanitas in victum. II, 12, 11. victorum *moderatio & super victos hostes lacryma.* II. 2, 22.

Victoria inflat. I, 3, 5. II, 2, 22. II, 12, 11. *una instrumentum sequentis.* I, 9, 8. II, 8, 1. *magno constans.* II, 6, 1. 2. *mitior, uti minor pertinacia, & contra.* II, 8, 18. *facilis de madidis.* II, 10, 2. 2. *paucorum militum cæde parta.* III, 3, 14. 2. *incruenta.* III, 6, 14. *regi nequit.* III, 21, 4. *hostibus non exprobranda.* III, 2, 6. victoriæ *moderatio in Romanis.* ibid. *vana præsumtio.* III, 7, 2. IV, 12, 24 2. victoriam *infamant fraudes.* II, 17, 17. victoriâ *clementer uti.* IV, 2, 90. *quod fecit Cæsar.* IV. 2, 50. 2. Victoriæ *persequendæ.* II, 6, 19.

Vinci à forti nullum dedecus. II, 7, 1. II, 8, 4, 2. victus *de victoribus triumphans.* II, 2, 25. victi *magnanimitas.* III, 10, 26. victi *nonnunquam acrius insurgunt.* I, 16, 12. 2. *stolidâ ambitione aliquando victores agunt.* IV, 10, 10. *& quasi victores cognomina assumunt.* III, 7, 3. victis *sæpè redit virtus.* II, 6, 23. 2. *in* victos *clementia.* III, 21, 13.

Vindicta pro ἀφαιρέσει, *vindicatione in libertatem.* II, 2, 20.

Vinum militibus interdictum. III, 3, 13. 2.

Virgines hospitibus prostituendi mos. III, 9, 2.

Virilitas per magiam impedita. I, 1, 2.

Virtus nullibi fastidienda. I, 5, 1. *acuenda ratione.* I, 8, 4. *gentilium vana & frivola.* IV, 7, 11. 2. *ignavi otii inimica.* IV, 12, 32. virtutis *& fortunæ contentio.* prol. 2. *æstimatio etiam apud hostes.* I, 10, 2. 2. II, 6, 59. virtute *omnia expugnabilia.* II, 2, 4. 2.

Virium propriarum ignoratio. II, 17, 4.

pro Vitâ omnia fiunt. IV, 2, 59.

Vitis in templo Hierosolymitano. III. 5, 30.

Vitia virtutum nomine velata. III, 5, 7. III, 12, 11. *feris comparantur.* IV, 12, 37.

Vltionis aviditas Christiano indigna. I, 9, 1.

Vnus sæpè vir afflictis rebus medetur. II, 2, 23.

Voluptatibus victi armis invicti. III, 3, 13, 2. Vide *Luxuria.*

Vota nuncupata. I, 11, 7. 2. Votorum *sive juramentorum stultitia.* I, 12, 8.

Vrbs cives sunt, non mœnia. I, 1, 9. urbis *& Imperii initium rarò idem, at aliquando finis.* I, 1, 1. *augendæ consilium Romuli.* I, 1, 14. 2. urbe *suâ excedere jussi populi.* II, 15, 8. urbes *miris modis servatæ.* I, 13, 15. urbium *comparatio cum humanis corporibus.* prol. 1. *denominationes jocularis.* II, 7, 11. 2. *matrum cultus.* I, 3, 9. *nomina in virili genere.* I, 11, 9. *magnarum interitus.* I, 12, 11. 2. *& 3. primariarum expugnatione cadit animus reliquis.* II, 6, 33. Urbibus *apertis insidiæ metuuntur.* I, 13, 13. 5.

INDEX.

Vrinatores. *II*, 12, 6.
Vrſi etiam in Africâ. *I*, 18, 6.2.
Vſus opponitur ambitui. I, 16, 7.2.
Vtilibus cedunt ſpecioſa. II, 6, 30.
Vtilitas aliquando è noxiis rebus hauritur. I, 8, 7.
Vtres natatorii. III, 5, 16.
Vulgi inſania & impetus. *I*, 18, 4. *mobilitas.* III, 16, 7.
Vulnera adverſa. *I*, 18, 17. vulneribus *gloriari.* *IV*, 12, 7. *mutuis occidere.* I, 10, 8.

W.

Waſſenbergius Flori ſimia. I, 10, 8.2.

FINIS.

V. CL.

OBSERVATIONES POLITICÆ

Ad

LUCIUM ANNÆUM FLORUM.

LECTORI HUMANO S.

CUm jam manus extrema operi huic accessisset, idqve ad exitum perduxisset Typographus; insperantibus nobis cecidit, uti *politicas* tantùm *observationes* ex *integro* Floro collectas, *sine titulo*, è bibliotheca *Rupertiana* sors qvasi offerret. Qvas ubi penitiùs introspicientes, omni studio sumus contemplati, typis easdem dare placuit. Illarum certè auctorem, qvisqvis ille fuerit, prudentia & eruditione præditum propè singulari, meritò prædicamus; neqve pro hoc ipso labore gratias ei debemus vulgares. Fruere his, Lector, & gaude!

OB-

OBSERVATIONES POLITICÆ

Ad

L. Ann. Flori.

Prologum.

I.

DUabus rebus opus est, ad constituenda imperia & qvasvis magnas gerendas res; *virtute* & *Fortunâ*. Virtus potissimùm fortitudine & prudentiâ censetur, unde Sulpitia: *Duo sunt, quibus extulit ingens Roma caput: Virtus belli & sapientia pacis.* Fortuna est, non qvam casũ dixére, sed *voluntas DEI*, qvâ arcanâ qvadam ratione administrantur res, ut vel succedant rectè, vel secus; prout ipsi visum fuerit. Nam nisi Deus successus largitur, frustra omnis opera sumitur; frustra vel fortem vel prudentem maximè esse,

II. Nota & istud, adeò lenta Rom. Imperii fuisse initia, ut primis 243. annis, qvibus sub Regibus fuit, vix ultra *quindecim*, ut *Eutropius* scribit; *viginti*, ut *Augustin. lib. III. de Civ. D. c. 15.* annotat, milliaria dilatatum fuerit. Ergò ultimis 200. an-

nis, qvibus totius propè terrarum orbis Imperio potita Roma, plus gestum est, qvàm totis 500. annis prioribus fuit; adeò *pulcherrimo cuiq; operi difficultatem quandam natura proposuit, quæ nascendi quoq; hanc legem fecit, ut majora animalia diutiùs visceribus parentum contineantur*; ut rectè *Quintilianus*, qvanqvam de re aliâ agens, *lib. X. c. 3.*

III. Sicut virtute cumprimis constituuntur imperia, ita contrà ignaviâ socordiâq; regentium concidere solent. Hinc *Florus* dixit *inertiâ Cæsarum quasi consenuisse atq; decoxisse Rom. Imp.* h. e. qvòd Imperatores sive Principes inertes, ignavi, luxui, voluptatibus ac otio dediti, ac parùm strenui gnaviq; fuissent.

AD LIB. I. CAP. I.

I. Videmus, *Romulum* cum *Remo* fratre *spurios* fuisse; hîc notandum, in homine *non tam natales quàm virtutem spectandam* esse. Sic *Tanaquil* interfecto Tarqvinio Prisco, *Servium Tullium* spectatæ virtutis ac prudentiæ virum, sed *matre servâ* natum, ad capessendum regnum Romanum his verbis hortata est, ut *Livius* memorat: *Qui sis, non unde natus sis, reputa.* Secundò, maximorum Imperiorum conditores spurios, sive incerto patre editos fuisse. Nam & *Arsaces*, Parthorum Rex, à qvo deinceps ordine omnes illi Reges *Arsacides* appellati, incertæ stirpis fuit, ut *Justin. lib. XLI. & Strabo* scribunt. Sed & ipse *Alexander M.* spurius

rius fuit, ut ex illis constat qvæ de eo *Plut. in ejus vitâ & Solinus c. 15.* tradunt.

II. *Maximas res gesturos viros ab ipsâ* statim *infantiâ* maximis periculis abjici, sed eos *mirabiliter servari.* Sic enim Romulus objectus in Tiberim non periit, & velà Lupâ servatus est. de *Cyro* vide *Justin. Lib. I. c. 4.*

III. Generosam indolem non latere diu, sed vel primis statim juventutis annis sese exserere. Nam cùm Romulus Amulium interficeret, & regnum avo restitueret, vix annos 18. natus erat.

IV. In Amulio notabile *exemplum punitæ ambitionis & perfidiæ*; & qvòd scelera nunqvàm perpetuò impunita maneant: In Romulo verò fidei & pietatis in avum singularis exemplum effulget, qvi non detrectavit periculum subire pro avo, & interfecto Amulio regnum Numitori reddere, qvàm ipse invadere maluit; *Is enim amplissimus, qui suâ virtute in altiorem locum pervenit; non qui ascendit per alterius incommodum & calamitatem*, ut Cicero præclarè scriptum reliqvit.

V. Controversia inter fratres orta ostendit, qvantum malum sit ambitio, cùm &, arctissimum fratrum amorem divellat, & qvàm hoc plerisqve Principibus hæreat, ut socium dominationis ferre non possint: Et putant multi Remum à Romulo interfectum ideò, ut solus Imperio potiri posset. qvo illi *Lucani versus lib. I.* pertinent:

Nulla fides regni sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit. nec gentibus ullis
Credite; nec longè fatorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

VI. Conditâ urbe ante omnia *cogitandum* Romuli exemplo, *de civium comparandâ frequentiâ*; id autem præcipuè impetrari ab *asylis*, si qvæ aperiantur, unde Livius de Romulo scribit, *adjiciendæ multitudinis causâ, vetere consilio condentium urbes, asylum aperiit.*

VII. Firmas esse Respubl. atqve florere non posse, nisi *familiæ benè constitutæ* sint; qvod tamen obtineri neqvit, nisi *mulieres adsint*, qvæ & curent domesticam rem, & prolem suppeditent, qvâ sua perpetuitas Reip. constat. Qvocirca Principibus exemplo Romuli *matrimoniorum habenda* vel maxima *cura*, id qvod pensi semper habuerunt Romani, qvi ideo *maritis & patribus certa honorum & præmiorum commoda* constituerunt, qvibus cives suos ad nuptias invitarent; de qva re videri potest *Lipsius ad L. Papiam*, qvæ habetur in *Comment. Lib. III. Annal. Taciti.*

VIII. Notanda hîc *Romuli* prudentiane dicam an calliditas? qvi à Sabinis, *Vejentibus* & aliis finitimis conjuges petiit suis civibus, *non ab Albanis*, à qvibus *tanquam ab amicis* facilè impetrare potuisset; id enim ideo fecit, qvòd putaret finitimos, si impetrâsset conjugia, amiciores futuros, nec, uti antea, invisuros novæ urbi, ut ita *Respub.* sua tutior esse posset.

IX. Tar-

IX. Tarpeiæ obruta clypeis ostendit, *amari proditores dum produnt, haberi odio cùm prodiderunt*; qvod *Antigonum* dixisse *Plut.* scribit.

X. Romulus Jovem orans, ut fugam suorum sisteret, *pietatem* etiam *belli ducibus amplectendam*, & opem præcipue ac *spem victoriæ in DEO* collocandam, docet.

XI. *Clementiam* cum singulari prudentiâ miscuit Romulus, cùm victis & domitis *hostibus* non modò *ignovit humaniter*, sed eosdem recepit in urbem & cives fecit: *ignoscendo* enim sibi *conciliavit* eorum animos; associando eosdem civibus suis, & validam effecit civitatem, & eos ipsos sibi fideliores reddidit; recepit enim in civitatem, & misti cum Romanis, non facilè rebellare poterant.

XII. Non satis condidisse urbem, & opibus civibusq; reddidisse florentem; nisi ita ordinetur reipubl. status, ut *civitas* tam *pacis* qvàm *belli tempore firma & tuta* pariter, adversus seditiones intestinas civium & externorum hostium impetus esse posit; qvorum alterum à *fortitudine* incolarum & constitutâ disciplinâ militari, alterum à *legibus* ex togatâ prudentiâ expectandũ. Qvòd itaqve Romulus de utrâq; prospexisset civibus suis, exemplum præclari & egregii Principis præbere potest.

XIII. Observa, prudentissimè Romulum *tutelam urbis penes Juvenes*, *consilium penes Senes* esse voluisse. Nam qvia Senes naturâ frigidi & timidi,

ideò cauti, & longo rerum usu periti, nec ita obnoxii cupiditatibus, omnium optimè judicare de rebus & aliis consulere possunt: Contra qvia juvenes calidi, audaces, & confidentes viribus; ad arma & res gerendas præcipuè apti sunt; unde & Pindarus dixit: *Hasta juvenum, consilia senum.*

XIV. In *Jul. Proculo* observandum, qvantum possit *apud populum viri virtute spectati oratio*; namq; cùm multi ex populo Romulum discerptum à patribus suspicarentur, res ad turbas spectabat; qvas tamen omnes facilè compescuit Proculus, qvippe cujus sanctitatem & innocentiam universus populus magni æstimabat.

XV. In genere Romulus exemplum est gnavi, industrii, strenui ac fortissimi Principis; qvi cùm multum valeret consilio, plura tamen vi ac injustè egerit, semper aliqvid prætexens, & opinionem sævitiæ *affectato clementiæ studio* mox extinguens; qvæ artes invadendis & amplificandis regnis semper adhiberi solitæ, nec ullum pænè imperium est, qvod non cum aliqvâ vi & injustitiâ cœperit. Nam qvi imperia nova agitant, illis ferè hoc unum curæ est, ut suam potentiam firment, & augeant; id si consequi possint, parum est, jura & leges evertere. Hinc Cæsar semper in ore habuit illos Euripidis versus: *Si violandum est jus, regnandi gratiâ violandum est, in cetera pietatem colas*; ut *Tullius lib. III. Offic. & Svet. in Vit. Jul. Cæsar. cap. 3.* scribunt.

AD LIB. I. CAP. II.

I. *Honor & dignitas* sæpè *ultrò* eos *sequi solent*, qvi virtute præstant; qvamvis non appetant.

II. In eligendis Principibus præcipuè virtus & religionis studium spectari debet.

III. Principi ante omnia laborandum est, ut *rectè constituatur religio & DEI cultus*; hinc enim & felicitas regnorum, & interitus pendet; *omnia prosperè eveniunt Deos colentibus, adversa spernentibus*; ut rectè *Livius* monuit *lib. V.*

IV. Notanda vaferrima Numæ ratio, qvòd dixit, se omnia *Egeriæ* Nymphæ monitu facere. Romani sub Romulo perpetuis bellis exerciti qvandam asperitatem & sævitiam induerant animis; veritus itaqve ne parùm morigeri essent legibus & institutis, fingebat illa omnia à Nymphâ Egeriâ sibi mandata esse; probè enim noverat, *nullam rem multitudinem efficaciùs regere, quàm superstitionem*; ut *Curt. lib. IV. c. 10.*

V. Mores Principum seqvuntur subditi, nam justos & religiosos cives suos fecit Numa non tam legibus qvàm suo ipsius exemplo; qvo circa videre debent, qvi summæ rerum præsunt, ut, sicut præcipiunt subditis, ita ipsi cum primis vitam instituant. Egregiè *Plinius* in Panegyrico Trajani: *Exasperat homines imperata correctio, blandissimè jubetur exemplis.*

AD CAPUT III.

I. Hîc iterum obſervandum, Tull. Hoſtilio *nihil ambienti* ob virtutem *regnum datum eſſe.*

II. Reſp. uti juſtitiâ & religione, ita & militari diſciplinâ munita eſſe debet, ideoqve *in pace de bello* & iis rebus *cogitandum* eſt, qvæ ad repellendas hoſtium injurias faciunt; ut ſtatim adſint, & reſp. nihil detrimenti patiatur, ſi qvi tumultus ſubitò oriantur: cumprimis verò *aſſiduè exercere juventutem oportet*, & eam ad uſum armorum aſſvefacere, qvod & *Plato in L. L.* ſuis præcepit.

III. *Plus ad victoriam* prudentiam atqve *ingenium*, qvàm fortitudinem & robur *facere* Horatius nos docet.

IV. Qvi aliqvod inſigne facinus perpetrârunt, ferè ſuperbiæ & ferociæ litant, majoresqȝ animos capere ſolent, qvàm qvi intra leges ſe contineri patiuntur. Sic *Horatius* non dubitavit vel ipſam *ſororem interficere*, elatus & velut extra ſe poſitus illâ victoriâ, qvam *à Curiatiis* reportaverat.

V. Albani docent, *non* diu manere *impunè, ſi quis fidem frangat*, & ſæpius ſtatum ac regnum perdere, qvi rumpere fœdera ac violare non verentur.

VI. In Tullo Hoſtilio videmus qvantopere *neceſſarium in Duce* ſ. Imperatore belli ſit, *valere conſilio & ingenio*; qvibus ſi deſtitutus fuiſſet Tullus, & M. Fufetii fraus proceſsiſſet, Romani victi fuiſſent. Simili ſtratagemate & *Sylla* uſus eſt: Nam cùm Præ-

Præfectus ejus cum exiguâ manu eqvitum transfugiſſet ad hoſtes, & ejus causâ valdè conſternati eſſent milites; Sylla dixit, id ſuo juſſu & deliberato conſilio factum eſſe, ſpe magnæ utilitatis conſeqvendæ: eâ ratione & à confuſione retraxit milites, & victoriam eſt conſecutus.

VII. Met. Fufetius qvadrigis diſtractus exemplum eſt, *malum conſilium conſultori peſſimum eſſe*; is enim Albanos ad defectionem & violationem fœderis incitaverat: in Tullo verò ipſo, hoc ſupplicii genere Metium plectente, *juſta ſeveritatis in puniendâ perfidiâ exemplum* notare licet.

AD CAPUT IV.

I. Ille perfectus & abſolutus Princeps exiſtimandus eſt, qvi cùm *civilibus artibus* præſtet, & pacis ſtudioſus ſit, *fortitudine* tamen etiam & *rei militaris peritiâ* excellat, ac præſtet.

II. Principem non tantùm oportet tueri Reip. ſtatum, qvi conſtitutus à Majoribus eſt; ſed & aſſiduè dare operam, ſi qva *augere* ratione, & *exornare* eum, & ipſe aliqvid *adjicere* poſsit, qvod vel ad dignitatem imperii ac ornamentum, vel utilitatem qvoqve ac commoda ejus facere *videatur*. Sic *Ancus Martius* muros circumdedit mœnibus, Janiculum, qvod trans Tiberim erat, ponte cum urbe junxit, Oſtiam, ubi Tibetis in mare influit, condidit; emporium qve fecit.

AD

AD CAP. V.

I. Rectè *Tullius lib. I. Offic.* scripsit: *maximè adducuntur plerique, ut eos justitiæ capiat oblivio, cùm in Imperiorum, honorum & gloriæ cupiditatem incidére.* Sic Tarqvinium ambitio & regnandi cupiditas eò adegit, ut magnâ injuriâ Regis Anci liberos, pupillos suos afficeret, cùm regno privaret.

II. Principum liberis cautè vivendum cum illis est, qvorũ *sub tutelâ* agunt, cumprimis *si potentes sint, & gratiâ* apud populum *valeant*; ne iis accidat qvod Anci Marcii filiis, qvos venatum ablegaverat Tarqvini[9], qvi tutor eorum testamento patris institutus, cùm de creando novo Rege habenda essent comitia; qvò ipse scil. persvaso populo, regno per fraudem potiri posset.

III. Ad obtinendam gratiam magnatum pariter ac populi multum præter animi dotes facit *industria & elegantia.* Nam cùm qvisq; suis commodis studeat, Reges autem & Principes cumprimis, ut eò melius tueri suam dignitatem possint, eo qvisq; magis acceptior, qvò strenuam magis operam in obeundis officiis præstabit, tam elegantiâ & cultu; etsi ad rem parum faciat. Solet tamen sæpè & tritus sordere, nisi specie inanium validus sit; & solent in commune Principes sordes ac parsimoniam intempestivam, licet sæpius ipsi tales, aversari.

IV. Cædes Tarqvinii argumento esse potest, *nunquam satis tutos esse*, qvi ad imperium, licet spul-

pulcrè administrent, *non satis legitimè pervenerunt*, præcipuè viventibus eis, qvorum cum damno atq; injuriâ rebus potiti sunt.

AD CAP. VI.

I. Homo non tam genere qvàm *indole* censendus est, & *virtute.*

II. Multum ad perficiendam generosam indolem facit recta educatio. Ita Horatius *Nerones juvenes* Drusum & Claudium multum *Augusto* debuisse significat, qvòd in ejus sinu educati. locus est *l. 4. Car. 4.*

III. Tanaqvil Servium ad regni fasces evehens eumqve eo exhortans, docet, nec *muliebri sexui* deesse judicium atq; *prudentiam*, & *feminarum consilia non* semper *spernenda* esse.

IV. Censu instituto, Servius docet, nihil magis necessarium esse Principi, qvàm Rep. suæ vires nosse & opes, ut & armare milites, & rectè ac ordine imperare tributa possint. Nam neq; qvies gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neq; stipendia sine tributis haberi qveunt; ut *Tac. lib. IV. Histor.* prudentissimè scripsit. qvocirca *Dionysius* hoc institutum Tulli prudentissimum & Reipubl. salubertimum vocat.

AD LIB. CAP. VII.

I. Qvamvis *postremi tres* Reges *non satis legitimè* adspirârint ad regnum; tamen ultimus reprehendendus maximè, ac detestandus est: *Priores* enim *duo* arte & qvadam vafritie callidâq; indu-

strià

strià invaserunt regnũ, voluntate partim S.P.Q.R. partim non prohibente; hic verò vi ac scelere nefario gubernacula reipubl. rapuit, non in Servium tantùm socerum suum injurius, sed in universum Pop. Romanum. Deinde *priores duo* ita administrârunt occupatum imperium, ut æqvi ac justi & boni publici studiosissimi, & sic verissimi *Reges* essent: Cùm iste contrà impotenter grassando ac sæviendo, & suam magis qvàm civitatis agendo rem, Tyrannum potius qvàm *Regem* ac Principem sese ostenderet; qvò factum, ut sicut ceteri reipubl. statum servârunt integrum, & qvalem initio acceperant, reliqverunt; ita contrà iste dejectus regno occasionem dederit mutandi *Reipubl.* formam. Ex qvo colligitur, *dolo parta imperia*, nisi justè & *moderatè* & procul omni crudelitate ac insolentiâ administraveris, diuturna esse non posse; & si non eversioni penitùs, tamen conversioni *Reipubl.* præbere causam.

II. Pessimè comparatum cum illis est, qvi cùm ipsi *mali* & inqvieti sint, *tales* tamẽ qvoq; *conjuges nacti* fuerint; qvandoqvidem non *propriâ* tantùm *insaniâ*, sed & *uxorum furiis*, qvæ multum apud viros plerumq; possunt, ad scelerata qvævis suscipienda aguntur & impelluntur.

III. Tullia exemplum præbet extremæ impietatis in patrem, ex *dominandi libidine* ortæ; qvæ qvàm pernitiosa sit, qvàmq; *nullo* vel sanctissimo *jure se teneri patiatur*, inde æstimandum est.

IV. Tar-

IV. Tarqvinius pater verberans filium, & id perpessus filius, doloq; planè ignobili atq; turpissimo Gabios patri prodens, ostendunt, *vereri Tyrannos minimè vel quodvis admittere* dedecus, parùm securos de existimatione ac famâ, modò imperare latè, & multùm pollere opibus possint.

V. Gabii docent, *dolos* ac proditionem *magis quàm vim apertam* timendam esse.

VI. Tarqvinius *papaverum capita* decutiens, & ita sine voce respondens filio, ostendit viam *occultâ* qvadam *ratione tegendi consilia*, & aliis indicandi. Qvod *Thrasybulum Milesium*, interrogatum à *Periandro* Corinthiorum Tyranno, qvomodo firmissimè Imperium tenere posset, fecisse, *Dionysius* in hac ipsâ Tarqvinii historiâ perhibet.

VII. Regna qvæ ad jus suum *præter vim nihil* habent, metuqve *ac odio* potiùs qvàm *benevolentiâ civium* & fide *munita* sunt, diuturna esse non possunt. Malus diuturnitatis custos metus; cumqve stupra, præcipuè si nobiliores familiæ polluantur, accedunt, regno ferè aut finis aut certè mutatio imminet.

AD CAP. VIII.

Ad constituendum stabiliendumqve *novum* imperium *unus Princeps non sufficit*, sed qvadam *varietate ingeniorum opus est*; ut qva qvisqve virtute præditus est, eâ in meliorem statum *Remp.* provehat.

AD

AD CAP. IX.

I. Cùm *vario* mobiliqve *semper animo vulgus* sit, ante omnia danda opera novis Consulibus fuit, ut *eum sibi conciliarent* ac constringerent; contrà verò Tarqvinium exosum redderent, ne fortè persvasus à *Regibus* objectâ spe lucri de reducendis ipsis aliqvid moliretur. Id autem assecuti tum aliis sunt, tum illo etiã, qvòd *bona regia plebi diripienda* dederint; ita enim effecerunt, ut persvaderet sibi Pop. *Romanus* nullam spem reconciliationis sibi esse reliqvam cum iis, qvorum bona possideret.

II. Qvòd Pop. *Rom. libertatis* suæ *autores* primò omnium *consules* fecit, in eo *exemplum* præbuit *gratitudinis erga* benemeritos.

III. In liberis rebuspubl. duo præcipuè utilissima, & ad diuturnitatem status facientia sunt: 1. si *non unus* sed duo vel tres *divisâ, æquali* tamen *potestate* Reipubl. summam administrent: ita enim alter alterum reveritus, à licentiâ ac immodestiâ revocabit; & æmulatione qvadam mutuâ ad virtutem & benemerendi de publico studium excitabit. 2. Si ea potestas certo tempore descripta, nec nimis longa sit, ne corrumpantur animi imperii consvetudine, & privati esse dediscant, ac ita impellantur deinceps ad novas res, & regnum ambiendum. Qvod in Cæsare evenit, qvem cùm paterentur *Romani* continuis consulatibus fungi, & Dictaturam perpetuo gerere, occasionem præbuere,

Rempubl. liberam in Principatum iterum convertendi. Prudenter itaqve Florus dixit, *consulare imperium annuum & inter duos divisum esse placuisse Romano Pop. ne potestas solitudine vel mora corrumperetur.*

IV. Magistratus non sui commodi causâ Reip. præest, sed ut *utilitatem* procuret. Itaq; Romani *Consules* ab eo appellârunt, qvòd Reipubl. & Civibus deberent *consulere*; & ita ipso nomine perpetuò officii sui admonerentur.

V. Semper humanum ingenium ad dominationem præceps est; sed ii, qvi regio genere orti & ad eam fortunam educati sunt, eò semper inqvietioribus animis aspirant, *rati injuriam esse, si privatim vivant.* Itaqve eam legem, qvam Brutus tulit, de non permittendis in urbe Tarqviniis, qviqve cùm iis sangvine juncti sint, aut illis reducendis studere videantur; omninò *fundamentum* esse arbitror, in qvo *novi imperii moles* tutò *inædificari* potest. Qvo magis cavendum fuit Bruto, ne statim initio violaretur; licet vel liberorum morte sancienda esset; qvo facto justæ & necessariæ severitatis, & veri amoris in patriam, cui omnes alii affectus postponendi sunt, reliqvit exemplum.

VI. Valerius Publicola ædem suam demoliens, ne affectati regni suspectus esset, ostendit, *virum bonum* & patriæ amantem non tantùm *vacare culpâ* debere, sed & ejus *ipsâ suspicione.*

AD CAP. X.

I. Non cœpisse, sed *perfecisse virtutis est*, Laudanda igitur, & observanda Populi Rom. constantia, qvòd non modò nefarios Tyrannos *expulit* generoso impetu, verùm etiam, qvòd partâ *libertatem fortiter* & magnanimiter contra ipsos *defendere statuit*; paratus vel extrema pati potiùs, qvàm rursus in servitutem cadere: qvos animos qvi induerunt, & servant strenuè, eos nullis armis posse opprimi, hìc Romani ostendunt.

II. Summam Pop. Romani & virtutem & fortunam fuisse, atqve his ipsis rebus in tantum perventum fuisse fastigium, suprà monuimus. Hìc autem ejus rei præclarum habemus exemplum; Namq; consistere & sustinere tam potentem Regem, urgente præcipuè fame, summæ fortitudinis fuit; qvæ in *Horatio*, *Mucio*, *Cloliâ* imprimis & admirabili qvodam modo conspicitur: Ita pacem à superiore, & propè victore, non impetrare, sed accipere, fortunæ fuit.

III. Horatius docet, *non tam multitudinem* in bello, *quàm virtutem militum spectandam esse*; & unum aliqvando virum pro exercitu esse, si amore patriæ & libertatis & immortalitatis gloriâ accensus, veluti totus ardeat; paratus vel ipsâ vitâ victoriam emere, si aliter non liceat.

IV. *Clœlia* ostendit *virtutem* non tantùm in viros *cadere* sed & *in feminas*. Plutarchus librum scripsit

psit *de virtutib. mulierum*, ubi plura exempla recenset, & inter alia hoc ipsum qvoq;.

V. *Porsena* docet, *in hostibus virtutem* admirandam *& honorandam esse*, & hanc ex hostibus nobis sæpiùs amicos facere, ut verè dixerit Cicero: *Virtutem & conciliare amicitias, & servare.* Sic Augusti virtus & moderatio *Indos* & *Scythas* ad petendam amicitiam Pop. Romani excitavit; ut *Suet. in vitâ Augusti* notat.

AD CAP. XI.

I. Observandum iterum exemplum Romanorum constantiæ, qvi *consisi æquitati causæ*, & sua defenderunt fortiter, & hostes penitùs sub jugum miserunt.

II. *Posthumius* signum in hostes jaculatus, docet *ad incendendos militum animos multùm conferre ducem*, qvi virtute pariter & consilio polleat. Ubi stratagema notandum est, qvomodo *constantia militi ex pudore induenda* sit.

III. In *Cosso* similiter notandum, qva ratione *eques à fugâ inhiberi, & ad incurrendum adigi* actiùs posit. Qvanqvàm hìc Florus Cossum pro *Tito Ebutio* nominat. Is enim hoc bello Magister equitum fuit; qvo munere functus postea Cor. Cossus contra Fidenates, de qvo *Liv. lib. IV. & Noster c. seq.* Sed qvia uterqve hoc stratagemate usus, *memoriæ errore* alterum *noster* pro altero nominavit.

IV. *Lucius Quinctius*, ille ab aratro Dictator,

 do-

docet, *non loco æstimandam virtutem*, qvæ sæpè in obscuro & vili angulo latere solet: Item *rē agricolis & viros fortissimos*, & milites strenuissimos gigni; qvod *M. Cato* dixit *præfat lib. de Re Rust.* & clariùs demonstravit *Vegetius lib. I. de Re Militari cap. 3.*

V. In fine habemus exemplum *belli celeriter confecti*; neqve certè in bello aliud majus momentum habet, qvàm nihil procrastinare, nihilqve cessare; sed pergere strenuè, atqve urgere rem. Hac re tot tantasqve victorias *Jul. Cæsar* consecutus est, ut *Svet.* observat. Eâdem *Alexander M.* universum Orientem debellavit, qvi interrogatus, qvâ ratione tanta opera confeciſſet, respondit; Μηδὲν ἀναβαλλόμενος. *Nihil, quod facto opus sit, differens.* unde *Veget. lib. IV. c. 1*: *In rebus belliçis celeritas amplius solet prodesse quàm virtus.*

AD CAP. XII.

I. Notanda Romanorum invicta constantia & fortitudo, qvæ Fabiorum cæde & aliis *cladibus acceptis*, non tam despondit *animes*, qvàm *majores sumpsit*; tam diu urgens propositum, donec pessundaret hostes, atqve sub jugum mitteret.

II. *In* Fabiis nota Exemplum insignis *erga patriam amoris*, qvi bellum in Vejentes *ultrò*, etiam *in se solos* receperunt.

III. In Camillo, pueros Faliscorum remittente, notetur Romanorum magnanimitas & *justitia in bellis*; qvi *fraudes* & proditiones *detestantes*, eam demum *veram* existimabant *victoriam*, qvæ *virtute* pararetur.

IV. Falisci ultrò dedentes se suaq; Camillo, docent, qvanta virtutis majestas sit; nec tam fugienda qvàm *appetenda illorum imperia*, *qui justitiâ* & fide maximè *præstant.*

V. Vejentes cùm scribit Auctor noster ita deletos funditùs, ut cùm nec vestigium ullum restet, dubitare aliqvis posset, unqvamne illi fuerint? licet illa gens & potentissima & opulentissima fuerit; docet, *nihil in rebus humanis stabile* esse, atqve perpetuum; sed *cadere tandem*, atqve perire, qvæ firmissima & propè inexpugnabilia credebantur.

AD CAP. XIII.

I. Romani qvòd pro *Clusinis fœderatis* intervenerunt, & contra Gallos moverunt arma, docent, *non deserendos socios & amicos*; sed fœdera inviolata habenda esse.

II. Romani missis legatis Gallos adhortati, ut à vi injuriâq; inferendâ sociis abstinerent, ostendunt, *omnia priùs experiri verbis quàm armis sapientem decere*; ut illud *Terentii in Eunucho* habet.

III. Romani tot victoriis inclyti hactenus, nunc victi à Gallis, & obsessi, docent, verum esse illud Ennianum: *Haud quaquam quenquam semper fortuna secuta est.*

IV. Senes Romani se devoventes pro patriâ, ostenta-

ostendunt, *patriæ charitati* cùm cetera omnia, tum *vitam ipsam postponendam* esse.

V. Lucius Albinus Vestales virgines, depositis liberis & uxore, in plaustrum recipiens, ostendit, *quo honore & reverentiâ prosequendi* illi sint, qvibus *rerum divinarum commissa cura.*

VI. Manlius in summâ fame *panes ab arce jaculans*, docet, qvemadmodum *dissimulare adversa* deceat, & qvàm ea *res* sit *necessaria* belli Duci.

VII. Camillus pro Romanis, qvi de ipso non benè meriti, arma suscipiens, docet, *paucorum injurias amori patriæ condonandas esse*; cùm sit impietatis maximæ genus, permittere perire patriam, ut malevolos & inimicos ulcisci qveas; qvod Camillus tum à se amolitus est.

VIII. Manlius Torquatus & L. Valerius Corvinus docent, *in singularibus* certaminibus plerumqve *victoriam penes provocatos* manere; *vinci* autem & prosterni *provocatores.*

AD CAP. XIV.

I. *Titus Manlius Torquatus* filium, spreto imperio, contra qvod pugnaverat, supplicio afficiens, exemplum præbet severiter assertæ disciplinæ militaris; & certè *omnium robustissimè armatur munituróq; exercitus disciplinâ*, ut *Cassiod. lib. XII. Variar. cap.* 5. censuit. Ipse etiam Manlius apud Livium ait, *eâ ad hanc diem stetisse Romanam Rempub.* Idcircò ejus meritò summam semper curam habuerũt Romani, adeò *ut antiquior ipsis fuerit, quàm liberorum salus* ut DD. in *l. postliminium. §. filius. ff. de captiv.* observant. & hic Manlius testimonio est.

II. Decius Mus, qvi se devovit, iterum exemplo est, *omnia caritati patriæ postponenda* esse; etiam ipsam vitam.

AD CAP. XV.

I. *Sabini* cùm contra fœdus, qvod olim sub Romulo cum Romanis inierant, Latinis bellis sese immiscuissent, victi docent, *non impune esse, fœderum religionem violare.*

AD CAP. XVI.

I. Notandum ante omnia, Romanorum in fœderibus servandis, fideq; præstandâ studium. Campani fatigati armis Samnitum, & propè victi, Legatos Romam mittunt, *perpetuam amicitiam offerentes*, ut præsens auxilium contra hostes impetrent: Romani negant, qvòd sibi jam olim cum Samnitibus fœdus esset; *novas* qvippe *amicitias ita debere instituí, ne qua vetustior societas violetur.* Campani, qvibus nulla spes reliqva, se & sua omnia Romanis dedunt, h. e. propria P. Romani faciunt, & sic cogunt Romanos defendere deditiõs suos, agrumq; & urbem, qvæ jam Romani juris esset. Anteqvam tamen res ageretur armis, & ne fidem Samnitibus frangere viderentur, mittunt eò legatos, pro amicitiæ jure petentes, ut dedititiis suis parcant, neq; in eum agrum ferrent arma, qvi Pop. Romani factus esset; aliàs se pro violatoribus fœderis habituros. Cùm nihil impetrarent, *justè bellum iis indici posse* Senatus censuit

qvi *ipsi diremissent fœdus*, qvod cum Romanis pepigerant.

II. *Populi*, *qui* nimis *uberem* & omni rerum copiâ affluentem *terram incolunt*, ut *fastuosi* ferè sunt *& mobiles*, ita ad res gerendas rarò satis virium habent; ex copiâ enim & ubertate rerum, luxus & delitiarum studium oritur, qvibus molliuntur animi pariter, ac corporis robur enervatur; qvod hîc *Campani* docent, qvi *fluentes luxu*, ut Liv. observat, & *magis nomen ad præsidium sociorum, quàm vires, afferentes*, unâ clade à Samnitibus acceptâ, ita perterriti sunt, ut se & sua omnia Romanis dedere vellent potiùs, qvàm iterum belli aleam experiri.

III. Notanda iterum Pop. Romani *constantia*, qvæ non cessavit, *donec* Samnites *hostes* pervicacissimos, totos 50. per annos cum illis pugnans, *domaret penitùs*, ac deleret.

IV. *Samnites* post ruptum fœdus toties, excisi penitùs, ostendunt, *religionem fœderum* violandam non esse.

V. Spurius Posthumius & *Titus Veturius* exemplo sunt, qvàm facile *temeritate ducum* peccari, & *totus exercitus in maximum discrimen adduci* possit; & esse *non minoris prudentiæ, tutò traducere exercitum*, *quàm aciem ad certam victoriam ordinare*; cùm plura in itineribus qvàm in ipsâ acie contingere soleant pericula, de qvo *Veget. lib. III. cap. 6.* Qvod si observâssent *Posthumius* & *Veturius*, tantam pati ignominiam nunqvam fuissent coacti.

VI. He-

VI. Herennius pater docet, prudentiam propriam esse senilis ætatis, & senum *consilia plerumq; optima* esse. Notandum & ejus sapientissimum responsum duplex: *Hostem vel internecione vel beneficio debellandum & subigendum esse.*

VII. Pontius sub jugum mittens Romanos, mox acerrimè id ulturos, admonet, *juvenilem ferociam malè cedere*; *nec temerè ignominiâ afficiendos*, qvi acres animos gerunt, & *injuriarum memores*, & vires ad ulciscendum habent, & *decoris magis quam vitæ studiosi* sunt.

VIII. In *Veturio* & *Posthumio* insigne exemplum observandum *charitatis erga patriam*; qvippe qvibus Rom. Populi salus carior, qvàm vita fuit. Nam cùm *injussu* Pop. Romani *pacem fecissent* cum Samnitibus, id *sponsionem privatam* potiùs, qvâ ipsi soli attinerentur, qvàm fœdus, qvod totum Pop. Romanum obligaret, *ultrò interpretabantur*; ita salvâ religione instaurari bellum contra Samnites, & ignominiam illatam justè vindicari posse; modò ipsi soli dederentur Samnitibus: Qvod ut fieret, non tam patiebantur, qvàm autores erant. Digna res est ut pleniùs cognoscatur ex *Liv. lib. & cap. 9.*

AD CAP. XVII.

I. Romani tot gentibus in suum exitium conjuratis euntes fortiter obviam, docent, *virtutem veram nihil terreri adversis*; & qvò magis premi-

tur, eò magis seſe exerere, ratam, uti *gravior lucta* fuerit, ita *excellentiorem gloriam* seqvi solere.

II. Fabius Maximus Ciminium saltum probè antè explorans, qvàm exercitū eò perduceret, docet, *cautè progrediendum* duci, & *perlustranda antè loca*, per qvæ iter faciendum sit; ne in insidias & labores incidat, qvod Veturio Posthumioq; accidisse *cap. præced.* diximus.

III. Fabius *fratrem* exploratum *mittens*, ostendit, *id muneris* rectiùs *nobilioribus*, & *conjunctissimis* qvibusqve, qvàm gregariis militibus *committi* à duce; qvippe qvibus & minor fides est, & minùs ad indagandas hostium fraudes ingenium sagax.

IV. Cùm Auctor noster Fabium captis superioribus jugis vicisse scribit, monet, *ante omnia* belli duci *altiora & edita loca præoccupanda esse*; nec enim nisi summo labore atq; periculo eò eniti hostis, & longè faciliùs repelli, & profligari potest.

V. Decius pro legionibus se devovens, rursus *exemplum* præbet summæ *caritatis in patriam*; Deinde etiam ostendit, sicut *corporis quædam signa* in sobolem à parentibus, ita *& animi virtutes ingenerari*; nam se pro patriâ devovere, *propriū Deciorum genti* fuit. Nam & pater hujus Decii se devovit, de qvo supra *cap.* 14. *Plut. in lib. An vitiositas ad infelicitatem sufficiat* ? Decii cujusdam Romanorum Imperatoris meminit, qvi se pro patriâ exstructo in medio exercituum rogo, Saturno immolavit.

AD

AD CAPUT XVIII.

I. *Tarentini* classem Romanam invadentes temerè, & diripientes, exemplo sunt, *temeritatem esse exitiosam.*

II. Iidem docent, *gentium jura non violanda, & nullâ injuriâ afficiendos esse legatos*; qvippe *unde* atrocissima *bella oriri* soleant.

III. Pyrrhus, *ambitiosi Principis*, & *bellorum cupidi*, *exemplum* est; ideò enim se adduci passus est à Tarentinis, ut ipsis auxilia ferret in causâ injustâ. Qvi cùm *ducum maximus*, & *rei militaris peritissimus*, nihilominus tamen *victus* sit, docet, *victoriam non tam armis atq; prudentiâ, quàm bonitate causæ obtineri.*

IV. Romani victi initiò, pòst victores, primò solitæ sibi, propriæq; constantiæ exemplum præbent, qvòd *non desperârint statim*; sed *freti virtute & bonâ causâ*, collegerint ita animos, & fortunam experti sint. Secundò docent, *ex initiis bellorum non statim de fine judicandum esse.*

V. Romani & virtute & sapientiâ Pyrrhum domi forisqve superantes, docent, eam demum *rempubl. benè constitutam*, & felicem esse, qvæ & *fortitudine adversus vim injustam hostium*, & *prudentiâ adversus eorundem fraudes ac dolos munita sit.*

VI. Fictæ ac *simulatæ humanitati hostium credendum non est*; & sunt eò magis *cavendi hostes*, qvò *amiciores* se simulant. Hîc Romani nolebant credere, Pyrrhum verè & candidè amicitiam Pop-

Ro-

Romani appetere, cùm interemtos sepeliret, captivos indulgenter haberet, & sine pretio restitueret; hæc omnia enim ideò faciebat, ut circumvenire eos tandem amicitiæ specie posset, qvocirca *Polybius* prudentissimus Scriptor *lib. XVIII. Epitharmi* illud in promptu semper habendum svadet: Νῆφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα τοῦτα τῶν φρενῶν. *Vigila, & memor esto, ne quid credas: nervi hi sunt prudentiæ.*

VII. Pyrrhi illud dictum, *O, quàm facile erat!* &c. ostendit, qvantum instar *in egregio duce* ponendum sit, qvippe in qvo uno *sæpius plus ad victoriam præsidii est, quàm in reliquo exercitu universo.* Unde Chabrias (ficut *Plut. in Apoph.* auctor est) dicebat, *terribiliorem esse exercitum cervorum duce leone, quàm leonum, duce cervo.*

VIII. *Appius Cæcus* depellens legatos Pyrrhi urbe Romanâ, docet, *non semper admittendos esse legatos*; & *aliquando justè ejici* posse, si pernitiosa Reipubl. statuere videantur: Neq; enim jus gentium violat, qvi non admittit Legatum; sed qvi injuriâ & contumeliâ afficit.

IX. Fabricius medicum, venale Regis caput offerentem, remittens, ostendit, egregii atq; *magnanimi ducis* esse, *non fraudibus & proditione, sed* fortitudine *& armis hostem vincere.*

X. Idem Fabricius Curiusq; *luculenta dona hostium repudiantes*, exempla sunt viri magnanimi, & *honestatis* admodum *studiosi*; ostendunt qvoqve, illos,

illos, qvi *Remp. tractant, magis publica quam sua privata utilitati inservire* oportere.

XI. Fabricius luxuriosum Senatorem ordine movens, significat, *corruptos luxu & avaritiâ animos* non facilè consulturos, qvæ è re & gloriâ civitatum fuerint, & *facilè impelli in scelera* & malas artes. *Ubi divitiæ claræ habentur, ibi bona omnia vilia sunt; fides, probitas, pudor, pudicitia*; ut scribit *Sallust. Epist. ad Jul. Cæsar de ordinandâ Republ.* ubi plura habet in istam sententiam egregiè monita.

AD CAPUT XIX. ET XX.

Cùm *tres* à plerisq; *justæ bellorum causæ* statuantur: *defensio, recuperatio rerum, & punitio*, pro ultimo hæc duo capita exempla suppeditant. Romani enim, *Picentes* & *Sallentinos* bello petierunt, qvòd *Tarentinos* hostes suos *auxiliis juvissent*; ut ita vindicarent injurias ab illis sibi illatas. *Justa enim bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias*; inqvit *Augustin. lib. VI. quæst. & loc. 10. super Josuæ librum.*

AD CAP. XXI.

Volsini oppressi à servis suis, docent, verum esse illud Claudiani: *Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.*

AD CAP. XXII.

In hoc & seqq. capp. observandum in genere, nul-

nullam Rempubl. tam benè constitutam esse, quin aliquando seditionibus locus sit. Earum autem *duas* fere causas esse: *insolentiam* scilicet *superiorum* in plebem, & *mobiles vulgi animos*: qvi cùm magis opinionibus qvàm veritate regantur, facilè ad res novas irritari possunt; & est plerumqve hoc proprium vulgi, obniti melioribus.

AD CAP. XXIII

I. *Fœneratores* si paulò iniqviùs fœnus exerceant, *exitiosi* ferè *rebuspubl.* sunt; & *seditionibus* ac rebus novandis *suppeditare causam* facile possunt.

II. In Menenio observandum, tria *potissimum* in eo reqviri, qvi ad conciliandum dissidentes partes legatus sit. Primò, ut *gratiâ valeat apud eam partem ad quam mittitur*; læpè enim non admittuntur legati, tantùm qvòd laborent odio. Secundò, *ut facundus sit*. Tertiò, ut *communi prudentiâ polleat*; his omnibus enim cùm præstaret Menenius, facilè populum in suas partes pertraxit, qvod reliqvi non potuerunt unà missi (qvorũ decem fuisse *Dionysius* scribit) qvippe qvi iisdem rebus non ita pollerent. Nam cùm & ante in Senatu pro plebe feciſſet verba Menenius, eamq; contra patricios Patricius defendisset, plebs Romana ut benè de se meritum virum, ita charum sibi & gratum præcipuè, auscultandum censuit: Atqvè is, cùm ad facundiam prudentiam qvoq; adderet, & non ut ceteri, grandi & invidioso sermonis genere (qvo non obscurè & accusaretur populus, &

Jus

jus atq; Majestas Senatus defenderetur) sed simpliciac leni oratione uteretur, qvaq; nec pro Senatu responderet, nec accusaret populum, qvin fabularum blandimenta qvoq; adderet; placavit facilè populum, & obseqventem sibi reddidit: Adeò *magna res est eloquentia cum idoneâ prudentiâ juncta.* Notandus est hic *insignis fabularum usus in persvadendo vulgo*, qvi his delectatur maximè, cùm operosas disputationes capere vix possit. Sic & *Themistocles* Athenienſibus, ne Magistratus mutarent, *fabellâ de vulpe & muscis* persvasit. Plura exempla *Vossius* notat *lib. IV. Instit. Orator. c.* 11.

AD CAPUT XXIV.

I. In Tarqvinio superbo suprà observavimus, *libidines eorum, qui Reipubl. præsunt, causam evertendi statum* Reipubl. plerumq; *præbere*; qvod & exemplum *Appii* evincit: Ejus enim importuna libido effecit, ut & ipse occideretur in carcere, & summa Reipubl. abrogatis Decemviris, ad Consules rediret.

II. Virginius, qvòd interfecit filiam potiùs, qvàm concesit, ut libidini Appii ludibrio esset, innuit, *majorem habendam honestatis, quàm vitæ ipsius rationem.* Qvod & *Lucretiæ* exemplum docet, qvæ sibi ipsa inferre manus maluit, qvàm erepto pudicitiæ decore vivere ampliùs; ex qvo & intelligi potest, qvanto in honore pudicitia Romanis fuerit.

[Ex cap. *XXV.* nulla observatio occurrit.]

AD

AD CAPUT XXVI.

I. Altera Fabiarum, qvæ sono virgæ lictoriæ expavefacta, occasionem mutationis in republ. dedit, docet, *parvas sæpè causas res ingentes moliundi intervenire*; ut in hac ipsâ historiâ *Livius* loqvitur. Habes in eâdem exemplum æmulationis & ambitionis muliebris.

II. Largitionibus facilè corrumpuntur homines in pejus; qvò severiùs contra eas animadvertendum sibi censuére Romani, ne scilicet libertas periclitaretur. Habes igitur hic aliqvot eximia severitatis Romanæ exempla in vindicandâ libertate, contra largitiones, qvæ & *Cicero* laudavit *Orat. 1. Catilin.* Item *pro Milon.* Simul & notanda *exempla infelicis ambitionis.*

III. In *Manlio* præcipuè notandum, *dominandi cupiditate cetera omnia virtutum factorumq; decora obliterari*, & consequenter invisa reddi; plura enim hactenus præclara virtutum variarum documenta dederat, qvæ *Liv. lib. VI. cap.* 10. exponit. Usqve adeò verum, qvod *Claudianus* ait:

Inquinat egregios adjuncta superbia mores.

AD LIB. II.

[Ex *Cap. I.* nihil occurrit.]

AD CAP. II.

I. Qvamvis Pop. Rom. in bellis suscipiendis magnam semper justitiæ rationem habuerit, tamen negari non potest, sæpiùs *imperii atq; augendæ potentiæ causâ, cùm præda opulentior invitaret, correpta fuisse ab iis arma*; qvod & in nostro bello advertendum, & Auctor noster non obscurè significat. Et hæret hoc vitii plerumq; *generosis animis* (qvales Romanorum) ut *dominandi avidi* sint; nec tantùm *pollere virtute*, sed *eminere* qvoqve *opibus*, ac aliis præstare velint.

II. Cùm Romanis suspecta *Pœnorum* in vicinâ Siciliâ esset potentia, justè autem satis eò proferre arma non possent, præter spem accidit, ut *Mamertini* opem ipsorum implorarent; tum æqvum visum, *socios non deserere*: & sic Punicum bellum cœpit. Ubi observa primò, *nostram rem agi, cùm paries proximus*, ut Poëta ait, *ardet*: Maturè itaqve providendum, ne flamma, qvæ vicinum perdidit, & nostram qvoq; domum corripiat. Secundò: *Occasionem iis nunquam deesse, quos Deus ad regna & imperia destinavit.*

III. Cùm Romani nauticarum artium rudes, Carthaginienses, qvi eâ scientiâ omnes alias gentes præstabant, non dubitarent adoriri mari, qvin eos vincerent; felicis antè audaciæ & invictæ virtute fiduciæ exemplum præbuerunt. Nam ut Poëta ait:

Audaces fortuna juvat, timidosq; repellit.

IV. Appii Claudii in persequendo Hierone, *Duillii* verò in conficiendâ classe celeritas, docet, *quantum momentum ad victoriam* habeat *nihil procrastinare.* Sic Alexander M. interrogatus, qva ratione orbem terrarum vincere ac subigere potue-

tuerit? οὐδὲν ἀναβαλλόμενος, *Nihil procraſtinans*, reſpondit. *Nihil enim in bellis captandum magis, quàm occaſio*; qvæ tamen, ſi præceps eſt, & ſemel amiſſa, retrahi vix poteſt.

V. *Pœni* ante victoriam triumphum canentes, & navigandi peritiâ inflati, Romanorum, à qvibus victi tamen poſteà ſunt, deridentes ruditatem, oſtendunt, *non eſſe contemnendum hoſtem*, & ſui fiduciam plerunq; perdere; *nec unquam minùs reſpondere eventus, quàm in bellis.*

VI. Cùm generoſæ mentes nullâ aliâ re magis qvàm honore & gloriâ duci, & ad maximas res ſuscipiendas invitari ſoleant, prudenter, ut pleraq; omnia, conſtituerunt Romani, ut iis, qvi illuſtre aliqvod virtutis edidiſſent ſpecimen, & de Repubi. patriâq; benè meriti eſſent, *cum muſicâ* (qvæ pompa honoris eſt) *incedere* permitteretur. Sic *Duillio* ob inſignem victoriam, qva *Carthaginienſes* claſſe vicit, conceſſum, ut *cum funalibus ac tibiis à cœnâ rediret domum.* Sic *Corniſicio*, ob rem benè geſtam bello Siculo, qvoties domi non cœnâſſet, *elephanto ut veheretur domum*, permiſſum fuit.

VII. Cornelius Aſina ſimulato colloqvio evocatus, & mox oppreſſus à *Pœnis*, *documentum* præbet *Punicæ fraudis*, cui tamen victi *Carthaginienſes* poſtmodum *dignas pœnas dederunt*; neqve enim impune eſſe ſolet, fidem fallere; & *diu felix perfidia nunquàm fuit*, qvæ Deo & hominibus exoſa eſt. Docet etiam hic Scipio; *non temerè credendum*

dum hoſtibus; præcipuè qvorum perfidia ac fraudes antè perſpectæ.

VIII. Calpurnius Flamma & prudentiæ & ſummæ *fortitudinis* atqve *amoris in patriam exemplum* præbet.

IX. Xanthippus Lacedæmonius, à Carthaginienſibus exercitui præfectus, vincens Romanos, exemplo eſt, *plus* eſſe *momenti ad victoriam in duce quam in exercitu* (de qvo & ſuprà monuimus) &, *aliquando magis expedire, peregrinum præficere exercitui, quàm domeſticum.*

X. In Regulo ſingulare *ſervatæ hoſti fidei*, atq; Romanæ magnitudinis & *conſtantiæ*, ut & *amoris in patriam* obſervandum *exemplum* eſt.

XI. Cladem, qvâ *P. Claudius Pulcer* à Pœnis, Adherbale duce, affectus eſt, auſpiciis & *neglectæ religioni* adſcribit Florus. *Polybius lib. I.* eam *imprudentiæ* Claudii imputat, qvòd *naves prope terram manere* atqve ad litus decertare præcepiſſet; ita enim factum, ut *loco iniquiſſimo* pugnarent; nec haberent, qvo ſeſe poſſent recipere, ſi hoſtis inſtaret vehementiùs; itaq; *prudentiâ cumprimis in bellis opus eſt.*

XII. Romana claſsis prompta, levis, atq; expedita, vaſtam & gravem Carthaginienſium vincens, docet, *juſtam magnitudinem & exercitus & ipſius apparatus eſſe debere; ne illa ipſa res*, in qvibus victoria poſita, *nobis oneri* ac impedimento ſint; & *magis hoſtem quàm nos juvent.*

AD CAPUT III.

I. Templum Jani, belli pacisqve indicium constitutum à Numâ *Florus* noster suprà monuit *lib. I. c.* 2. Ceterùm qvia sub *Numâ* altissima pax Pop. Romano fuit, idcircò clausum semper mansit; posteà cùm succesisset Tullus *Hostilius*, moto *Albano bello* primùm apertum fuit anno V.C. 84. nec clausum deinde unqvam fuit, donec sexto post primum bellum Punicum anno *Q. Attilius Balbus & T. Manlius* consularu fungerentur, ut *Plut. in Numâ* autor est; & *Livius* qvoqve in *libro I.* docet. Id autem in annum U.C. 519. incidit. Fuit igitur totis 435. annis Pop. Romanus perpetuò in armis, ex qvo *invicta* ejus *vis ac virtus*, constantiaqve ac fortitudo, in asserendo, amplificando, stabiliendoqve, & tutando imperio constare potest; & reverà ex his ipsis continuis bellis illud insuperabile robur consecuta est *Roma*, qvæ otio procul dubio elanguisset; neqve enim unqvam aut *potentior* aut pulcrior, & virtutum exemplis abundantior fuit, qvàm *cùm extra & intra patriam cum hostibus dimicandum fuit.* Posteà enim cùm pacato & domito orbe terrarum *otium nacta* esset, in luxum & otium certatim prorui; unde civilia bella orta sunt, & sibi ipsi causa omnium vel acerbissimarum cladium fuit. Ita *nihil magis sæpiùs rebuspubl. quàm diuturna pax, nimiaq; felicitas, nocere solet*; de qvo & infra ad *lib. IV. cap.* 2, locus erit monendi.

II. Gal-

II. Galli atqve *Illyrii* victi ac exarmati à Romanis, docent, *infaustos* ferè *sortiri eventus injusta bella*; & qvæ latrocinia potiùs, qvàm bella. Illi enim, qvia vicinam Hetruriam, nullâ injuriâ lacessiti à Romanis, crebris incursionibus vexabant, & deprædabantur; vim injustam arcendam & bellum inferendum prædonibus existimârunt Romani.

AD CAPUT IV.

I. Observandum in *Gallis*, & qvæ de illis monet A. N. *in milite non tam vastitatem corporis, & furiosum impetum, quàm aptam firmamq; habitudinem membrorum, vigoremq; animi spectandam esse.* Et rectè *Vegetius*, postqvàm de deligendis tyronibus præcepta dedisset, ita id caput clausit: *Utilius est, fortes milites esse, quàm grandes.* Vide ipsum *lib. I. de Re Milit. cap.* 6: Et *mulctatos* ab Imperatoribus legimus *milites* apud Romanos, qvi interea dum stipendia facerent, *obesi atq; præpingues facti.* Et *Cato* apud *Gellium* testatur, *Censores adimere equum solitos ei, qui pinguis ac corpulentus esset, ut quem minus idoneum ad faciendũ equitis munus existimarent.* Qvanqvam & ipsis Gallis qvoq; proprium fuisse *Strabo* scribit, ut *exercerent sese, ne obesi, & ventricosi nimis fierent*; adeoqve *mulctatum*, si qvis juvenis *modum Zonæ præscriptum* excederet. Vide ejus summi autoris *lib. IV. Geographiæ.*

II. Galli exemplum præbent *votorum stultè* ac temerariè *susceptorũ*; cujusmodi & in *Alberto* Au-

 striæ

striæ Archiduce & *Isabellâ* conjuge nostro tempore observatum est, qvi cùm *Ostendam* obsidione premerent, jusjurandū fecerunt, *se non antè interiorem tunicam mutaturos*, qvàm eâ urbe potiti essent; sed cùm id extraheretur longiùs qvàm putârant, necesse habuerunt *à Pontifice Romano petere veniam temerè susceptī voti, adeoq; licentiam impetrare mutandi induſii*; ne si diutiùs obligati voto, ipsi, interim dum obsiderent Batavos, *à semetipsis prognatis hostibus, occultè* qvidem, ceterùm *satis arctè*, & non sine magnâ molestiâ, nec minori pudore *obsiderentur*. Considerandā itaqve propè, qvæ qvis voveat, ne deinceps ludibrium debeat aliis, & justas temeritatis suæ pœnas luat.

AD CAPUT V.

I. *Violati juris* gentium *in legatis*, & qvidem *non impunè*, Illyrii in hoc cap. exemplum præbent.

II. Iidem docent *populationes* & *invasiones* hostiles, cùm *nulla justa causa* præcesserit, *malè cedere*.

AD CAPUT VI.

I. Principio notanda Romanorum *in servandis fœderibus religio*, qvæ certè curæ omnibus esse debet; nam qvàm *vix unquam impune* sit *violare* ac frangere fœdera, *Carthaginienses* hoc ipso bello tandem docuerunt. Deinde observanda summa eorundem *prudentia in animadvertendis iis rebus, qua tueri non modò Reipubl. statum, eiq; cum primis conducere; sed & nocere, & detrimentum aliquod affer-*

re posse viderentur. Nam cùm viderent Romani, æmulorum suorum, Carthaginiensium scilicet, opes in vicinià Hispaniâ crescere indies; & inde magnum Italiæ suæ imminere periculum; dolebant eqvidem se non antevertisse hactenus, & Hispaniam, priusqvàm Pœni ibi potirentur rerum, ingressos fuisse. Hoc itaqve peccatum (ita ferè de hac re *Polybius* longè prudentissimus Scriptor loqvitur) ut emendarent, primùm omnibus viribus studuerunt; ac armis qvidem tentare *Hispaniam*, & *Pœnos* depellere, partim injustum, partim & inconsultum, ac temerarium tum qvidem videbatur: Nam & fœdus, qvod cum *Carthaginiensibus* fecerant, obstabat, & Galli præterea, eò tempore potens & bellicosa gens, turbabant; & cum infesto exercitu Romam venturi credebantur: Qvocirca humanitate potiùs & jure rem aggrediendam existimârunt. Misére itaqve legatos ad Hasdrubalem (is tum Carthaginiensium nomine rebus in Hispaniâ præerat) eiqve persuaserunt, ut istiusmodi *fœdo cum Romanis* faceret, qvo *Pœni Iberum*, nobilissimum Hispaniæ fluvium *transire vetarentur*; *nullâ interim Hispaniæ reliquæ mentione factâ*; hanc enim deinceps, confectis cum Gallis rebus, tutò se posse ingredi; nec causam fore, cur Pœni de eo qvererētur; cùm nulla in fœdere ejus facta mentio exstaret: Qvæ callidissima eorum ratio digna est, qvæ observetur. Notabis obiter & *Hasdrubalis*, qvanqvam acuti aliàs & prudentis viri, *oscitantiam*, qvòd *sibi fucum facere*

passus Romanos, in fœdus istiusmodi consenserit, nullâ mentione reliqvæ Hispaniæ factâ; ac non animadverterit, qvò Romanorum hoc consilium spectaret; adeoq; neglexerit simili lege obstringere Romanos contrà, qvâ montes Pyrenæos transgredi vetarentur; ita enim calliditatem eorum facilè elusisset. Sed *possunt aliquando sapientissimi viri errare atq; impingere*; qvanqvam hoc Romanorum consilium penitùs evertit *Hannibal*, cùm is *in locum Hasdrubalis* tandem successisset; nihil enim moratus fœdus illud, de qvo hactenus dictum, *Iberum transivit* & universam Hispaniam Pœnorum fecit. Adeò *adversus perfidiam atq; injustam vim nulla prudentia satis est!* His ipsis autem Hannibalis conatibus imprimis priusqvam resisterent *Romani*, jure agendum missis legatis statuerunt; qvòsi de pace convenire non possent, bellum deinceps eo justiùs prosequerentur, & hinc secundum istud *bellum Punicum* ortum est.

II. Carthaginienses, qvi dolerent, sibi & matis imperium & Insulas ereptas, & liberum populum *Romanis* tributarium factum esse, moventes bellum *Romanis*, qvamvis fœdere prohiberentur, ostendunt, eos *qui irâ ac odio reguntur*, & præoccupati affectibus sunt, *nullam ferè honestatis ac justitiæ ducere rationem*, contentos habere aliqvid, qvod prætexere in speciem possint; namq; & Carthaginienses cavillando responderunt *Romanis*, cùm de violato fœdere qvererentur, *non à se bellum istud ortum esse, sed à Saguntinis.*

III. Sa-

III. Saguntini extrema passi, & ad diram redacti famem, deniq; se & sua omnia concremantes, ne si se dederent Hannibali, desciviisse à Romanis viderentur, *illustre fidei exemplum*, ut & summæ ac *ultimæ necessitatis*, præbent. Tanta enim rerum ad victum necessariarum penuriâ laborârunt, ut *seniores quosq; ac bello inutiles mactârint*, qvo carnibus eorum vesci possent; unde & *Saguntina fames* in proverbium abiit. *Athenienses* qvoq; adeò arctâ obsidione à *Syllâ* pressos, ut ad humanos cibos compulsi fuerint, A. N. infra *l. III. c. 5.* commemorat. Similia de *Calagurritanis* à Cn. Pompejo, de *Numantinis* à Scipione, de *Cretensibus* à Metello obsessis memorantur. Vide *Valer. Max. lib. VII. c. 6.*

IV. Hannibal toties victor, novissimè verò *ad Cannas*, cùm Romam rectà pergere, eamq;, qvippe qvæ nec munita præsidiis, & opibus omnibus jam exhausta, totaqve terrore ac metu turbata esset, capere, & omne ejus Imperium ad Carthaginienses transferre suos neglexit; potiusq; habuit deflectere in Campaniam, & sic respirandi dare tempus Romanis, ostendit, *non omnibus datum esse, ut rebus secundis uti*, & suæ instare fortunæ sciant; & *Deum corrumpere ejus consilia, quem perdere instituerit.*

V. Idem *Hannibal* languescens Campaniæ *deliciis*, & optimas qvasqve *occasiones rei gerendæ elabi patiens*, ostendit, qvàm pernitiosum ac noxium sit

voluptatum ſtudium; qvàmq; fugiendum & deteſtandum illi ſit, qvi ſummæ rei præeſt.

VI. Romani tot tantisq; cladibus affecti, & propè exhauſti omnibus opibus, nihil deſpondentes animum, nihil de pace cogitantes, illuſtre exemplum præbent *invictæ conſtantiæ & magnanimitatis.* Eluctantes autem è tot malis, & hoſtem ſuperantes tandem, oſtendunt, *ex belli initiis de ejus exitu judicandum temerè non eſſe*: Notandum & hîc qvoqve illuſtre Romanæ fortunæ exemplum: Nam, qvòd Hannibal victoriæ ſuæ inſtitit minùs, & Campaniam omiſsâ Româ, qvam potuiſſet capere, petiit; deinde qvòd tempeſtate intercepta pugna fuit, cùm ad Romam utriusqve populi copiæ conſtitiſſent in acie, *fortunæ*, hoc eſt, *certæ voluntati Dei adſcribendum, qui Romanis orbis terrarum imperium deſtinaverat.*

VII. *Sempronius & Flaminius*, ut & *Terentius Varro*, victi, & magnâ clade affecti, docent, *nihil magis fugiendum duci, quàm ambitionem, & inconſultum ardorem pugnandi.* Nam cùm *Sempronius* Scipionis, *Varro* Paulli, *Flaminius* aliorum conſiliis obtemperare nollent, commodiores rei gerendæ occaſiones expectando; magis intenti ſuæ gloriæ qvàm Reipubl. commodis, & rerum tempori, tantas cladas perpeſsi ſunt, qvantas nunqvàm ante Pop. Rom. perpeſſus erat. Qvocirca rectè à Poetâ dictum:

----- *Amat victoria curam.*

Nam qvi *impetu magis quàm conſilio* rem gerunt, plerumqve ſuccumbunt, *præcipuè ſi illis negocium cum paullo prudentioribus fuerit.*

8. In Hannibale exemplum vigilantiſsimi pariter & callidiſsimi, graviſsimiq; ut & feliciſsimi Imperatoris habemus; & ſunt notanda hîc aliqvot *illuſtria inſidiarum exempla*, qvibus hoſtem aggredi & vincere liceat. Victoria ad Cannas parta docet, qvantum ad victoriam faciat, idoneum locum ad pugnandum elegiſſe; & ita deinceps ordinâſſe aciem, ut Sol, ventus, pulvis, nihil impedimenti adferant.

IX. Sed & Scipio maximi Imp. exemplum præbet; cum primis autem docet, *humanitate* comitateqve, atqve *juſtitiâ & beneficio facilius domari* hoſtes, qvàm ſolâ *vi* ac *armis.*

X. Hannibal Scipionem, iſte illum', ob fortitudinem & militarem prudentiam deprædicans, docet, *in hoſtibus quoq; admirandam virtutem atque laudandam eſſe.*

AD CAP. VII.

I. Cum nullâ re meliùs propagari poſſe imperium qvàm armis viderent Romani, qvibus id temporis victi erant; ferè dederunt operam, ut bella ex bellis traherent; in qvâ re *duplici* potiſsimùm *ratione* fuerunt uſi. Namqve & nunqvam non *vindicare* ſtuduerunt *illatam injuriam*, & libenter *iis opem tulerunt qui injuriam* fuiſſent *paſſi*; qvorum *altero ſe formidabiles* reddiderunt, utroq; verò imperium mirum in modum roborârunt & protule-

tulerunt. Utriusqve instituti exempla hoc caput nobis in *Philippo & Athenis* præbet; illum enim Pop. Romanus fœderis cum Hannibale facti, auxiliorumqve, qvæ ei tulerat, *illato bello poposcit pœnas*: his autem *contra* ejusdem vim atq; injuriam *promptè adfuit*.

II. In bello *multum terroris inferre maximum esse decus* & virtutem, illa verba nostri innuunt: *Itaq; quamvis tunc Philippus regno præsideret, Romani tamen dimicare sibi cum Rege Alexandro videbantur*. Qvò & illud in *cap. seq.* pertinet: *Non aliud formidolosius famâ bellum fuit, quippe cùm Persas, & Orientem, Xerxem, atq; Darium cogitarent, &c.* Sic *Tacitus de Germanis* in lib. de eorum moribus scribit, eos *plerumq; famâ bella profligare*. Causa est, qvòd vulgus hominum opinionibus magis qvàm veritate regitur. *Seneca* epist. 13. *Plerunq; suspitionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere bella solet, fama*.

III. Romani Philippo pacem dantes, & regnum concedentes, Græciæ verò antiqvam restituentes libertatem, docent, *beneficio firmiùs obligari homines quàm vi & metu*, & necessariam in victore virtutem, moderationem esse. *Polybius in Excerptis Legationibus c. 69.* observat, hunc esse perpetuum Romanorum morem, *acceptis detrimentis quàm maximè pervicaces atq; infestos hostibus sese ostendere; victoriâ verò partâ maximè moderatos*. Qvorum ultimum huc pertinet. Sic & *Virgilius* inter Romanorum artes *lib. VI. Æneid.* & hanc commemorat: *Parcere subjectis, & debellare superbos.*

Hujus moderationis Romanæ & in *seq. cap.* habemus exemplum, ubi commemoratur Pop. Romanus victo & supplici Regi *Antiocho & pacem dedisse, & partem regni concessisse*.

AD CAP. VIII.

I. Hîc iterum habemus exemplum fortunæ Romanæ, qvò arma simul & imperium proferrent Romani.

II. *Frustra est habere benè instructum exercitum, si dux ignavus* fuerit, & parùm militaris; nam potuisset par esse Romanæ virtuti Syria, *nisi in manus*, ut Florus loqvitur, *tam ignavi Regis*, hoc est Antiochi, *incidisset*.

III. *Thoas*, qvi Romanorum hactenus secutus fuerat partes, ad Antiochum deficiens, eumqve ad bellum inferendum Romanis instigans, docet, *ab iis cavendum semper* esse, *qui loco præmii, quod propter navatam operam se consecuturos sperabant, injuriâ à nobis affecti esse sibi videntur*; præcipuè si potentes sint ac generosi, hoc est, injurias atq; contemtum vix ferre possint.

IV. In Carthaginiensium populo [*cap. VI.*] observavimus, eos, qvi *impetu & affectu reguntur*, cùm veras Justitiæ & honestatis causas procul habeant, *ad vanos prætextus plerumq; confugere*; ejus observationis & hîc exemplum præbetur. Nam ut Antiochus ostenderet, non sine causa se movére bellum, dicebat, *Lysimachiam* urbem *ad se heredi-*

reditario jure pertinere & hanc asserendam esse armis; qvandoqvidem aliter impetrare non posset.

V. Antiochus, captis insulis aliqvot, ferociens, & debellatum neqvicqvam putans, arguit, stultum ac *temerarium esse, in primis statim successibus universi belli victoriam ponere*; sæpè enim vel *de industriâ quædam conceduntur hosti*, præcipuè *cùm incurrit* primùm; ut interim justas contrahere vires, ejusq; aut rationes explorare, aut capere occasiones, & deinceps faciliùs ac glorioſius vincere ipſum posſimus.

VI. Idem *Antiochus* amoribus delitiisq; in *Eubœâ* studens, & sic vincendum se præbens Romanis, cum Hannibale (de qvo suprà) ostendit, *quàm facilè vinci possint etiam potentissimi, qui voluptatibus antè debellati fuerint.* Nam, ut *Augustus* (sicut *Dio Cassius lib. L.* autor est) verisimè dixit: *Fieri non potest, ut is, qui luxui & mollitiei muliebri indulget, viro aliquid dignum vel consulat vel agat*: Rectè qvoq; *Onosander cap. 9.* Strategici: *Blandimenta voluptatum assiduo usu ferocissima quoq; pectora enervant, atq; absumunt.*

VII. Antiochus victus, cùm tamen longè Romanos militū numero anteiret, ostendit, *non tam in multitudine, quàm in virtute positam victoriam esse*; & satiùs esse firmum habere & expeditum exercitum, qvàm vastum & modum qvodammodo excedentem; cùm *nimia copia plerumq; seipsam elidat, & certo sibi impedimento sit.* Unde prudenter A.N.

A.N. cùm in narranda istâ re versatur: *Sed hæc omnia*, inqvit, *præpedita magnitudine suâ.*

VIII. Romani Antiochum in intimum regnum usq; persequentes, & victo ibi concedentes pacem & dignitatem pristinam, ostendunt, qvemadmodum *hostem debellare* liceat; ita videlicet, si *non tam victus, quàm beneficio à nobis affectus* videatur. Ita enim efficies, ut sine manifesto crimine ab officio discedere non possit.

AD CAP. IX.

I. *Injurias illatas strenuè ulcisci* solitos Romanos, & *sumere* de illis *pœnas*, qvi *hostibus auxilio* fuissent, suprà observavimus; ejus autem rei cùm *hoc* ipsum, tum *duo seqq. capp.* exempla præbent.

II. Illud autem cumprimis hîc notandum est, qvòd, cùm *Ambraciam*, caput *Ætolorum*, omni vi oppugnasset *Fulvius*, statim secuta deditio & facta pax est; ita enim rerum humanarum natura est, ut *capite sublato cetera brevi tempore corruant*; sicut Archelaus apud *Procopium lib. I. de Bello Vandal.* pulchrè monet. Qvocirca hoc consilio sæpiùs usi belli duces, ut ipsa statim capita gentium omni conatu sibi oppugnanda æstimarent; qvò proculsæ metu minores civitates eò faciliùs in potestatem redigi possent. *Polyb. lib. III: Interhæc Æmilius in Illyricum appulit integris copiis, ubi cùm animadvertisset, hostes forti ac constanti animo esse, quòd situ & munitionibus Dimali freti, irritum fore Romanorum adventum opinabantur; eam primum*

mùm urbem censuit oppugnandam, ratus, id quod evenit, si ea caperetur, facilè alias perculsas timore in potestatem Romanorum venturas. *Liv. lib. XXI.* de Hannibale: *Cartegam*, inqvit, *urbem caput gentis expugnat diripitq3, quo metu perculsæ civitates minores, stipendio impósito, imperium acceperunt.* Sic A.N. infra *c.* 13. statim debellatum fuisse scribit in Illyrico, postqvàm Scorda caput gentis expugnata fuit: *Scordam*, inqvit, *caput gentis delêsse, suffecit.*

AD CAP. X.

Histri, captis castris Romanorum, cùm prædâ frui, & vino ludisq; indulgere, qvàm hostem persequi mallent; ut mox opprimerentur & vincerentur, qvi antè victores fuerant; ostendunt, qvàm *noxia sit in bello securitas & cupido prædæ; gulæ item & ebrietatis studium.* Verè igitur *Seneca* epist. 83: *Ebrietas acerrimas gentes bellicosasq3 hostibus tradidit: Hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit: Hæc contumaciſſimos & jugum recusantes in alienum egit arbitrium, &c.*

AD CAP. XI.

I. Mutato loco mutari mores, *Gallograci* arguunt. Nam postqvàm in *Asiâ* polverant sedes, feritatem patriam mox exuerunt; ut qvi jam mitius cœlum nacti essent: Nam *qualis cœli natura est, talis & esse hominum solet, qui sub eo nati. Quemadmodum* autem *Septentrionalis* mundi plaga, qvia cœlo aspero utitur, *feroces* ac *bellicosos* homines gignit:

gignit: ita *Asia* & totus *Oriens* cœli *mollitiem* incolis qvoq; suis affundit. *Lucanus lib. VIII:*

Omnis in Arctois populus qvicunq3 pruinis
Nascitur, indomitus bellis, & Martis amator.
Qvicqvid ad Eoos tractus, mundiq3 teporem
Labitur, emollit gentes clementia cœli.

E molliti etiam Galli Asiaticorum ingeniis. Nam ut *Seneca* verisimè monuit, *sumuntur à conversantibus mores.* Ipse *Manlius Consul* oratione ad milites apud *Liv. lib. XXXIIX.* de iisdem Gallogræcis: *Duratos eos tot malis exasperatosq3 accepit terra, quæ copiârerum omnium saginaret. uberrimo agro, mitissimo cœlo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa, cum qua venerant, mansvefacta est feritas.* Et subjicit mox perqvàm prudenter: *Vobis mehercule Martis viris cavenda & fugienda imprimis amœnitas Asiæ est: tantum hæ peregrinæ voluptates ad extinguendum vigorem animorum possunt, tantum contagio disciplinæ morisque accolarum valet.*

II. Orgiagontis Reguli uxor, qvam *Plut. lib. de Virtutib. Mul.* Chiomaram appellat, insigne *magnanimitatis in feminâ, & prudentiæ fideiq3 marito probandæ exemplum* præbet; historiam narrat *Plut. d. lib. Liv. lib. XXXIIX. Valer. & Max. lib. VI. cap.* 1.

AD LIB. XII.

I. Inter alia, qvæ ab eo, qvi bellum gerere debet, reqviruntur, istud non postremum est, ut *locorum*

rum peritiam habeat & benè noſcat omnes *aditus atq; acceſſus regionis*, qvam vel defendere vel invadere debet. Qvocirca *Perſes* in eo ſuo munere probè fructus eſt, cùm ab Hæmo altiſsimo monte univerſæ regionis ſitum ſpeculatus eſt, ut & A.N. notat.

II. *Paullus Æmilius* aliâ minatus, aliâ irrumpens, oſtendit, *calliditatem ac ſimulationem ſapiùs pro virtute eſſe in bellis*, & neceſſaria belli duci.

III. Qvemadmodũ Romani per invia & inacceſſa in Macedoniã irrumpentes oſtendunt, *nihil virtuti atq; induſtriæ invium* eſſe: Ita Perſes ſecurus, & nihil ejusmodi metuens, qvòd omnia ſatis munita & inſtructa putaret, qvà hoſti eſſet aditus, contrà oſtendit, *ingenio loci non nimiùm fidendum*; nec *ſufficere, in rem ſuam tantùm intentum eſſe, & ordinare ea qua nos tutos & firmos præſtare poſſint*; *ſed & oportere conſiliis hoſtium intendere*, & in omnes partes eſſe ſolicitum, ut eorum molitionibus occurri poſsit: & ſatius eſſe, diffidere cautè, ac *ipſa etiam tuta timere aliquando, quàm nimium credere, ſibiq; tribuere.*

IV. Perſes ſe ſubducens prælio laboribusqve bellicis, & ad aras & templa confugiens, Deorum auxilia neqvicqvam implorans, nos, ut qvidem *Plutarchus* non malè interpretatur, docet, *Deos non adeſſe ignavis, nec admittere vota nefaria.* Laborib. enim Dii bona cuncta vendunt, ut *Euripides* rectè monuit. Sed præſtat ipſius *Plutarchi* verba adjicere: At *Rex Macedonum*, inqvit, *valdè egregiè*

commiſſo prælio in oppidum Pydnam ſe magnâ ignaviâ ſubduxit, per cauſam ſacrificii Herculi faciendi, à trepidis non recipienti ſacra, nec vota admittenti nefanda. Neq; enim fas eſt, ut qui non jaculatur, deſtinatum feriat; neq; qui locum non tenuit, ferat palmam; neq; ut habeat ſocors ſucceſſum: Sed Paulli precibus volens propitiusq; annuit Deus, qui petebat victoriam belli & palmam, haſtam tenens, pugnansq; opem implorabat Dei. Hæc ille. Huc pertinet illud *Catonis apud Salluſt.* in Catilin: *Non votis neq; ſupplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur. Vigilando, agendo, benè conſulendo, proſperè omnia cedunt. ubi ſocordiæ tete atq; ignaviæ tradideris; nequicquam Deos implores; irati infeſtiq; ſunt.*

V. *Generoſis* & magnâ in fortunâ natis plerumqve *adhæret* qvædam *ferocia*, ut *ſtudioſi* ſint maximè *ſui nominis* ac dignitatis, etiam cùm planè facti miſeri, & jam à culmine priſtino dejecti ſunt. Id in Perſe Macedoniæ Rege nobis oſtenditur; qvi, qvamvis *exul, regnumq; univerſum amiſerat*, tamen vel *nomen ſaltem regium tueri ſtudebat.* Qvapropter literis illis, qvibus à *Paullo Conſule* veniam petebat, hanc ſalutationem, qvamvis illi fortunæ minùs jam convenientem, præſcripſerat: *Rex Perſes Conſuli ſalutem!* Sed id qvàm inconſultum ſit, & ad impetrandam veniam parùm conducat, idem ille oſtendit: Nam qvamvis Paullus initiò, cum accepiſſet tanti Regis ſupplices literas, illacrymâſſet ejus ſorti, eiq; bene vellet; tamen cùm

adverteret, qvàm ignoraret fortunam suam, usurpatione regii nominis, qvod victo oblivisci dum erat, sine responso & literis legatos dimisit. Sic tandem coactus est Perses, se suaq; omnia in fidem & clementiam Pop. Romani permittere. Lege *Liv. lib. XLV. cap. 4. & seqq.* Qvocirca prudenter *Andromacha* Regina apud *Senec. in Troad.* Astyanacta filium suum adhortatur, ut *Ulyssi* victori supplex fiat, his verbis:

----- Submitte manus
Dominiq; pedes supplice dextrâ
Stratus adora: nec turpe puta,
Quicquid miseros fortuna jubet.
Pone ex animo reges atavos,
Magniq; senis jura per omnes
Inclyta terras: excidat Hector,
Gere captivum, &c.

VI. In *Paullo Æmilio* egregium moderationis exemplum observandum est, ut qvi humanarum vicium memor, nihil superbè fecerit in tantâ victoriâ. Namq; cùm primùm literas Persei Regis, petentis veniam suppliciter, allatas cerneret, illacrymavit sorti humanæ, qvæ tantum regem ad necessitatem humilium precum abjecisset. Deinde cum Perses pullatus ad eum duceretur, surrexit, porrexitq; manum, atq; prohibuit *Regem*, qvod moliebatur, ad pedes sese abjicere, & more supplicum attingere genua; dixitq; ad circumstantes: *Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. Vobis hoc præcipuè dico, juvenes; idcò in secundis rebus nihil in quenquã superbè ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ; cùm, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet.* Hæc Æmilius ad circumstantes, ut *Livius narrat lib. XLV. & Plut. in ejus vitâ.*

[In *Cap. XIII.* nihil occurrit.]

AD CAP. XIV.

I. Qvanta *regii sanguinis reverentia* sit iis gentibus, qvæ regum imperio assvetæ, qvàmq; ab exteris nunqvam satis victæ ac debellatæ habendæ sint, qvamdiu stirps regia nondum planè defecisse videbitur, Macedones hîc ostendunt; qvi bis victi & subjugati à Romanis, sub *Andrisco* resumsêre ânimos, & rebellare non dubitarunt: Erat is planè ignotus hactenus, nec qvisqvam eum aut in Persei aulâ viderat, aut aliunde qvicqvam de eo acceperat; & tamen, *cùm* jam *se Regis ex pellice filium jactaret, adjutus vultu & facie*, qva Persei patrem Philippum referebat, *Macedoniam brevi suam fecit*, promtamq; habuit movere arma contra Romanos.

II. Cùm sub *Andrisco* se moveret *Macedonia*, contempsit Pop. Romanus; ita enim putabat, *hominis obscuri conatus* successus habere vix posse; & esse hanc *naturam vulgi*, ut facilè qvidem noveres, ceterùm brevi pœnitentiâ ductus ad officium

um redeat: qvocirca tam citò dilapsuras esse Andrisci copias, qvàm confluxissent. In qvo falsi fuerunt *Romani*; namq; cùm illi segniùs tractarent negotium, Andriscus, tempus ad comparandum exercitum nactus, se robustiorem effecit; ita accidit, ut Juventius Prætor unà cum legionibus Romanis fusus cæsusq; fuerit. Qvò magis præceptum illud omnium in animis esse debet. *Nihil in bello oportere contemni, nimiamq; fiduciam magna calamitati esse solere*; ut alicubi *Corn. Nepos*, cùm similia exempla recenset, loqvitur.

AD CAP. XV.

I. *Plerumq; homines in adversâ fortunâ cautiùs se, quàm in prosperâ gerunt*, cùm, ut *Tacitus* alibi loqvitur, *miseria tolerentur, felicitate corrumpamur*:

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis,
Nec facile est aquâ commoda mente pati.

ait Poëta. Nam cùm ad vota fluunt omnia, cùm nullus metus est, qvi nos exerceat, insolescunt ferè animi, nec patiuntur se redigi ad frugem, & dissoluto otio ac securitate, in luxuriam, libidinem, ambitionem & qvævis deterrima vitia aguntur præcipites: Qvò fit, ut *longè periculosiùs in ips â mediâ pace concutiatur publica res, quàm si bella foris urgeant, ac hostis incumbat*. Hoc cùm recogitaret *Scipio Nasica*, omninò *noluit deleri* funditus *Carthaginem*; qvod *Cato* modis omnibus *svadebat* urgebatqve: tum ut contemni videretur illa urbs, tum ut hoc freno contineretur populus; ne omni metu

metu sublato lascivire & luxuriare inciperet, adeoq; ferociens ex secundis reb⁹ Senatui minùs dicto audiens esset; aut optimatum ambitio, ob nimiam potentiam ad res novandas adjiceret animum, & cùm externus hostis non esset, intestinis atqve civilibus bellis collideret Rempubl. atqve everteret; qvod augurium ejus, potissimùm bellis *Syllanis* & *Pompejanis* verum fuisse comprobatum est, vide A.N. infra *lib. IV. c. 2.*

II. Cùm *Cato* & *Scipio Nasica* super negocio Carthaginiensi dissentirent, prorsus ut alter delendam urbem, alter servandam statueret; Senat⁹, ut A.N. scribit, medium elegit, ut urbs tantùm loco moveretur. Idem paullò post ait, *imperatum* novissimè Carthaginiensibus, ut *si salvi esse vellent, finibus migrarent*! Hæc qvorsum intelligenda sint, ista *Liviana Epitome lib. XLIX.* verba ostendunt: *Qui Consules* (sc. Man. Manilius & Censorinus) *ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperaverant, trecentis obsidibus, & armis omnibus, instrumentisq; belli, si qua Carthagine erant, tum ex autoritate Patrum jusserunt, ut in alium locum, procul à mari decem millia passuum, nec minùs remotum, migrarent oppidumq; facerent*. In qvo singularis Rom. Senatus observanda prudentia est, qvippe qvi sapienter videbat, eo *vix adigi posse* Carthaginiensium civitatem, *ut fida satis esset*, & in officio suo se contineret, qvamdiu maneret in sed⁹ veteri, et āsi vel maximè classem cum omni instrumento belli tra-

didisset. Namq; cùm *mercimoniis* præ aliis gentibus maximè *floreant* Carthaginienses, qvòd & *mare in propinquo* sit, atq; sub ipso aditu urbis; & *portu* omnium *commodissimo* utantur; affluentibus ex lucrosissimi qvæstus genere opibus, atq; divitiis, recuperaturos facilè qvæ amiserint; & sic ad ingenium atq; ferociam pristinam redituros esse. Qvod minus timendum, si in mediterraneum aliqvem, & paullò remotiorem à mari locum deducerentur. Neq; enim suapte naturâ homo indomitum animal est, sed efferatur vitiis, qvibus præter naturam se dederit: consvetudine verò, locorumq; & vitæ commutationibus cicuratur; sicut & belluas, mitioris victus usu, & si cum hominibus versentur feritatem sævitiamq; videmus deponere. Qvo ipso consilio & *Pompejus* usus est, cùm *piratas Cilices* vicisset, ut *Plut. in ejus vitâ* tradit; qvorum reliqvias in urbibus, remotisq; à mari locis constituit: *Datâ enim facultate sine raptu vivendi, à rapinis arcuit*, inqvit *Vellejus Pater. lib. II. Histor.* cùm hanc ipsam rem exponit.

III. Notandus est singularis *amor & studium* Carthaginiensium *in patriam*, qvi omnia *experiri* priùs, & *extrema* potiùs perpeti, qvàm eam deserere & optimæ parenti malam gratiam referre maluerunt. Ubi & observandus ardor in defendendâ ac propulsandâ necessitate ultimâ incredibilis, *cùm tecta domusq; dirverent*, ut esset materia, unde nova classis exstrueretur; *statuas & signa conflarent*, qvando aliunde æs non suppetebat; *matronare sectas crines porrigerent*, ut inde tormentorum funes confici possent.

IV. Qvòd A.N. scribit, *plùs cum semirutâ Carthagine* fuisse *negotii, quàm integrâ*; ex eo intelligi potest, qvàm verè *Onosander* monuerit, *cum desperatis periculosum & arduum certamen esse. Ex desperatione* enim, uti *Vegetius lib. III. de Re milit. cap. 21.* inqvit, *crescit audacia*; *& cùm spei nihil est, sumit arma formido.* Et *Curtius lib. IV.* egregiè, ut opinor, inqvit: *Necessitas quoq; ignaviam acuit, & sæpè desperatio est spei causa.*

V. *Asdrubalis uxor* in medios ignes sese conjiciens, ne in potestatem hostium veniret, *magni atq; invicti in feminâ animi*, & qvi libertati ipsam vitam postponat, *exemplum* præbet.

AD CAP. XVI.

I. *Zonaras lib. II. Annalium* autor est, Paullum Æmilium victâ Macedoniâ plures Græcorum Principum secum abduxisse Romam, loco obsidum, ut ego interpretor; in his fuisse *Critolaum* existimo, qvi posteà *venià à Romanis acceptâ* ad suos redierit, iisq; *autor* fuerit *duriùs superbiùsq; consulendi in Romanorum legatos, & arma corripiendi.* Ita accipio verba Flori, cùm ait: *Critolaus causa belli, qui libertate à Romanis datâ adversus ipsos usus est.* præbet is igitur *exemplum ingrati hominis.*

II. *Corinthus* deleta Senatus jussu à L. Mummio Achaico, *exemplum est severitatis* Romani Pop. *in vindicando jure gentium*, & imperii sui ma-

jestate; ejus enim intererat maximè, legatos Senatus populiqve Romani non violari, sed sanctos & venerabiles apud omnes esse. *Liviana* qvoqve *Epitome lib. LI.* ideò tam *triste SCtum in Corinthios* factum esse narrat, qvòd *ibi legati violati.* Sed *Cic. lib. I. Offic.* & aliam causam subinnuit, cujus verba digna sunt qvæ ipsa adducantur; ex iis enim constare potest, *quando assumenda aliqua severitas* sit, & qvibus rationibus adducti fuerint Romani, qvi aliàs erga victos clementes maximè fuerunt, cur Carthaginem Numantiamqve delendam penitùs & exscindendam existimarent. Sunt autem ista: *Quare suscipienda quidẽ bella sunt ob eam causam, ut sine injuriâ in pace vivatur; partâ autem victoriâ conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt; ut majores nostri Tusculanos, Æquos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt: at Carthaginem & Numantiam funditus sustulerunt. Nollem Corinthum: sed credo illos secutos opportunitatem loci maximè, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.*

AD CAP. XVII.

I. Romani *Hispaniam facilè occupárunt* initiò, deinde eandem nunc integram, nunc in partib. & *amisérunt & recuperárunt*; sed istud ægrè non sine magno labore. Ex qvo colligitur, *plus esse*, sicut A.N. ait, *provinciam retinere, quàm facere.*

II. Metellus cùm *Contrebiam* urbem Hispaniæ

niæ oppugnaret, qvinqve legionariæ cohortes præcipiti loco pulsæ ab obsessis sunt; has illicò subire & locum recipere jussit Metellus; qvæ factis testamentis in procinctu, tanqvam *ad certam mortem ituræ*, fecére iterum impetum, victoresqve evaserunt: memorabili exemplo, qvantum possit *timori mistus pudor, spesq; desperatione quæsita*, ut ferè *Paterculus* in hac ipsâ re loqvitur *lib. II.* Est & hìc severi imperii in duce bellico exemplum, & *quantùm conducat* interdum *severitas* isthæc *militaris.*

III. Notandum, qvod A.N. observat, Metellum *majorem gloriam consecutum, quòd victis Hispanis pepercit; quàm Gracchum, qui eorum urbes evertit.* Nam qvamvis severitas sæpè utilis sit, tamen clementia semper ad gloriam & nomen comparandum majus momentum habet:

----- *Nam cùm vincamur in omni*
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

scribit *Claudianus Paneg. de* IV. Consul. *Honor*: *Themistius Euphrades* oratione de fraterno amore: *Tria cùm sint, quibus Deus excellit, vitæ æternitate, exuberantiâ potestatis, perpetuâ adversus mortales beneficentiâ; solùm hac unâ ultimò jam dictâ Imperatoris similitudo ad Deum accedit.*

IV. Vinci plerumq; in singularibus certaminibus, qui provocant, Vaccæorum qvoqve regulus à Scipione interfectus exemplo est.

V. Benè notandum, qvòd A. N. scribit, ceteros Hispanos ægrè qvidem victos, sed victo-

men minore labore, & citiùs qvàm Lusitanos & Numantinos, fuisse; propterea qvòd hi soli ducẽ nacti essent. Ex qvo intelligi potest, *in duce plus quàm in exercitu præsidii esse.* Hinc mox ait: *Majus negotium futurum fuisse Romanis cum Celtiberorum gente, nisi dux eorum statim initio oppressus fuisset.* Nam uti gubernaculo amisso iners fere remorum usus est, ita de exercitu qvoq; statuendum est, qvi ducem amisit. Qvi *ut alacritatem vivus suis, ita occisus pavorem addit.* Hinc strategici Scriptores monent, *ne Imperator audaciùs decertet; quippe qui tantùm prodesse suis pugnando non possit, quantùm obesse occumbendo.* Qvod si observâsset hic ipse *Salondicus*, de qvo A.N. narrat, non dedisset pœnas suæ temeritatis, & simul prodidisset patriæ libertatem.

VI. *Viriatus* ex pastore venator, ut Livius aliiqve tradunt; ex venatore latro, ex latrone summus exercitus acerrimusq; dux, *exemplum* præbet *fortunæ ex humili atq; obscuro loco in summum propè evectæ.* Sed multos *duces* belli *præclaros ex pastoribus & latronibus factos* esse, passim ostendunt Historici; & *Romulus* ipse, autor Roman. Imperii, qvid aliud initiò qvàm *pastor fuit*, certè inter pastores educatus? *Maximinus* qvoq; Imp. Roman⁹, qvi Alexandro Severo successit, primò *pastor*, deinde *miles* fuit; hinc ad summam & Diis qvodammodo proximam dignitatem adspiravit, ut testatur *Herodianus lib. VI. & VII. & Julius Capitolin. in Maximinis.*

VII. Viriati cædes (inqvit *Valer. Max.* lib. IX. c. 6.) *duplicem perfidiæ accusationem recepit; in amicitiâ, qvòd eorum manibus interemptus est; In Q. Servilio Cæpione consule, qvia is sceleris hujus autor, impunitate promissâ, fuit; victoriamq; non meruit, sed emit.* Nam qvamvis licitum sit, uti dolo contra hostem; tamen is ita comparatus esse debet, ut perfidiâ careat. Videatur & *Hugo Grotius lib. III. de I.B. & P. cap. 4. §. 8.*

AD CAPUT XVIII.

I. Notanda Romanorũ *summa severitas*, & qvæ *cum injustitiâ* qvadam *conjuncta* videri possit, adversus eos, à qvibus aliqvâ injuriâ lacessiti fuissent. Receperant *Numantini Segulenses*, socios & consangvineos suos; hoc ita graviter tulêre Romani, ut qvamvis veniam peterent Numantini, & pro sociis intercederent; qvamvis à societate belli se removerent, & omnibus modis pacem orarent; nihilominus tamen bellum intulerint; ut nemini crederentur ignoscere, qvi aliqvâ injuriâ ipsos afficisset; *qvò in officio suo quisq; metu mox secuturæ pœnæ se contineret.*

II. Notandus eorundem *ardor* singularis *in ulciscendâ ignominiâ*; nam qvia dedecus suum interpretabantur fœdus, qvod *Mancinus* cum *Numantinis* fecerat, reddendum autorem fœderis, ut solverentur religione (sicut fecerant, cùm illud *Caudinum fœdus* irritum reddere voluissent, de qvo A.N. suprà *lib. I. c. 16.*) & bellum modis omnibus urgendum existimârunt. III. Nu-

III. Numantini cum parva manu tantas Romanorum copias tanto sustinentes tempore, & sæpè magnis cladibus afficientes, ostendunt, *satiùs esse valere virtute exercitum, quàm numero*; cum primis, si disciplina negligatur: Nam *ideò victos Romanos* hactenus, *quòd nullam habuissent disciplinæ veteris rationem*, ex illo potest colligi, qvòd simul ac *instaurata disciplina à Scipione* fuit, *victores evasére* Romani. Unde constare potest, qvàm necessarium sit ad obtinendam victoriam, disciplinam tueri. *Eâ robustiùs armatur exercitus*, ait *Cassiod. lib. XII. Variarum Ep. 5.* Et ideò priscis illis Romanis *antiquior disciplina castrorum fuit quàm liberorũ salus*; ut JCtus testatur in *l. postliminium. §. filius. ff. de Captiv.* In Scipione verò *duo notanda* præcipuè: Primò, qvòd *exercendo assiduè* qvàm puniendo *militem emendârit*. Secundò, qvòd ipse *exemplo* suo *magis quàm legibus* emendârit. Nam cùm haberi culcitras vetuisset, ipse culcitrâ fœneâ usus est, ut *Appianus de bello Hispan.* testatur, qvi de hac re præcipuè legendus; namq; ut ille ait, *habet asperitatem quandam imperata correctio: blandissimè jubetur exemplo.* Qvocirca *Theodosius* major *Honorium* filium apud *Claudianum* prudenter monet:

In commune jubes si quid, censesq; tenendum,
Primus jussa subi; tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cùm viderit ipsum
Auctorem parére sibi: componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.

Itaq; rectè ab A. N. dictum, *tanti esse exercitum, quanti Imperatorem.*

IV. Scipio non permittens pugnare Numantinos, qvi conjuraverant vel mortem oppetere vel vincere, docet, *non temerè pugnandum cum desperatis* esse; de qvo & suprà *cap. 15.* monuimus.

V. Tandem Numantini singulare *exemplum* præbent *invictæ constantiæ & fortitudinis*; qva *ultima quaq; experiri quàm libertatem perdere* maluerunt. Observanda autem *summa* eorundem *fames*, qvam tantam perpessi sunt, *ut coria aquâ emollita & macerata comederent*; & his deficientibus *ad humanas carnes conversi*, primò *mortuorum cadaveribus* vescerentur, deinde *ægrotos jugularent*; novissimè *eos, quos viribus quisq; superaret*; ut *Appianus* scribit.

AD CAP. XX.

Ad *Cap. XIV.* observavimus, magnam *reverentiam* esse *regii sanguinis apud gentes assvetas regno*; easq; nunqvam satis subjugari posse, qvamdiu aliqvis de regiâ stirpe supereſſe videtur. Eò pertinet etiam, qvod A. N. hoc capite de *Aristonico* tradit; eum videlicet facilè *urbes Asiaticas* pertraxisse in suas partes, & contra Romanos concitasse (qvi retinuerant jure testamenti, qvod Attalus fecerat; easq; occupârant hactenus) sive regii sanguinis fuerit; ut A. N. scribit, hoc est. Eumenis Attali patris,

tris, Pergamenorum *Regis*, ex pellice filius, ut *Justin. lib. XXXVI.* & *Eutropius lib. IV.* tradunt; sive mentitus fuerit regiæ stirpis originem, sicut *Vell. Paterculus* de eo narrat.

AD LIBRI III.
CAPUT I.

I. Micipsa, Numidiæ *Rex*, Masanissæ filius, Hiempsalem & Adherbalem ex se genuit; cum his duobus filiis eodem cultu domi habuit Jugurtham, Manastabalis fratris ex concubinâ filium; qvi cùm egregia & singulari indole esset, & anteiret omnes virtute pariter, & ab omnibus amaretur; Micipsa initio illis rebus lætus fuit, existimans Jugurthæ virtutem regno suo gloriæ fore: Postea verò exactâ ætate mortiq; vicinus, filiorum adolescentiam, qvæ valdè opportuna injuriæ, cùm reputaret; virtutem Jugurthæ eò magis timere cœpit, qvò illa magis magisqve indies creseceret, atqve ab omnibus in amore atqve dignitate haberetur. Noverat enim naturam mortalium semper imperii avidam esse; & summam qvamqve indolem altissima cupere. Primò igitur de eo tollendo cogitat; dein cùm nec insidiæ, nec ceteræ artes procederent, beneficio vincendum hominem, sibiqve ac liberis obstringendum existimavit. Idcircò adoptat Jugurtham, & testamento pariter cum liberis heredem instituit; mortiqve proximus filios ei commendat. *Jugurtha* igitur post mortem Micipsæ, *Hiempsale* per insi-

sidias, *Adherbale* vi ac armis oppresso, universum Numidiæ regnum invadens, primò exemplum *hominis ingrati* præbet: Secundò docet, illos, qvi *ambitione & imperandi libidine correpti* sunt, *crudeles plerumq; fieri; & nullam habere pietatis atq; cognationis rationem*, ex qvo fœditas hujus criminis colligenda est.

II. Qvamvis Jugurtha scelere partum regnum malis artibus, largitionibus præcipuè, qvibus Romanum Senatum (in cujus clientelâ Numidia fuit) corrumpens, in suas partes pertrahebat, firmare ac stabilire tentaret; tamen efficere non potuit, qvin tandem eo excideret, captusq; Romam deduceretur, & interficeretur. Ex qvo documentum *capere* licet, primò, *periculosè à paucis emi, quod multorum sit*: Dein, *non posse perpetuò tutam à se improbitatem esse*; eamq; habere ab initio qvidem *successus* aliqvos, sed hos *acerbiore & tristiore exitu pensari*. Rectè enim *Plato lib. II. de Republ.* dixit: *Difficile est semper latere ac fallere, qui malus sit.* Benè qvoq; *Saxo Grammaticus* prudens & disertus scriptor, *lib. I. Histor. Danicæ*, his usus verbis: *Extremò plerumq; fortunæ sævitia ulciscitur, quod dolo & fallaciâ patratur.*

III. Romani corrupti pecuniâ, *Jugurthæ* causam iniqvissimam *juvantes*, *Adherbalis* contrà justissimam *prementes*, ostendunt, qvàm *ab honesto & justo pecuniâ* abstrahi possint homines, & *bonum publicum in plerisq; negotiis privatâ gratiâ devinci.*

IV. Cum satis constaret *Jugurtha*, *Metellum*,

cui jam Numidicum bellum demandatũ erat, esse invicti animi contra pecuniã; nec processuras artes veteres, qvibus *Calpurnium* ceterosq; hactenus vicerat; ad simulationes animum adjecit: qvocirca, ut ejus conatus moraretur atqve infringeret, subinde legatos supplices misit, qvi pacem orarent, & de deditione spem facerent. Metellus contrà probè perspiciens, Regem nihil horum seriò velle, tergiversatus similiter, pacem & qvæ postulabantur, nec abnuebat, nec pollicebatur; bellum interim omnibus modis apparans, & occasiones observans, ut *Sallustius* narrat. Hoc est, qvod *A.* N. scribit, *Metellum Jugurtham suis artibus aggressum esse.* Ex qvo intelligitur, *contra calliditatem calliditate cumprimis pugnandum esse, neq; sufficere solam armorum vim, quæ sæpè astutiâ inferior fuit.* Sic *Hannibal* victor semper fuit, qvamdiu solâ virtute contra eum pugnârunt *Romani*, at verò cùm *Fab. Maximus* non tam armorum robore qvàm solertiâ consiliorum dimicaret, Italiâ facilè pulsus est. Unde *A.* N. suprà *c. 6.* de hoc ipso negotio scribit: *Adversus hostem tam callidum non virtute tantùm, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat.* Prudenter *Cato* in Distichis.

Qui simulat, verbis, non corde est verus amicus:
Tu quoq; fac simile, sic ars deluditur arte.

V. *Jugurtha* postqvam munitos qvosq; locos & omnem propè pecuniam amisisset, diffidens rebus suis, ad *Bocchum*, Mauritaniæ Regem, cujus filiam duxerat, nuncios mittit; ut qvàm primùm auxi-

lia in Numidiam adducat: Qvi cùm cunctatur dubius, proximos ejus corrumpit donis; ipsi autem *Regi* tertiam partem Numidiæ pollicetur, si aut expulsi *Africâ Romani*, aut integris finibus suis bellum compositum foret; ille pellectus eo præmio, cum magnis copiis adest, sicqve cum Jugurtha conjungit; sed victus mox pœnitentiâ ducitur, de impetrandâ veniâ, & ineunda cum *Romanis* pace cogitat, Jugurtham clam deserens, legatos ad Marium mittit, tandemqve à Syllâ Romanorum amicitiam & fœdus, & eam partem Numidiæ, qvam nunc peteret, ultrò adventuram pollicito, persvadetur, ut *Jugurtham* per insidias captum, *Syllæ* in vinculis *traderet.* Hîc admonemur, primò, non modò *non credendum iis, qui utilitate magis quàm honestate inducti, nostram amicitiam sequuntur*; sed & illos *ipsos cavendos* aliqvando esse; qvippe *qui nos non tantùm deserant*, si iis qvæ spe præsumserant, vix potituros sese intelligant; sed *& inimici fiant & hostes*, si ex eâ re plus sese consequi posse utilitatis animadverterint. Secundò, *iisdem artibus plerumq; perire improbos, quibus aliis exitium attulerunt*: Fraude præcipuè Jugurtha usus fuerat: fraude etiam captus est:

Quod quisq; fecit, patitur. autorem scelus
Repetit; suoq; premitur exemplo nocens.

ut scribit *Seneca in Hercul. Fur.*

AD CAP. II.

I. Inter ceteras artes, qvibus Romani imperium suum propagârunt pariter, & magnificum pulchrumqve reddiderunt, hanc qvoqve suprà observavimus, ut *iis, qui in periculo essent, & opem ipsorum atq; auxilia implorarent, adessent promtè*, eosqve contra hostes tutarentur, ac defenderent, præcipuè si socii & fœderati essent. Hujus rei & in hoc ipso capite *duo* exempla, in *Massilienſibus* alterum, qvibus contra *Salyos*, sive ut Liviana Epitome vocat, *Salvios*; alterum in *Æduis*, qvibus contra *Allobroges* & *Arvernos*, Galliæ populos, adfuerunt Romani, habemus.

II. Græcis in more positum fuit, ut post victam pugnam, in iis locis, ubi dimicâssent, *ex spoliis hostium devictorum Tropæum* aliqvod declarandæ victoriæ causâ erigerent. Hæc *Tropæa* antiqviores, ut *Diod. Siculus lib. XIII.* autor est, *ex lignis* constituxerunt, qvò citiùs dissolvi & aboleri possent; *ne odia immortalia essent*: Posteà tamen & *lapidea* & *anea* facta sunt, qvod pluribus improbatum fuisse *Plutarchus in Quæst. Roman.* significat. Qvò etiam pertinent, qvæ *Cic. l. II. de Invent.* cùm de rei judicialis constitutione sive statu disserit, de *Lacedæmoniis* & *Thebanis* prodit; Ita enim existimabant, tamdiu duratura odia & inimicitias, qvamdiu tropæa ista ac signa contentionum veterum extarent; qvippe qvæ posteris semper exprobrarent victoriam & dolorem accenderent.

rent. *Romani* igitur, qvi in victoriâ cumprimis clementiæ & moderationis affectabant laudem, & eos, qvos domuissent, amicos reddere, & beneficio sibi obstringere studebant, ab his tropæis sibi planè abstinendum existimârunt, ut *A.* N. observat. Nisi qvòd eum morem Domitius & Fabius victis Salyis, *Allobrogibus*, & *Arvernis* mutârunt, qvos *in victoriæ memoriam turres saxeas* extruxisse, & desuper exornata armis hostilibus tropæa fixisset *A.* N. scribit. *Strabo* Domitio tantùm tribuit, qvem trophæum *ex albo lapide*, & *duo templa*, unum *Martis*, alterum *Herculis* extruxisse *lib. IV.* scribit.

AD CAPUT III.

I. Cùm *Cimbri Teutonesque* primò precibus, deinde armis sedem in Italiâ peterent, Romani maturè illis in ipsis statim Galliis, qvanqvam infeliciter, occurrerunt. Victi enim fusiqve, atqve exuti castris sunt imprudentiâ ducum, qvi temerè cum hostibus conflixerant, ut ex *Livianâ Epitom.* & *Plut. in Mario* discimus. Cùm itaqve in magno metu esset Pop. Romanus, & jam de alio duce qværeretur; unus præcipuè idoneus visus *Marius*, cui tanti belli summa demandaretur. Nam qvamvis non nihil adversabatur nobilitas, qvæ novitatem ejus despiciebat; vicit tamen sententia melior. Ubi observandum, *in duce eligendo præcipuè virtutem debere spectari*; nam qvamvis illustre genus ad autoritatem & reverentiam Imperatori apud milites comparandam plurimùm faciat, ta-

 men

men illius tantùm gratiâ, & favore aliqvem dignum imperio militari existimare minimè convenit. Ceterùm sicut animalia generosa dicimus, qvorum opera strenua est: sic *generosi* qvoq; homines *ex suâ propriâq; non alienâ & ascititiâ virtute judicari debent.*

II. Marius profectus in Gallias, ut prohiberet *Cimbros* Alpes transgredi, Italiamq; invadere, noluit confligere cum hostibus prælio, qvamvis lacesserent, & ipsi qvoq; milites flagitarent; satiùs esse existimans, si castra tueretur fortiter, qvæ sæpe tentabant Barbari, servaretq; vires integras, & occasiones captaret, ut in tempore opprimere hostem, aut laboranti Italiæ succurrere posset. Probè enim recordabatur, *in prœliis plus ferè potestatis fortunam, quàm virtutem habere*; qvòd si igitur contingeret, ut vinceretur, actum fore de Italiâ & Româ; qvippe qvæ nec instructa satis contra tantum hostem, & præterea duce idoneo, in qvo uno plus, qvàm in exercitu positum est, destitueretur, prudenter ratiocinabatur. Qvocirca *intra castra continuis militem, cum adsvevit interim, ut ferret truces hostium vultus, & illum immanem clamorem ac absonum* (Germanos enim veteres inituros prœlia ululatus ingentes ac clamores dissonos tollere, & qvoddam trucis ac asperi cantus genus, qvem *barritum*, ut *Tacitus* autor est, vocabant, horrendâ voce consveviſſe canere, plures autores testantur,) simul etiam, qvæ arma ipsis, qvæq; pugnandi esset ratio, condisceret, *ne harum rerum novitas deinceps*

terrorem incutere, & impedire victoriam posset. Nam qvicqvid novum & *inusitatum* accidit, *percellere animum, ac turbare*; *sed si adsveveris, vilescere solet.* Porrò & hoc cogitabat Marius, primos qvosqve impetus vehementissimos, eam autem Germanorum naturam esse, ut moræ impatientes, ad prœlia magis qvàm bella ire viderentur: Itaq; aut destituros à proposito hostes, aut fore feliciorem victoriam, si tum aggrederetur, cùm resedisset paullùm immanis rabies, & tempore pariter ac ipso cœlo emollita nonnihil & mitigata esset; qvod evenit, ut postea videbimus. Huc illa A. N. verba pertinent: *militem tenuit in castris, donec invicta illa rabies, &c.* qvæ uti prudenter posita sunt, ita diligenter qvoq; observanda veniunt.

III. Cùm *Cimbri Teutoniq;* frustra oppugnâssent castra Marii, ceterùm nullo modo, ac ne convitiis qvidem eò adigere potuissent, ut aleam prœliandi periclitaretur; movent, & pergentes *ad Alpes*, in Italiam transire parant: seqvitur Marius composito gradu, castris hostium sua conferens; qvæ, ut tutò pernoctaret, & muniebat diligenter, & loca firma capiebat. Hunc in modum progressis, *ad aquas Sextias* perventum est, qvæ sub ipsis Alpium radicibus erant. Hîc Marius prudentissimus Imperator colles sylvasq;, qvæ ipsis capitibus hostium imminerent, occupatis compendiis, insidet; cùm hostes interim tenerent campum, deliciisq; ac epulis, capti loci ingenio, qvi & amœnissimus erat, & aqvis calidis scaturie-

bat, indulgerent, ut *Plutarchus* narrat. Idcircò *occasionem nactus, non distulit pugnam*, & ita oppressit *hostes*, cùm nihil minus qvàm præliaturum Marium existimarent: Nam qvòd omnino detrectâsset pugnam hactenus, id metum potiùs qvàm consilium interpretabantur. Unde colligere est, primò, *satius esse, urgendo potiùs conatus hostium impedire, quam temerè decernendo*, qvâ arte *Fabius* & *Hannibalem* fregit. Secundò, *ad victoriam sapiùs plus locum & occasionem, quam virtutem facere.* Cimbri verò Teutoniq; *oppressi inter voluptatum studia, & quòd contemnerent hostem*, qvippe cujus consilia non satis explorâssent, ostendunt, qvàm *id in bello pernicioſum* sit; &, si qvid aliud, maximè cavendum.

IV. Ceterùm qvòd pugna initium ceperit, cùm lixæ & calones ad hauriendam aqvam, qvam hostes tenebant, cùm nec sibi nec jumentis potus esset, exiissent; ex eo cognoscitur, *ex levibus initiis magnarum sæpè rerum causas duci.*

V. Scribit *A.* N. non satis constare, utrum Marius locum istiusmodi, qvi aqvæ laboraret inopiâ, consultò metandis castris, an per errorem ceperit. *Frontinus lib. II. Stratag. c. 7.* imprudentiæ metatorum id ascribit. *Plut.* id non temerè factum à Mario significat. Qvicqvid sit, magnam laudem ex eâ re & fructum percepit Marius, cùm hac occasione victoriam consecutus sit. Si deliberato consilio fecit, hunc veluti stimulum addere voluit, qvo militum virtutem incenderet; nam sicut in bestiis irritatur rabies, & qvasi geminatur, si fames urgeat: ita *ad fortius audendum homines necessitas impellit, quæ & timidis addere animos solet.* Qvòd si errore metatorum id contigit, notanda singularis *solertia ducis in dissimulandis adversis*; cùm vellet videri, id non tam imprudentiâ aliorum, qvàm suo ipsius consilio factum esse; *ne quæ tumultuandi militibus daretur occasio.* Ex qvo intelligitur, qvàm *necessarium* sit *in duce, valere ingenio atq; prudentiâ*; ut providere de iis pariter qvæ in rem maximè futura sint, & simul in præsens consulere possit; ac emendare in tempore, si qvid inopinati ac subiti, aut etiam per errorem accidat.

VI. Dum *Teutones* devincit Marius, & Italiâ prohibet; *Cimbri* diverso itinere profecti, per *Alpes* irrumpunt. Iis oppositus cum exercitu erat *Catulus*; sed militem mox tantus timor invasit, ut illicò capesseret fugam, & nullis ducis admonitionibus retineri posset. Cimbri igitur trajicere *Atesin*, & totam illam amœnissimam, viniq; & frugum fertilissimâ regionem *Venetiam* longè lateq; impunè vastare. Qvòd si statim Catulum insequi, & ipsam urbem petere voluissent, res maximas potuissent gerere; nunc cùm capti amœnitate loci, deliciis poculisqve indulgerent, & voluptatibus elangueſcerent; Mario se vincendos præbuêre. Itaqve idem *Cimbris* in *Venetiâ* contigit, qvod olim *Hannibali* in *Campaniâ* acciderat. Usqve adeò *exitiosum est, prædationibus & voluptatibus se*

dedere & occasiones negligere interim, ut suprà observavimus *ad lib. II. c. 6.*

VII. Victoria Marii non tam virtuti exercitus qvàm consilio Imperatoris adscribenda est; qvo videlicet, *ejusmodi locum delegit pugnæ, ut contra hostes ventus & pulvis & sol ipse unà pugnaret.* Frontinus *lib. II. Stratag. cap. 2.* & hoc addit, Marium firmatum cibo militem ante castra collocâsse, ut hostis, cui per longius spatium procedendum esset, priùs defatigaretur, qvàm manus conferret. Usqve adeò *necessaria in duce* virtus, *prudentia & calliditas*: nam vim consilii expertem mole ruere propriâ, Cimbri satis evincunt. Ex istis autem Marii gestis, qvæ hactenus notavimus, constat, verissimam esse illam veterum regulam apud Vegetium: *Boni ducis esse, nunquam prælio, nisi commodam occasionem nactus sit, aut summâ necessitate urgeatur, decernere.* Qvocirca sequitur, qvòd is, qvi Marium perfectissimi ducis exemplum statuat, minimè erraverit.

IIX. Ceterùm, qvæ *A. N.* de Germanorum mulieribus narrat, ad summam virtutem nobilissimæ nationis pertinent; nam cùm pugnâsse fortiter scribit, summam earum *fortitudinem & libertatis amorem* ostendit; qvæ & in primo illo certamine, qvod propter aqvæ inopiam commissum fuit, professæ sunt: Namqve cùm fugerent Germani, & ad plaustra se reciperent, Romani verò strenuè sequerentur; feminas cum gladiis secutibusq; in suos pariter tanqvam proditores & hostes

stes incurrisse, vulneraq; & corporum dissectiones passas, impigrè ad extremum animis invictas occubuisse *Plutarchus* scribit. Sanè *mulieribus Germanorum veterum* ferè *majorem* qvam viris insedisse *amorem libertatis*, id arguit, qvod *Xiphilinus in Caracallâ* de iis narrat; nam cum multæ earum captæ essent, interrogatæ ab Antonino sunt, *morinè an vendi mallent?* mori annuerunt. Posteà cùm *venditæ* essent, *omnes sibi ipsæ manus intulerunt*; qvædam & *liberos mactaverunt.* Huc pertinent illa *Taciti* de Germanis: *Memoriæ proditum, quasdam acies inclinatas jam & labantes à feminis restitutas, constantiâ precum, & objectu pectorum, & monstratâ cominùs captivitate, quam longè impatientiùs feminarum suarum nomine timent, &c.* Hinc cùm matrimonium contraherent, pto dote maritus (hic enim mos obtinebat, ut *maritus uxori dotem* daret) *boves, frenatum equum & scutum cum framea gladioq;* offerebat. *Ne se*, ut *Tacitus* scribit, *mulier extra virtutum cogitationes extraq; bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonetur, venire se laborum periculorumq; sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramq;.*

AD CAPUT IV.

In hoc capite nihil magnopere observandum est, præterqvam qvòd Romani, aliàs clementiæ erga victos & captivos hostes perquam studiosi, non dubitârint *similem crudelitatem in Barbaros exercere*, cùm & illi immanissimè & cru-

de-

deliſsimè contra Romanos captivos ſe gererent. Id enim *non tam ſævitia, quàm juſta ultio* videbatur; & poterant contemni à Barbaris, niſi ſimiliter læviiſſent; qvippe qvi *fortitudinem crudelitate atq; ſævitiâ æſtimabant.* Poteſt & hoc notari; inter reliqvas gentes, Thracas præcipuè malè audiiſſe olim, propter crudelitatem & immanitatem.

AD CAPUT V.

I. De Mithridate *Juſt. in l. XXXVII.* ſcribit, ejus tantam fuiſſe magnitudinem, ut non ſui tantùm temporis, verùm & ſuperioris ætatis Reges omnes ſuperârit. His rebus incenſus, diu ſecum de bello Romanis inferendo agitavit, qvò *totius Aſiæ imperium* ſuum faceret; ejus gerendi hanc occaſionem nactus eſt. *Nicomedem, Bithyniæ Regem,* à Mithridate exutum regno Pop. Romanus reſtituerat; hunc *L. Caſſius* legatus Aſiæ invitum eò perducit, ut Mithridatem laceſſeret, in ejusq; ditionem irrumperet. Mithridates habebat paratas copias; ſed tamen reſiſtere Nicomedi ſuperſedebat. Mittit igitur legatos ad Caſsium, qvi de injuriâ Nicomedis conqverantur, petantq;, ut ſibi liceret contra Nicomedem bellum ſuſcipere: negat *Caſſius*, litem ejus arbitrio Senatus Romani dirimendam dictitans: *Mithridates* id reſponſum ad ſuam injuriam interpretatur, bellum ſuscipit, & occupatâ initio *Cappadociâ*, deinde *Bithyniâ*, mox univerſam *Aſiam* Romanis adimit, & ſic in *Europam* tranſit: Nam cùm Romani Cimbricis bellis attenuati admodum eſſent, & præterea civilibus diſsidiis

diis diſtringerentur; Mithridati, ut par erat, reſiſti non potuit; & hoc ille tempus captârat: Hîc notandum primò, *ex opibus ambitionem, ex ambitione bellorum cauſas oriri*; qvæ dum ſuo contenta non eſt, alieno inhiat, qvo ſine armis potiri vix poteſt. Secundò, qvàm *callidè cauſas belli captare ſoleant, & aliquem juſtitiæ prætextum, qui ex ambitione arma corripiunt.* Tertiò, illius, qvi bellum gerere velit, præcipuè eſſe, *ut opportunum tempus capiat.* Ubi & hoc notandum, *diſſidiorum civilium* hunc *fructum* eſſe, *ut dum domi occupati ſumus odiis atq; diſcordiis civium, externis hoſtibus præda ſimus.*

II. Notandum in Mithridate ſingulare *crudeliſſimæ calliditatis exemplum*, qvi literis per *omnem Aſiam* miſsis, additâ ingenti pollicitatione præmiorum, imperavit, ut omnes Romani, qvi in iis regionibus negotiandi gratiâ eſſent, interficerentur; qvorum ad *octoginta millia* fuiſſe *Valer. Max. lib. IX. c. 2.* autor eſt. Simile qvid *anno* 1281, *in Siciliâ* contigit, cùm per occultam conjurationem civium *omnes Gallorum Copiæ*, qvæ illam Inſulam tenebant, *unâ horâ per univerſum regnum* trucidatæ ſunt, dato ſigno, *cùm ad veſpertinas preces celebrandas campanæ impellerentur*; unde facinus hoc *Veſperarum Sicularum* nomine indigitatur.

III. Aſiaticæ civitates, à qvibus *non cunctanter*, ut A. N. ſcribit, ad Mithridatem *deſcitum eſt*, exemplo ſunt, *plerumq; mutari animos, cùm fortuna mutatur.* Nam cùm Mithridatis res indies meliores eſſent, Romanorum contrà deteriores, eò

flexe-

flexerunt animum, qvò fortuna inclinabat: *Quò Fortuna, eò & favor hominum inclinat*, inqvit *Justin. lib. V. Histor.* Et benè *Silius lib. II.* Punic.

------ *Stat nulla diu mortalibus unquam*
Fortunâ titubante fides.

IV. Notanda Syllæ *moderatio in victoriâ*, & singularis *reverentia erga viros doctrinâ & sapientiâ magnos*; qvippe qvi Athenis, qvas expugnaverat, hac præcipue de causâ pepercit, qvòd illa urbs tot sapientissimorum doctissimorumq; virorum sedes & domicilium fuisset. Similis *Alexandri M.* lenitas fuit, sed minor tamen; qvi cùm *Thebas Bœotias* diriperet, *Pindari* tamen vatis *familiæ penatibusq;* parci jussit; ut *Plinius* autor est *lib. VII. Natur. Histor. c. 29.*

V. *Publica commoda plerumq; privatis utilitatibus postponi*, Sylla ostendit, qvi pacem maluit Mithridati dari, *ne sibi triumphus* (qvo nostet videtur respicere) *interciperetur*, qvàm bellum urgere, qvò penitùs debellari posset. Nam si continuaretur bellum, verendum erat, ne *administratione ejus alii demandatâ*, ipse triumphi honore excideret.

VI. De *emittendis nunciis occultis* exemplum præbet *Lucullus*; is enim, ut *Cyzicenos* à Mithridate obsessos certiores faceret de adventu suo, militem è suis natandi præcipuè peritum misit; hic duobus inflatis, & inter se duabus regulis distantibus insedit utribus, qvi *literas insutas* habebant; & per septem millia passuum Cyzicum usq; enatavit, *cruribus* veluti gubernaculis *demissis*, ita peritè cursum dirigens ut procul visentibus hostibus *marina bellua species* videretur; ut *Frontin. cap. 13. lib. III. Stratag.* narrat.

VII. Mithridates cùm Cyzicenos obsideret, *trecenta millia armatorum* habuisse scribitur; qvod ubi advertit Lucullus, qvi 30. *millia* proditum & mille sexcentos eqvites habebat, noluit prælio decernere; potius ratus, si à tergo obsideret Mithridatem, & omni commeatu intercluderet, sic ultrò tantam multitudinem diffugituram; qvod accidit: Nam cùm eo penuriæ redactus esset Mithridatis exercitus, ut *humanis carnibus*, sicut Plutarchus autor est, *vescendum* esset; Rex coactus obsidionem solvere, ipse classe profectus clam *Parium* nocturno tempore, exercitus terrestri itinere Lampsacum confugit; qvem assecutus Lucullus, duobus præliis, altero ad *Granicum*, altero ad *Æsapum* amnem, ita cecidit, ut ex universâ tam lixarum qvàm militum colluvie haud multo pauciores trecentis millibus periisse *Plut.* in *Lucullo* & *Appian. in Mithridaticis* scribant. Ex qvo colligitur, hanc *optimam rationem conficiendi hostis esse; si longè superior viribus sit, trahere bellum*, eumq; collatis castris *commeatu intercludere*; non verò certandi aleam temerè tentare. *Aut inopiâ, aut superventibus, aut terrore melius est hostem domare, quàm prælio, in quo amplius solet fortuna potestatis habere, quàm virtus*; scribit *Veget. lib. III. de Re milit. cap. 26.*

IIX. Digna notatu *fugientis* Mithridatis *vaferrima ratio, in detinendis hostibus*, objectis regiis thesauris, ut ipse interim elabendi spatium nanciscereturqui deprehensus propè erat. Simili effugiendi ratione usus est *Tryphon*, Syriæ Rex, ab *Antiocho* Asiæ Rege victus; nam qvaqva fugeret, pecuniam sparsit, eumq; sectantes Antiochi equites moratus elapsus est; ut *Frontin. lib. II. Stratag. c.*13. narrat.

IX. In *Pompejo* iterum exemplum *solertis* ducis *in eligendo idoneo loco pugnæ* notandum est. Erat Luna in tergo Romanis, itaq; productiores umbras efficiebat; qvâ re decepti Barbari, cùm hostes cernere non possent, conjectis telis non multum detrimenti dedére Romanis; cùm contrà à Romanis ipsi plurimum detrimenti acciperent, qvippe qvibus illustres atq; conspicui erant, cùm Luna ex adverso posita esset. Videndus *Plut. in Pompejo & Frontin. in Stratag.*

X. Aut non suscipiendum bellum, aut cùm susceptum semel, urgendum strenuè, & vel semel ac iterum victis tentandam fortunam, præstantissimi duces statuére. Nam *bellum inchoatum relinquere, quàm indecorum, tam periculosum quoq; est*; cùm id aut *imprudentiæ*, aut *imbecillitatis*, aut *utriusq;* signũ sit; qvippe unde *contemtus sequitur & audacia* in pugnando *aliis venit.* Nec ullâ aliâ re in tantum fastigium adductam Romanam rem, qvàm *perseverantiâ bellorum & invictâ animorum constantiâ*, suprà observavimus. Qvo circa *minimè reprehendendus* est Mithridates, qvòd post *tot clades acceptas non desiterit Romanis bella movere*; qvanqvam à fortunâ destitutus, interim tamen *vel animo Romanos persecutus est, si armis non posset.*

XI. Mithridates exutus regnis omnibus, non hostium tantùm injuriâ sed & filii scelere, & desertus ab omnibus, tandemq; cùm frustra veneno semetipsum aggressus esset, à *milite* qvodam *Gallo*, qvem multis precibus exoraverat, ut se confoderet, interfectus, ostendit, *ambitiosos & propter cupiditatem regnandi inquietos homines plerumq; miserabiles & tragicos exitus sortiri.*

XII. Pompejus Tigrani supplici *ignoscens*, regnumq; permittens, docet, *subjectis parcendum, debellandos superbos esse.*

XIII. Notandæ deniq; diversæ illæ res, qvibus *tres* isti *Romani duces* contra Mithridatem potissimùm pugnârunt: *Sullæ felicitatem* noster attribuit; nam & ipse de se in commentariis scripsit, *qua non consuliò, sed ex tempore aggressus temerè esset, ea rectiùs cecidisse, quàm qua deliberâsset maturè*, uti *Plut.* autor est, *in vitâ Sullæ.* Qvocirca & *cognomen Felicis* assumsit. *Lucullo virtutem* asignat A.N. qvippe qvi de omnibus, qvas gerere vellet, rebus diligenter cogitaret; & qvæ cogitâsset, & deliberâsset probè, fortiter masculèq; perficeret: Unde factum, ut parvâ manu innumerabiles Barbarorum copias vinceret, funderetq;. *Pompejo magnitudinem* asignat, tum qvòd maxima qvæqve cupierit, tum qvòd res maximas gesserit, ac

ac eam ob causam ad summos honores adspirârit; unde & *Magnus cognominatus* fuit.

AD CAPUT VI.

I. Etsi multum in *virtute* & scientiâ ducis, & cetero apparatu belli positum est; maximam tamen partem *fortuna* sibi vindicat. Sæpiùs enim accidit, ut qvæ & *deliberata prudenter, & fortiter susceptа* ac instituta fuerunt, *minùs feliciter* succesſerint. Solet verò usu venire mortalibus, ut alius alio feliciùs res gerat, *quodam favore divino* ejus *actiones* omnes *comitante*, & prosperrimum exitum dirigente. Qvocirca jam dum *in eligendis* Impp. sive *Ducibus* belli *felicitas* qvoq; spectata fuit, & præcipuè qvidem. *Ceteri duces* (scribit Tacitus lib. III. Histor.) *in obscuro sunt; illi æstimantur, quos fortuna famaq; omnium oculis exponit.* Hic igitur *Pompejo* potissimùm Piraticum bellum demandatum est, qvòd ante qvoq; felix visus, ut A. N. ait.

II. Boni atq; præclari Imperatoris cumprimis est, id dare operâ atq; studere, non tantùm *ut vincat hostem* & cogat in ordinem; sed *ut ita subigat*, ne rebellare imposterum, atq; ad veteres nocendi artes redire unqvam velit: qvod conseqvetur, si ipsas causas, & omnem occasionem rebellandi ademerit. Nam *quàm diu facultates* illæ *aderunt*, qvibus potissimùm fretus hostis hactenus movit arma, *nunquam satis bonâ fide quiescet*; contrà si demserit, nec volet nec poterit turbare, postquam *turbandi causas perdidit*. Qvapropter licet *Servilius* magnis cladibus affeciſſet *piratas*, *perdomare non potuit*; neq; enim abstraxit à mari, qvod qvàm diu tenerent, parùm amisisse sibi videbantur. At verò posteaqvam *Pompejus* in mediterranea & à mari remotissima loca deduxit, cum ipsâ loci mutatione, mutârunt animos; & *ademtâ occasione latrocinandi*, latrocinia ipsa dedidicerunt. Addi possunt, qvæ ad *cap. 16. lib. II. observat. 2.* notavimus.

AD CAP. VII.

I. Duobus præcipuè modis circa inferenda bella peccari solet: qvidam *avaritiâ* ac spe lucri impelluntur ad arma, qvod fœdum maximè est; qvidam, qvod multò tolerabilius, *ambitione* & qvodam gloriæ ac latè dominandi ardore ad id adducuntur. Tale hoc bellum fuit, qvod *Cretæ* Insulæ Pop. Romanus intulit. Creta Insula maxima, *frugibus & pascuis dives*, ad hoc vetustissima & *celeberrimâ famâ*, cùm propter alias res varias, qvæ ibi inventæ narrantur, tum ob hoc incluta & in magnâ veneratione omnibus fuit, qvòd Jupiter, summus, ut illi gentiles veteres existimabant, Deorum, ibi natus, educatus, atqve sepultus crederetur; qvam ob causam in illud tempus usq; perpetuâ libertate usa fuerat, ut *Dio* & *Liviana Epitome* tradunt. Romani igitur rati, egregiam ad suum imperium accessionem futuram illam insulam, qvin & *maximam gloriam* ex nobilissimâ gente ad se redundaturam; omnibus modis bellum

inferre cogitârunt: sed cùm justæ causæ deessent, rem distulerunt, donec *Mithridatis* partibus favisse,& piratis præbuisse receptum cognoscerentur. Atq; adeò facilè inferendi belli causas arripiunt,qvi jam dudum cupiditate regnandi & ambitione ducti de armis cogitârunt.

II. M. Antonius, qvi plures catenas in navibus, qvibus captivos constringeret, qvàm arma portâsse ab A. N. scribitur, cùm contra Cretenses proficisceretur, insigne *exemplum vanissimæ & vecordiæ & fiduciæ atq; superbiæ* præbet, & qvàm *periculosum* sit ferocire stolidè,*& ante victoriam canere triumphum*; ut in proverbio dicitur.

III. Victis & captis hostibus insultare superbè, & sævire in victoriâ,non semper satis expedit; *inde* enim *dolor hostibus,& ulciscendi cupiditas* venit; ac si superiores fuerint,longè crudeliùs vindicant, qvæ in suos olim parùm clementer consulta fuerunt. Sic *Metellus* igne ferroq; populatus *Cretensium* agros,Romanos suos ultus est; qvos illi paullò antè abusi victoriâ, velis funibusq; in ludibrium gentis nobilissimæ religatos suspenderant.

IV. Periculosum esse, si aliqva gens aut *populus fatigatus* armis hostilibus,& jam ad incitas ferè redactus, *dissimulato parùm odio*,qvod erga victorem paullò impotentiùs grassantem concepit, *in alterius ducis*,qvi sub iisdem auspiciis,sed *alibi* militet, & ad qvem isthæc provincia minùs pertineat,clementiâ, spem aliqvam ponere, eumq; arcessere velit, *facturus imperata, si alterum*, qvi durior

rior sæviorq; cognit⁹, *bello prohibeat*, Cretenses ostendunt. Nam cùm *Metelli* odio *Pompejo* se dederent,eumq; accirent; Pompejus qvoq; pro solitâ sibi ambitione Metello literis bellum indiceret, qvòd Cretenses se sibi dedidissent, cùm tamen ea provincia à Senatu Populoq; Romano Metello assignata erat; ita exasperatus Metellus est, ut grassandi & sæviendi finem non faceret priùs, qvàm totam insulam domuisset: Nam cùm cujusvis,sæpè & *levissimæ injuriæ*,*impatientes* sint *viri militares*, tum illas præcipuè ulcisci solent, qvæ speratam gloriam intercipere, aut aliàs *existimationi* suæ aliqvid detrahere posse videntur; cujus *adeò studiosi sunt, ut ei omnem justitiæ atq; clementiæ rationem, sæpè & vitam ipsam longè posthabendam existiment*: Et eò qvidem magis in vindictam & ultionem incumbere solent,cùm *æmulatio* qvædam accesserit, ut simul *eludant æmulorum conatus*,& pœnas dignas de illis sumant, qvi in se maximè deliqvisse videntur: Nam qvò magis Cretensi provinciæ imminebat Pompejus, ut ex eâ triumpharet,Metello excusso; eò magis ille ad rem conficiendam incendebatur cum maximo ejus insulæ damno.

AD CAP. IIX.

I. Cùm *rerum gerendarum nervus* sit *pecunia*, qvemadmodum *Demosthenes* rectè censuit; illa autem satis expedita esse vix possit, nisi *commercia* floreant; meritò Romani ea *semper præcipuâ curâ*

habuerunt. Qvemadmodum igitur *Pompejo* purgandi *maris* à piratis *Cilicibus* datum negotium est à Senatu Populoq; Romano: ita & *Metello Baleares* demandati sunt, ut eos compesceret, qvòd tunc infestum mare redderent latrociniis, & navigationes, qvibus præcipuè commercia constant & florent, impedirent.

II. Baleares *peritissimè jaculantes*, propterea qvòd in eâ re à pueris usqve præcipuè studere soleant, ostendunt, *quanta exercitationis vis* sit, & qvàm *nunquam* aliqva res *excellenter addisci* possit, nisi *creberrimo usu*, & qvasi *à teneris exercuerimus*.

AD CAP. IX.

Aliqvando *cupiditate gloriæ*, aliqvando *avaritiâ*, bella suscipi, suprà observavimus; sed uti ad *Creticum* bellum nobilitas populi, ita ad *Cyprium* divitiæ Romanos invitârunt. Nam cùm ærarium Pop. Romani attenuatum atqve ex haustum valdè esset, nullâ aliâ re meliùs illi consuli posse existimatum est, qvàm si opulentissimus *Rex* confiscaretur, & omnibus rebus instructissima insula Romani Pop. provincia fieret. Huc accedebat *odium Clodii privatum erga Regem*, qvi pretium pro eo pendere, cùm à piratis captivus teneretur, recusârat; ut *Strabo* & *Dio Cassius* testantur. Et verò hic Clodius fax & tuba hujus expeditionis fuit, qvi lege latâ *Cyprum* Pop. *Romani provinciam* esse jusserat. *Ptolemæus* de eo negotio factus certior, noluit

luit rem venire ad arma; & sumto veneno sibi ademit vitam, cùm & cives suos à se aversos animo esse intelligeret. Adeò *nullum firmius regnorum præsidium, quam subditorum benevolentia* est, ut Synesius Oratione de Regno statuit, *sine quâ nec arma nec multitudo quicquam valeant*, ut *Dio Cass. lib. XXXVII.* verè monuit. Catonem autem reip. gerendæ *Clodius* præfecerat, non honorandi animo, nec qvòd ei benè vellet; sed ut abduceret ab urbe, ne suis consiliis, qvæ in perniciem Reipubl. agitabat, pro eâ autoritate, qvâ apud omnes pollebat, resisteret, si præsens esset: & uti injusti belli invidia penes eum maneret, si res seciùs accidisset. Qvæ ejus calliditas notanda est, ut discamus qvandoq; & *eos cavere, qui benè velle nobis, & nos honorare videntur.*

AD CAP. X.

I. Etsi *præcipuas partes summi ducis* bellici, si depugnandum acie, esse constat, *obequitare ordines, adesse periclitantibus, gnavos & strenuos laudare, pavidos ac consternatos increpare, incitare cunctantes, imminutis cohortibus milites novos substituere, & opportunitates, momenta atq; eventus diligenter observare*; tamen si his omnibus ampliùs locus non est, re in summum maximumq; discrimen adductâ, vix præstabilius remedium supereſt, qvàm si *Imperator ipse despicere mortem & manum fortiter cum hoste ipse committere instituat*; qvasi nullam aliam fortunam subire expetat, ac qvam exercitus

habiturus sit. Tunc enim & gnavi ac strenui mirum in modum confirmantur, & timidi ac fugientes recolligunt animum, atq; pudore ducti redintegrant prælium, ne deseruisse Imperatorem suum videri possint. Hoc docet *Cæsar* isto capite, cùm, ut A. N. narrat, rapto fugientis è manu scuto in hostium agmen involavit, & inclinatam hac ratione & jam nutantem suorum aciem restituit; qvo facto milites statim, dum erubescunt Imperatorem destituere, prælium redintegrarunt, ut *Front. lib. II. Strateg. cap. 8.* loqvitur; ubi & simile *Syllæ* exemplum refert. Usq; adeò in Imperatoris virtute & constantiâ, ad cujus exemplum plerumqve se miles comparat, præcipua spes victoriæ posita est. Sed discant Imperatores, nunqvam ipsis conserendas manus temerè, qvàm *si in summum periculum res adducta*, & ducis exemplo excitanda & provocanda cùm maximè jamjam desperantis exercitus virtus. Nam licet præstabilem operam fortitudinis præstare possit, tamen *vix tantùm suis pugnando proderit, quantum detrimenti occumbendo afferet.* Illius enim prudentia longè anteponenda fortitudini est: & possunt vel ex gregario milite multi strenuam præstare operam pugnando, sed *rectè consulere rebus, paucis omninò est datum.*

II. Absentiam ducis multum detrimenti afferre exercitibus, historiæ passim ostendunt; sic enim & invitantur hostes ad audendum aliqvid contra nos; & nostri, cùm aut alter alterius detrectat imperium, aut parùm sana consilia capiunt, plerumq; peri-

periculum adeunt. Ad istum modum *Titurius Sabinus & Cotta*, *Ambiorigis* insidiis, *absente Cæsare*, circumventi cum maximâ parte exercitus perierunt. Sed & *Vercingentorix* nullâ aliâ re ad res novas moliendas magis instigatus est, qvàm *Cæsaris absentiâ*; qvi nisi maturè advolâsset, & consuluisset in medium, actum procul dubio fuisset de rebus Romanorum, qvos hactenus in Galliis constituerat. *Ambiorix* autem, cùm *simulando amicum subitò*, qvi nuper infestissimus hostis fuerat, Romanos circumvenit, & ex insidiis vicit, admonet, *non esse magis timendum cavendumq; hostem, quàm cùm amicum profitetur. Malus bonum ubi se simulat, tunc est pessimus*, rectè *Publ. Syrus* in mimis dixit.

III. Celeritatem plurimùm posse in bellis, alibi observamus; ei autem cumprimis studuisse *Cæsarē*, historiæ ostendunt; In hoc cap. id duo potissimum evincunt: Primò, qvòd summâ celeritate in *Britanniam* transiens, magnum terrorem inopinato adventu incussisse Insulæ, & magnam prædam inde avexisse scribitur. Secundò, qvòd cùm *Vercingentorix* renovaret bellum absente se, nihil cunctatus hyemem anni, advolavit subitò; & ante *in mediâ Galliâ fuit*, ut A. N. verba sunt, *quàm ab ultimâ timeretur.* Et audet *Dio lib. XLII.* celeritati & improvisis expeditionibus Cæsaris adscribere, qvòd omnes illius seculi duces rei bellicæ gloriâ superârit.

III. Vercingentorix nobili suo responso docet, *victos & captos duces ita sese submittere victori debere, ut eum, & prout par est, revereantur; & ipsi tamen interim quandam generositatem & animi magnitudinem ostendant; nihilq; admittant, quod ignaviam quandam arguere possit.* Nam qvi in adversis statim ita concidunt animis, ut *vitæ cupidine* nihil non *servile* designare vereantur; *illi* non modò *contemtui*, tanqvam timidi atqve ignavi, verùm etiam *odio victoribus* esse solent; qvi eum tandem verum atqve magnificum triumphum ducere solent, qvi de forti ac generoso hoste agitur. Sc *Paul. Æmilius Perseum*, Macedoniæ Regem, cùm ad se perduceretur, *aversatus est, quòd plus se submitteret*, qvàm tantum Regem deceret; ut *Livius* observavit.

AD CAPUT XI.

I. Qvem *exitum avari atq; ambitiosi* homines, qviq; nullâ religione, nullo respectu juris atq; justitiæ tenentur, timendum habeant, *Crassus* contra fœderum leges, qvas *Sylla* & *Pompejus* cum *Parthis* fecerant, solâ divitiarum & gloriæ cupidine incitatus, bellum movens, amissione exercitus filiiq; & propriæ vitæ deniq;, clarè arguit.

II. Prodesse plurimùm, qui ex hoste amicus factus, & verbis apud *Thucydid. lib. VI.* Alcibiades, & re ipsâ ostendit; nam cùm ab *Athenienſibus* transfugisset ad *Lacedæmonios*, utilissimam iis contra *A*thenienses hostes operam præstitit. Deinde cùm

cùm à Lacedæmoniis rursus ad *Tisaphernem*, Darii, Persarum Regis, præfectum se contulisset, multùm ei profuit contra eos ipsos Lacedæmonios. Interim tamen *non temerè quibusvis credendum transfugis*, idem hic Crassus ostendit; nam dum *Mezeræ* ut *A.* N. *Angaro*, ut Dio, *Ariamni*, ut Plut. appellat, temerè fidem adhibet, maximis cladibus affectus est, & tandem ipse cum filio periit. Optimum autem, ut, si qvi ad nos transfugiunt, *imprimis indagentur, & providè considerentur causæ, cur id fecerint*? qvæ anteqvam penitus exploratæ fuerint, nihil iis temerè credendum est.

AD CAP. XII.

I. Nullam *rem* aliam tam *exitiosam* esse reipubl. qvàm *otium & opulentiam potentiamq; nimiam*, in manifesto est positum; & suprà alibi observavimus. *Ita enim ferè nobiscum comparatum est, ut dum nihil sit, quod agamus; & cùm à nemine altero metuendum habemus, nobismetipsis exitio simus.* Superbus n., & summâ fortunâ ebrius animus, dum se regi non patitur, & suæ libidini obsequi pulcherrimum putat; in præceps agitur, & vel in ambitum ac honorum cupidinem, vel in luxum ac avaritiam furit; paratus non modò per privatorum, & qvi imbecilliores fuerint, injurias; sed & publica damna ad voti sui finem grassari: Unde & certamina inter proceres, & plebejorum adversus Optimates seditiones oriri, necesse est; qvas si non eversio Reipubl. at mutatio tamen certè aut con-

concusio periculosa, unde magis magisq; infirmior fiat, seqvi solet; qvod toto hoc cap. A.N. Romanorum exemplo egregiè ostendit. Nam sicut eo tempore, cùm intra mare imperii finem statuerent, pii, sancti, innocentes, & justi fuerunt; ac ita famam, & inconcussam habuerunt Rempublicam: Sic, cùm per universum orbem regnare cœpissent, tot domitarum subactarumq; gentium domini, in qvævis vitia sceleraq; per summam illam securitatem ac opulentiam prociderunt; unde factum, ut seditiones & bella civilia accenderentur, qvibus *Respubl. libera in regnum* tandem per Cæsarem, victo Pompejo, commutata fuit.

II. Non prætermittendum, qvod scribit A.N. nescire se, an satiùs fuerit Pop. Romano, *Siciliâ & Africâ* contento fuisse, aut his ipsis etiam carere in Italiâ suâ dominanti; qvàm imperium in omnem terrarum orbem latè extendere? Nam, *qu cquid excessit modum, pendet instabili loco*, inqvit *Seneca*: Et sunt oraculi planè instar habenda verba *Valerii Maximi* lib. IV. c. 1: *Ea demum*, inqvit *potentia tuta est, quæ viribus suis modum imponit*. Calan⁹ Gymnosophista, magnæ existimationis Philosophus, apud *Alexandrum* M. agens, *aridam bovis pellem* in medium projecit, cujus cùm tantùm *extrema perambulans* pedibus premeret, *reliquæ partes* in altum *attollebantur*; qvo docere Regem volebat, eum, cui imperium nimis magnum sit, cùm ubiq; esse non possit, tumultibus plerunq; & se-

ditionibus vexari. Et sanè *Alexandro* vix mortuo illud immensum imperium in multas divisum partes fuit, qvasi tanta moles se sustinere non posset. Qvod cùm Augustus prudentissimus Princeps probè videret, morti proximus de coërcendo intra terminos imperio consilia cœpit. Qvapropter *magis de tuendo* & conservando imperio *solicitus Princeps* esse debet, qvàm ut *de augendo* eo supra modum laborare velit.

AD CAP. XIII.

Seditionum omnium *bellorumq;*, qvæ narraturus deinceps, *civilium* causas *Tribunos plebis* facit *A.N. Appianus* similiter eorum initia ex *Agrariis, Judiciariis & Frumentariis legibus*, qvibus, velut instrumento qvodam, usi turbulenti Tribuni plebis, qvò convellerent & everterent Reipubl. statum, deducit eo *libro*, qvem *de bellis civilibus* reliqvit. Post Reges exactos omnis Reipubl. administrandæ ratio penes Optimates sive Patricios fuit; qvi cùm intelligerent, qvam æqvalitatem ac proportionem inter cives liberos, si salvam rempubl. vellent, esse oporteret; ab omni superbiâ, fastu ac avaritiâ alieni, & populares qvodammodo erant; adeoq; rempubl. sine omni injuriâ plebejorum, sanctè & innocenter tractabant: *Aliter* enim firmari resp. & servari concordia (cum adhuc supererent *Tarquinii*, qvi omnibus modis reduci in regnum studebant) minimè poterat: Timendum qvippe erat, ne, si acerbiùs tractaretur

plebs

plebs, revocaret Reges, & ad illos deficeret. Hîc itaq; metus cùm jam expirâsset, apparuit, *hoc velut naturâ optimatibus esse inditum, ut occasionem liberam nacti, nitantur adversus plebem, eamq; supprimant; & homines non nisi coactos rectè se gerere*: Continuò enim superbire nobilitas, & sævire in plebem, & dominatum qvendam atqve tyrannidem invadere cœpit: Qvò factum, ut *sublatâ* illâ *æqualitate*, qvâ coaluerat hactenus civitas, *concordia* qvoq; & qvies ejus *tolleretur*. Indignata enim plebs, amissâ libertate in servitutem qvandâ redigi, adversus Patres tumultuari cœpit; & cùm sic jus suum obtinere non posset, secedere penitùs & urbem deserere instituit. Qvâ ex re cùm nihil aliud qvàm Reipubl. interitus seqvi videretur, id excogitatum *remedium* est, *ut Senatus Populiq; Romani universi autoritate crearetur* potestas, qvæ jura ac privilegia plebis defenderet, & Patrum potentiam intra legitimos tramites coërceret. *Hinc* itaq; *Tribuni plebis orti* sunt, qvorum tanta autoritas erat, ut *nullum SCtum ratum* haberetur, *cui ipsi intercessissent*; tanta vis atq; potentia, ut *refragantes Magistratus conjicere in carcerem*, vel dictâ die *accusare apud populum*, tanqvâ sacrosanctæ majestatis violatores possent: Nam *Tribuni plebis sacrosancti* erant, & sine sacrilegio à nemine poterant violari; ut *Plutarchus in Quæstion. Roman., & Liv. lib. VI. sub fin: item lib. VII. circa med.* docere possunt. Atqve hi qvamdiu se intra præscriptos limites tenuerunt, & probè officio functi sunt,

sunt, non modò pacata & qvieta civitas, verùm etiam firma qvàm maximè & potens fuit; qvippe cujus *status omnibus tribus Reipubl. formis attemperatus* & aptè compositus esset: Nam & *majestas regia* apparebat *in Consulibus*; & Optimatibus non tam ademtum erat imperium, qvàm cum plebe divisum; ac sic concessa singulis tanta potentia, dignitas atq; libertas fuit, qvantam justa proportio reqvirere videbatur. Posteà verò cùm illi ipsi *Tribuni plebis abuterentur tantâ potentiâ*, & in transversum rapti, sic qvasi Optimates olim in plebem, in Optimates dominatum affectarent; aut corrupti largitionibus, illis se applicarent, qvi turbabant rempubl. & rebus novis studebant, magis hac ratione obseqventes libidini suæ, qvàm consulentes plebi, qvod eorum officinm erat; factum est, ut *discordiis atq; seditionibus* miserè scinderetur civitas, donec res in *aperta bella* prorumperet; atq; ita abolita veteri formâ Reipubl. *Tyrannis per Cæsarem* induceretur, qvæ *sub Augusto* tandem, *in Principatum* commutata est. Ex qvibus colligitur; I. Oligarchias (qvod etiam *Aristot. lib. V. de Republ. cap. 12.* ostendit) minùs diuturnas esse. II. Aristocratias tum maximè mutari in Democratias, cùm Optimates, & qvi administrant rempubl. contumeliosè tractant multitudinem, eamq; injuriâ afficiunt, atqve rempubl. pro qvæstu habent; qvò magis *studendum, ut æqualitas & justa proportio servetur*; & publico magis qvàm privato studeatur commodo. III. Omni-

mnium mutationum in Republ. causas esse, parva negligere, ut Aristoteles monet. Nam *nisi Optimatum superbiâ pressus fuisset populus, non Tribuni plebis facti fuissent.* Deinde, nisi per *incuriam Patrum & negligentiam, Tribuni plebis potentiam suam in immensum auxissent*, adeò qvidem, ut soli momenta Reipubl. tractarent; non turbata & tandem conversa fuisset respubl. *IV. Mutationes lentè ac occultè fieri*, & paulatim solvi civitates; pedetentim enim serpit & se insinuat legum violandarum ac institutorum negligendorum consvetudo. Qvocirca videndum cùm maximè, ut leges ac instituta, qvibus fundata civitas, inviolata maneant; ac ne in minimâ qvidem parte, contra ea aliqvid peccetur; cùm à minimis rebus, si negligantur, causæ gravissimorum casuum emergere soleant.

AD CAPUT XIV.
XV. XVI.

I. Qvi vitia reipubl. sanare cupiunt, illis magnâ prudentiâ opus est; cumprimis si serpserint latiùs, & *inveterata* fuerint Hæc enim *non vi tollenda*, & impetu, *sed sensim*, & arte qvadam infringenda & cohibenda sunt. Nam si aliter tractabis, irritabis malum potiùs, & commovebis atq; turbabis rempubl; inq; periculum ac discrimen adduces potiùs, qvàm sanabis; & simul te ipsum perdes, qvod *Gracchis* & *Saturnino* evenit. Iniqvissimum qvidem erat, Pop. Romanum exulare qvodammodo, & summâ egestate premi, qvi totum fermè orbem sangvine suo emerat; sed tamè movere Patricios possessionibus, à majoribus sibi relictis, non minùs injuriæ proximum videbatur; Qvia itaq; Gracchi & reliqvi, leges agrarias (qvib⁹ vetabatur plus qvingentis jugeribus agri possidere civis) & reliqva, qvæ pro plebe sancire conabantur (qvæ *Plut. in Gracchis* & alii commemorant) severiùs atqve atrociùs, qvàm par erat, & expedierat reip. urgebant: Optimates contrà & opulenti, pari ferociâ ac pertinaciâ eorum cœptis resistetent: in seditiones & tumultus erupit res, non nisi auctorum vitâ & sangvine sedandas; qvam mercedem plerumqve turbulenti ac seditiosi homines auferre solent. Qvocirca qvi reipubl. consulere volunt, eos prudentes medicos imitari oportet, qvi *non tam ad affectam partem, sed & ad cetera viscera respiciendum sibi existimant*; ne cùm uni succurrere studeant, ceteris plus detrimenti afferant; & jam non pars aliqva, sed totum corpus periclitetur. Itaq; satius habent sæpiùs alimenta & causas malo subtrahere, atq; cavere adeò, ne incrementa capiat; cùm *multi morbi morâ & tempore consumantur melius, quam medicinis*; præcipuè *vehementioribus*, qvales catharticæ sunt. Qvod si pensi habuissent Gracchi & reliqvi, nec (dum consulere volebant plebi) Optimates premere velle visi fuissent; adeoq; cavissent potiùs, ne Optimates deinceps plus agri redimerent, qvàm aut jam possiderent, aut leges permitterent;

non verò sedibus suis ejicere possessores antiqvos laborâssent: & conservâssent qvietem civitatis, & ipsi omni periculo caruissent. Nunc, cùm se suæ ambitioni permitterent penitus, & potiùs cœcæ libidini dominandi morem gerere, qvàm suæ & reipubl. saluti studere vellent; rupta qvies civitatis, turbataq; omnia sunt; & istud ipsum incendium, qvod excitaverant, proprio ipsorum sangvine restinctum est. Qvocirca *in omni negotio, quod reipubl. causâ suscipimus, ante omnia videre oportet, quid commodi quidq; incommodi inde sequi possit?* Qvòd si incommodum (ut ita dicam) præponderaverit commodo, deserenda potiùs res, qvam molimur, qvàm suscipienda & exploranda est; modò id prorsus honestati atq; justitiæ non repugnet. Nam in Republ. cùm ad Politicorum magis qvàm Philosophorum doctrinas respiciendum sit, non id attendi semper debet, qvod honestissimum ac longè justissimum est; sed *sufficit* sæpiùs, *id, quod agimus, non inhonestum esse atq; injustum; modò id maximè expediat*; suprema enim lex est reipubl. salus. Habemus itaq; in his capitibus *exempla tria turbulentorum* & seditioforum hominum, qvi *nihil verentur summa imis miscere*; modò sibi *dominatum* qvendam *asserere*, & eos, *quos habent odio, ulcisci* atqve opprimere possint. Sanè *Gracchus*, qvòd simultates foveret cum Patriciis, ex qvo ordine ipse ad plebem descivit, & ad agrarias ceterasq; populares leges ferendas animum appulit: Sic *Apulejus*

jus Saturninus instigante *Mario* consule, qvi nobilitatis infensissimus hostis semper fuit, eandem rem aggressus est: *Cajus Gracchus* verò id egit, ut cædem fratris vindicaret, & ejus Manibus oppressione Optimatum velut litaret.

II. *Gracchos* fratres eloqventissimos sui temporis fuisse, *Plut.* ostendit, ac de *Tiberio* id A. N. qvoq; *initio cap.* 14. significat; ex qvo constare potest, operam eloqventium hominum, qvantùm prodesse Reipubl. potest, tantùm eidem obesse qvoq; posse. Vid. & *Arist. lib. V. Polit. 5.*

III. Et hoc qvoq; notandum, *agrarias leges plerumq; pro instrumento habuisse turbulentos homines*, qvò sibi adjungerent multitudinem; & eâ freti, reipubl. statum mutarent. Nam & *Spurius Cassius* adimere agrum Optimatibus, eumq; dividere aggressus est populo; de qvo *supra lib. I. cap. 7.* Et *Cæsar*, cùm sibi conciliare plebem, ac viam ad Principatum sternere vellet, legem agrariam tulit, qvanqvam in eo negotio cautiùs & callidiùs qvàm Gracchi, versatus; de qvo legendus *Dio Cass. lib. XXXVIII. ab initio.*

IV. Illi, qvi laborant odio, & simultates fovent, si jure & legibus evertere adversarios non possint; aliqvando ad fraudes, sæpius ad calumnias dilabuntur. Sic cùm *Tiberius Gracchus*, manu *caput tangens*, demonstrare vellet mirantibus rei novitem, hunc concursum populi circa se, *defendendi capitis*, hoc est, vitæ suæ causâ fieri; adversarii statim id ad Senatum deferentes, calumniosè *inter-*

pretati sunt, ac si diadema sibi imponi à populo, ut solus dominaretur, postulâsset. Qvâ ratione omnes adversus eum commoti fuerunt, unde exitium ejus secutum est, ut *Plut.* narrat.

V. Suprà alibi observavimus, *in liberâ republ. nihil esse pernicios ius, quam si diuturna imperia alicui permittantur*; dementantur enim homines plerumq; continuatâ potestate, & inflammantur cupiditate firmandæ sibi potentiæ, & opprimendæ libertatis. Qvocirca observanda illa A. N. verba de C. Graecho: *Jamq; nimius & potens altero tribunatu &c.* Id enim significat, ferociorem factum Gracchum, majoresq; spiritus ad turbandam miscendamq; rempublicam, & omnem potestatem sibi & plebi arrogandam nactum esse, qvòd iterum tribunus plebis factus esset. Sic *Vellejus lib. II.* Saturninum scribit *continuatis honoribus rempubl. lacerâsse.*

VI. Salvianus lib. I. de Gubern. Dei verba sunt: *Quicunq; mali sunt, successu rerum deteriores fiunt; gaudentes sibi nequitiæ studium benè cedere.* Et *Symmachus lib. X.* ep. 44: *Moribus scævis*, inqvit, *familiare atq; cognatum est, amare spiritum impunitatis exemplo; Cur enim secundum desperet effugium, qui laqueos criminis prioris evasit?* Hæc verissima esse, *Saturninus* ostendit; nam qvia impunè antè *Aulum Nonium* in Tribunatus petitione occiderat, non dubitavit deinde, in Consulatus petitione *Cajum Memmium* interficere; ne suis conatibus obesset. Id enim *plerumq; consueverunt* facere *seditiosi*

rosi & rerum novarum cupidi homines, *ut eos, quos suis conatibus obstituros viderint, quovis modo de medio tollant*; sed nunqvam perpetuò exultat improbitas, & illa ipsa scelera Saturninum perdiderunt; ut verissimè illud à Poëta dictum sit: *Successus ad perniciem multos devovet.*

VII. Metellus exilium sponte eligens potiùs, qvàm ut in leges Tribunitias contra auctoritatem Optimatum juraret, *exemplum* præbet *hominis existimationis ac decoris cumprimis studiosi.*

IIX. Observandum postremò est, qvanta soleat esse *vulgi levitas ac* inconstantia, qvòd *pari mobilitate animorum Gracchis & Saturnino adhæsit, & mox eosdem deseruit; desertos autem ac interfectos ita desideravit, ut propè divinis honoribus afficeret.* Eqvidem Gracchis non modò *posuisse statuas* Pop. Romanum, sed & *loca, in quibus peremti, consecrâsse*, & ibi sacra fecisse atq; orâsse; item omnes generis frugum primitias libavisse, *Plut.* auctor est in *Gracchis*; qvi idem memoriæ prodidit, *C. Gracchum* desertum à plebe, & fugientem, imprecatum Romano Pop. *ut per istâ ingratitudine ac proditione perpetuò serviret.* Sed & in *Mario* exemplum hominis mobilis & parùm fidelis, & fortunæ ac tempori se accommodantis, notandum, qvi *deseruit Saturninum, mutatâ ejus fortunâ*, & contra eum Optimatibus affuit, qvi tamen *antea fax & tuba actionum ipsius extiterat.*

AD CAPUT XVII.

I. *Druſus* Senatui ſuam dignitatem reſtituere conatus, & ab eo deinde deſertus, periculum vitæ incurrens, docet, *peſſimè ſæpiùs cadere, quæ optimè cogitata fuerunt*; & eam eſſe hominum perverſitatem ac ingratitudinem, ut *ſæpiùs pro beneficio noxam* reddant.

II. Idem, dum Senatorium & Eqveſtrem ordinem inter ſe conciliare ſtudet, utriusq; odium incurrens, docet, *rem plenam periculi* eſſe, *medium ſe interponere inter duos Potentes*; cùm ſæpiùs accidat, ut dum utriq; conſulere ſtudemus, utriusq; odium ac invidiam in nos concitemus.

III. Eſt & in Druſo *nimiæ & vitioſæ liberalitatis in plebem* notandum *exemplum*, qvi eò largiendo pervenerat, ut *nihil præter cœnum & cœlum ad largitionem ſe reliquiſſe* diceret, qvemadmodum A. N. & *Aurel. Victor* in *Vir. illuſtrib.* in vitâ Druſi memoriæ prodiderunt. Qvâ ratione ita exhauſtus fuit, ut plura contra dignitatem facere, ex qvibus pecuniam redigeret, compelleretur; qvâ de re (qvem modò citavimus) *Aurel. Victor*. narrat. Nam qvia inſtituerat largitionibus favorem populi ſibi conciliare, non poterat inde recedere, niſi ejus gratiâ excidere, qvin & illum ipſum adverſus ſe concitare vellet: Nam *vulgus perinde eſt, ac meretrices ſolent, quæ nunquam datis expleri ab amatoribus ſuis poſſunt*; qvos amant tam diu, qvàm diu eſt, qvod dent; ſi non ſit, deſerunt, & ſæpiùs odio habent.

bent. Qvocirca non largiendo, aut aliis rebus minùs honeſtis, ſed *verâ virtute benevolentiam populi*, ſi eâ opus, *conciliare nobis ſtudeamus*.

IV. Idem Druſus, qvi temerè Latinis populis ſpem civitatis fecerat, ut eos in partes ſuas pertraheret, oſtendit, etiam atqve etiam *videndum, quid promittemus*; ne ſi qvid hîc factum conſultè minus, ea ſtultitia poſtea nobis magno luenda ſit. *Conſiderandum igitur probè, quid noſtræ opis ſit, quid in manu noſtrâ poſitum; nam in aliis ſpem certam ponere ſtultum eſt*, cùm homines vario & mutabili ingenio eſſe, & plures caſus intervenire ſæpius ſoleant.

V. Collapsâ juſtitiâ periclitari rempubl. nemo negaverit, qvippe qvæ eâ tanqvam fundamento innititur. Sic cùm Eqvites pro lubitu corruptè judicia adminiſtrarent, cauſam mutationis præbuére; ex qvâ poſteà ſeditiones & bella orta ſunt.

AD CAP. XIIX.

I. Cùm Italici populi ſe planè fruſtra eſſe, de conſeqvendâ civitate Romanâ, occiſo per ſcelus Druſo, animadverterent; deficientes à Romanis, de invadendâ & opprimendâ republ. conſilia clàm ineunt; & tandem mutuo datis obſidibus inter ſe conſpirant. Latuit ea res Romanos propter certamina, qvæ tum in urbe inter Senatum & Eqvitem fervebant; ceterùm cùm patefactam & detectam cernerent, miſére legatos Itali, qvi qvererentur apud Senatum, qvòd cùm feciſſent

sent omnia sedulò, qvæ ad recuperandam ejus auctoritatem majestatemqve facerent, & Druso singularem operam Patrum commodo navâssent, haud digni tamen essent visi, qvi eâdem civitate reciperentur; qvibus *cùm superbiùs respondisset Senatus, quàm tempus ferret*, illi desperatis rebus bellum modis omnibus inferendum urgendumqve censuerunt. Sic ventum ad arma, & magnæ clades Pop. Romano illatæ. Ex qvo documentum capere licet, qvàm *periculosa res* sit, *subditos, si quâ injuriâ affecti fuerint, & jam rebellionem & arma apertè moliantur, ad desperationem adigere.* Itaqve rectè *Tacitus*, prudentissimus auctor alibi scribit: *In turbas & discordias pessimo cuiq; plurima vis; pax & quies bonis artibus indigent.*

II. Cùm scribit A. N. nec *Hannibalis* nec *Pyrrhi*, acerrimorum hostium Romani nominis, vastationem tantam fuisse, qvàm qvæ hoc bello sociali illata; ex eo cognoscere est, verum illud vulgatum esse, *civilia bella* (tale enim revera hoc *Italicum* fuit, ut A. N. censet) *multò atrociùs semper atq; crudeliùs, quàm externa geri.*

III. Optimam ratio est, si, cùm plures in nos conspirârunt populi, in singulorum fines ingrediamur (si possit fieri) eosqve oppugnemus, ita enim alter alteri opem ferre non poterit: Unde *fiet, ut, dum singulos pugnare oportet, universi vincantur*; *quod* de Britannis *Tacit. in vitâ Agric.* refert.

IV. Qvamvis Romani victores tandem contra

tra Socios fuerint, tamen qvia timendum erat, ne bellum redintegraretur (qvæ res magnum malum & detrimentum afferre potest) cùm ipsi non minùs qvàm victi, exhausti & exarmati essent, *omnibus iis populis civitatem dedêre*; ita finitum bellum & pax facta est, ut ex *Appiani lib. I. de Bell. Civil. & Patercul. lib. II.* constare possit. Hic mirari Romanorum stultitiam licet, qvi antè petentibus, & de se optimè meritis id denegârunt, qvod nunc necessitate compulsi, & post multa accepta damna, ipsis pænè obtulerunt; sed tunc, qvod contra Drusum conceperant, odium ipsis obfuit. Inde constare potest, *animum & irâ & odio occupatum, id, quod verum sit, & quod ad rem maximè faciat, perspicere non posse.* Egregiè *Cæsar apud Sallust.* in Catil: *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitiâ, irâ, atq; misericordiâ vacuos esse decet; haud facilè animus verum providet, ubi illa officiunt; nec quisquam simul omnium libidini & usui paruit.*

AD CAP. XIX.

I. Cùm post secundum bellum Punicum Siculi facultates suas in immensum auxissent, & cives Romani, præcipuè Eqvites, plura prædia, ut est ea terra frugum perqvam ferax, comparâssent; factum, ut ingentem sibi servorum numerum, qvorum operâ agros colerent, greges atqve armenta pascerent, alias res rusticanas administrarent, emerent, Cum verò eosdem duriter, & inclementer

haberent, neqve ſuppeditarent ſatis, qvibus ad alendum amiciendumq; corpus opus eſſet; latrociniis aſſvefacti, inter ſe tandem conjurârunt, *Euno Syro* creato Rege, qvi cùm Prætorem Hypſæum viciſſet, eorum copiæ ad ducenta millia excrevêre; ut *Diod. Siculus* narrat. Ex qvo conſtare poteſt, qvantus *amor libertatis à naturâ omnibus inſitus* ſit mortalibus; qvi ſervitutem tam diu ferunt, qvamdiu tolerabilia imponuntur: Qvòd ſi intenderis nimis, & jam non ſicut homines, ſed infra beſtias ferè habeas; & ignaviſſimi ad vindicandum ſe in libertatem invitabuntur. Hujusmodi exemplum & ætas majorum nobis ſuppeditat, cùm per *omnem Germaniam periculoſiſſimo motu ruſticana plebs ſurrexit, quòd inhumaniter premi à ſuis Dominis ſibi videretur*; de qvo *Sleidan. lib. IV.* & alii.

II. Eunus præſtigiator oſtendit, qvàm *efficax* ſit *ſuperſtitio in rebus novis moliendis*, & ad occupandos animos hominum, qvi qvò imperitiores fuerint, eò magis in ſuperſtitionem proni ac credduli ſunt. Sic *Mahometes*, obſcurus genere, præſtigiis ſuis effecit, ut non tantùm Propheta ab omnibus haberetur, ſed & *primus Ismaëlitica gentis principatum conſtitueret*, ex qvo immenſa illa Imperatoris Turcici potentia initia duxit, ut *Zonaras* lib. *III.* Annal. Chalcocondylas, & alii docere poſſunt. Sic *Thomas Münſterus* Enthuſiaſta, fanaticis ſuis perſvaſionibus tantam multitudinem ruſticorum, cùm in ſuam ipſorum perniciem tùm in totius

totius patriæ diſcrimen concitavit; de qvo præditus *Sleidan. lib. V.*

AD CAPUT XX.

I. Cùm ſervi & gladiatores effractis ludis profugi, poſtqvam iniiſſent conjurationem, nec armis inſtructi ſatis, nec exercitati ad militiam, & gnari bellorum fuêrint, tantis tamen cladibus affecerint Romanos; conſtare exinde poteſt, qvàm *pernicioſum* ſit, *homines eò redigere injuriis, ut cùm nihil habeant, quod ſperent, tentanda extrema potiùs, & vitam* ſpernendam libertatis gratiâ *cenſeant.*

II. Spartacus, acerrimus, dux qviq; nî occubuiſſet, in magnum diſcrimen Romanam rem adducturus videbatur; ut *Athenæus* de eo ſcripſit: Item *Athenio* paſtor non minùs ſtrenuè contra Romanos gerens rem, docent, *magnos ſæpe duces ex viliſſimis hominum factos eſſe.* Sanè & *Maximinus* Imp. qvi ipſi *Alexandro Severo* ſucceſsit, & *Thrax* fuit, & paſtor; ut *Julius Capitolinus* & *Herodianus* de eo tradunt.

AD CAP. XXI.

I. Bellorum civilium prima plerumq; ac præcipua cauſa, & *ambitio* & *dominandi cupiditas* eſt; nam cùm alii ſoli rerum potiri volunt, oppreſsis ceteris; iſti verò ſe ab injuriâ vindicare conantur, in arma utrinqve ruitur. Docet hoc ipſum, qvod inter *Syllanos* & *Marianos* geſtum bellum eſt: *Initium*, inqvit A. N. *& cauſa belli, inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Sylla provinciam Sulpitiâ lege ſolicitat, &c.*

II. Ma-

II. Magno animo & virtute, factorumqve gloriâ *conspicuis viris, Majestatem quandam accedere, quâ inermes etiam invicti sint*, Marius docere potest, qvem captivum nemo voluit occidere: Tandem, cùm qvidam è Cimbris ad eum occidendum missus esset, eum *aspectu & paucis verbis ita terruit, ut abjecto gladio illicò capesseret fugam, confessus se Marium prorsus non posse occidere*; ut *Plut. in Marii vitâ* narrat. Sic *Julius Cæsar* à piratis captus, tantùm abfuit, ut periculum aliqvod adiret, qvamvis subindè crucem illis interminaretur, ut potiùs terrori ac reverentiæ esset, ut de eo *Vell. Pater. Sveton. & Plut.* testantur.

III. Magnos viros ex ipsâ miseriâ & sordibus, in qvas conjecti sunt ex magnâ fortunâ, majorem dignitatem consequi, & invenire, qvi moti misericordiâ se iis adjungant, eosq; in pristinum culmen restituere conentur, idem *Marius* nos docet. *Redit ab Africâ Marius*, inqvit A. N. *clade major, &c.* Et mox: *Itaq; ad tanti viri nomen latè concurritur & facilè invenit exercitum miser Imperator.* Est enim natura hominum ita ferè comparata, ut afflictis atqve inferioribus plerunqve faveat. *Seneca* Thebaide: *Inclinat animus semper infirmo favens; Miseros magis fortuna conciliat suis.* Et *Valer. Max. lib. V. c. 3.* ait: *Etiam quos injuria invisos faciunt, gratiosos miseria reddunt.*

IV. Idem Marius, post tot consulatus, qvi summus & maximus honor Romæ, post tot triumphos splendidissimos, ejectus patriâ, profugus & errans,

rans, captivus tandem, & rursus liber, sed in peregrinâ terrâ inopem vitam degens; mox tamen omnia qvæ amiserat, patriam, honores, Magistratum recuperans; vicissitudinis rerum humanarū, & *variabilis fortunæ insigne exemplum* præbet. Idem docet, *militaria ingenia*, ut qvæ adsveta sint pleraq; vi agere, *ad gubernacula civilia ferè inepta esse*; certè *vix pati quietum civitatis statum.* Marius enim cùm in bello optimus & reipubl. perqvam necessarius vir probatus esset, *in pace perniciosissimus* extitit.

V. Bella civilia sævissimè & crudelissimè administrari, suprà observavimus; ea autem crudelitas non tam in bello, qvàm in victoriâ regnat. Unde *Cic. lib. IX. ad Famil.* epist. 6: *Extremum est malorum omnium civilis belli victoria.* Et iterum *lib. IV.* ep. 9: *Omnia sunt misera in bellis civilibus, sed nihil miserius, quàm ipsa victoria; quæ etsi ad meliores venit, tamen eos ipsos ferociores impotentioresq; reddit; ut etsi naturâ tales non sint, necessitate cogantur.* Qvæ autem ista necessitas sit, *l. XII. epist.* 18. aperit. *Bellorum civilium*, inqvit, *hi semper exitus sunt, ut non ea solùm fiant, qvæ velit victor; sed etiam, ut iis mos gerendus sit, quibus adjutoribus parta sit victoria.* Sanè, qvæ crudelitatis exempla post partam à *Mario* victoriam in urbe edita sint, ex A. N. licet facilè colligere; minor tamen illa sævitiâ *Syllanâ* fuit, qvod item ex A. N. patet. Causa, qvòd *ad furorem* & iram *avaritia* etiam *accederet*; qvicunq; enim opulentior erat, ille inter inimicos scribebatur: Sic

fie-

fiebat ut, nocentes pariter & innocentes tollerentur; atq; is modus pœnarum esset, qvi fuisset cupiditatis. Hæc autem exercebat Sylla, non tam ut sibi morem gereret, sed ut iis gratificaretur, qvi in suis partibus fuissent. Qvò pertinere videtur illud *Cic.* qvod ex *lib. XII. ep.* 18. adduximus. Nam ante victoriam, atqve adeò in ipso bello, Sylla se semper clementem maximè & lenem ostenderat, ita ut plures hostium, qvorum potitus erat, dimitteret, inter qvos & *Sertorius* fuit; ut *Vell. Patero. & Plut. in Syllâ* testantur.

AD CAPUT XXII.

I. Sertorius, summæ, ut A. N. loqvitur, sed *calamitosæ virtutis exemplum* est. Nam qvamvis fortitudine atqve audaciâ, prudentiâ etiam atq; consilio, nemini vel maximorum Imperatorum cederet, aliqvos etiam superaret; tamen perpetuò cum adversa fortuna conflictatus est. Et qvamvis qvietis & tranqvillitatis maximè esset cupidus, tamen semper lacessitus ab inimicis, decertare adversus ipsos necessitate coactus est; donec tandem post multas peregrinationes, domesticorum scelere (nam virtute & armis invictus erat) extingueretur. Legendus *Plut. in ejus vitâ.*

II. Generosos, & *splendidis natalibus ortos*, plerumq; *feroces* esse, & *despicere alios*, & ægrè ferre, si qvi virtute magis & rerum gestarum gloriâ, qvàm nobilitate summum locum obtineant, & contra eos stimulari, ita qvidem ut se turpissimis scele-

sceleribus sæpè obstringere non dubitent, *Perpenna* docet; qvi correptus ejusmodi vano spiritu, *Sertorium*, ut ejus imperium in se, qvasi dignior rem, propter splendorem natalium, derivaret, conjuratione initâ occidit; ut *Plut. in vitâ Sertor.* narrat.

III. Similitudinem morum præcipuum esse in conciliandis amicitiis, in manifesto est. Sic *Sertorio, viro*, id est forti & bellicoso homini, *cum viris*, hoc est, fortissimâ & bellicosâ Hispanorum gente, *facilè*, ut A. N. loqvitur, *convenit*. Sanè *vetusta*, & jam diu *propria Hispanorum laus* est, ut *bello præsent. & mortem fortiter contemnent*; præcipuè verò *studiosissimi libertatis* sint. Nam & A. N. infrà, *l. IV.* gentem *ferocissimam & jugi impatientem* vocat.

AD CAP. ULT.

I. Etsi acta Syllæ longè iniqvissima erant, & ita justè rescindi poterant; tamen qvia id sine maximâ reipubl. commotione & præsentissimo periculo, eo qvidem tempore, fieri non poterat, meritò eo nomine reprehendit *Lepidum* A. N. qvòd id tum aggressus fuerit; & conjecturam inde capit, *novandarum rerum studio magis, qvàm amore patriæ & civium*, id consilium cepisse. Eo enim animo qvi sit, id potiùs studet, ut qvalemcunq; qvietem, qvam tum à bellis nacta civitas, conservet; qvàm ut novorum motuum præbeat materiam. Pertinet hoc ad *observationem primam cap.* 14. *hujus lib. III.*

II. Suprà notavimus, civilium bellorum *victo-*

res

res, ipsâ plerumq; victoriâ crudeles fieri, nec finem eundem habere cædibus, qvi bello fuit; qvod & A. N. in fine hujus capitis significat, cùm *Catulum* & *Pompejum* laudat, qvòd *ultra victoriam nihil savierint*, qvanqvam plerumqve in bellis civilibus id fieri soleat; qvæ *laus* certè *egregia* est. Namq;, ut rectè *Publ. Syr.* dixit: *Bis vincit qui se vincit in victoriâ.* Cicero *J. Cæsarem* oratione *pro Marcello* celebrat: *Ceteros quidem omnes victores*, inqvit, *bellorum civilium, jam ante æquitate & misericordiâ viceras; hodierno verò die teipsum vicisti: Ipsam victoriam vincisse videris, cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cùm ipsius victoriæ conditione, jure omnes occidi possemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus.*

AD LIB. IV.

I. Qvi ad turbandam rempubl. & res novas moliendas adjiciunt animum, in id fermè cupiditate aut honorum ac dominationis, aut divitiarum ac opum, impelluntur: Ac *Cæsari* qvidem *Pompejoq; ambitio* movendis bellis civilibus causam dedit, cùm alter parem pati non posset, alter superiorem ferre neqviret; ut fermè noster auctor loqvitur *cap.* 2. Ceterùm qvi *divitiarum cupiditate* agitantur, non unius generis sunt: Alii enim cùm *opulentissimi* sint, *auctiores* tamen *opes* malint, novas res moliuntur turbantqve rempubl. ad qvam classem *Crassus* pertinet, qvi de invadendâ republ. societatem cum *Pompejo* & *Cæsare* iniit, qvòd

qvòd in maximis opibus satiari auro non posset, de qvo A. N. *cap.* 2. Pari modo & *Lepidum* divitiarum cupido transversum egit, ut A. N. *cap.* 6. significat. Alii verò, qvi *ex* summâ & *opulentâ fortunâ*, per dissolutam & *luxuriosam vitam*, *ad summam inopiam* redacti, & ære alieno supra modum oppressi sunt; interea tamen nihil sibi è veteri consvetudine vivendi detrahi volunt, non certiore ratione se rebus suis consulere posse autumant, qvàm si per patriæ ruinas suarum fortunarum evadere conentur; cùm videlicet turbatâ republ. & locupletissimis qvibusqve vel cæsis vel proscriptis, immensa bona in prædam se redacturos præsumunt: Qvalis *Catilina* fuit, qvem luxuria primùm, tum hinc conflata egestas rei familiaris, in nefaria opprimendæ patriæ suæ consilia compulerunt, ut A. N. *initio c.* 1. scribit. Ex qvo intelligi qvoqve potest, qvàm *perniciosum sit fœdarum cupiditatum studium*, cùm id & egestatem attrahat, & animum corruptum in qvævis nefaria, etiam maxima facinora impellat.

II. *Phædri* versus est: *Plus est in uno sæpè quàm in turbâ boni.* Qvem verissimum esse Cic. sub conjurationis Catilinariæ tempus ostendit; nam absqve ejus industriâ prudentiâqve singulari, & prope divinâ, ut & efficaci eloqventiâ si fuisset, procul dubio periisset respubl. qvod A. N. significat his verbis: *Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem & Antonium Consules* inci-

incidiſſet. Qvamvis autem eam laudem cum *Antonio* communem faciat, tamen ad *Ciceronem* pertinere præcipuè, qvin ejus ſolius propriam eſſe, vel hinc poteſt intelligi, qvòd niſi Cicero arte qvadam tractâſſet Antonium, ille ipſe Conſul (qvòd ſimiliter, ut Catilina, ex vitâ, qvam luxurioſiſſimam egerat, ære alieno ſupra modum laboraret) ad hoſtes tranſiturus fuiſſet. Legendus *Plut. in vitâ Ciceronis.*

III. Hanc *eſſe perditorum hominum naturam, ut cùm conſilia* ſua nefaria *exitum non habitura videant*, priusqvàm cedant, & ad frugem redire velint, *omnia potiùs ſecum in præceps trahere, & uno caſu tam ſuas quàm aliorum fortunas involvi cupiant*, Catilina exemplo eſt; qvi deprehenſus, & jam convictus conjurationis, qvamvis per vigiliam Conſulis malè cogitata perficere non poſſet, nihilominus tamen tentare arma, & vel extrema in perniciem patriæ periclitari maluit, qvàm cedere & patriam in tuto collocare. Hoc eſt, qvod dixerat, ſe *illud incendium*, qvod per ipſum *excitatum* Cicero dixerat, ruinâ *reſtincturum eſſe*; de qvo A. N. *cap.* 1. item *Salluſt. & Valer. Max. lib. IX. cap.* 11.

IV. Lentulus *deceptus vaticiniis*, qvæ ſibi regnum Romæ portendere videbantur, Catilinæ adjungens ſe, & ob id poſteà necatus in carcere, oſtendit, qvàm *minùs conſultum* ſit *hujusmodi vanitatibus ac ſuperſtitionibus attendere.*

V. Qvem-

V. Qvemadmodum factioſi *cives* tum qvidem potiſsimùm *ad moliendas res novas* inducunt animum, qvando *reſpubl. externis bellis* implicita eſt: Ita contra *hoſtibus* ingruendi, aut *malâ fide domitis* rebellandi, *civiles diſcordiæ occaſionem* præbent. Sic Catilina illa nefaria conſilia de incendendâ urbe & opprimendâ republ. iniit, *cùm arma Romana*, ut A. N. *initio cap.* 1. ſcribit, *in extremis finibus mundi peregrinarentur*; tum enim *Pompejus* cum omni exercitus robore aberat, adverſus *Ponti & Armeniæ* Reges res gerens. Contrà *Pharnaces*, Ponti Rex, invaſit *Cappadociam*, Romanorum provinciam, cùm bellis civilibus diſtineretur *Cæſar, magis diſcordiæ noſtræ fiduciâ, quàm virtutis ſuæ*, ut A. N. *cap.* 2. ſcribit. Simili occaſione & *Parthos* erupiſſe, & abſtuliſſe *Syriam* Romanis A. N. *cap.* 9. ſignificat. *Nec illa tot toto orbe diſperſæ gentes, quas Auguſtus Cæſar pacandas domandasq; habuit*, ut A. N. *cap. ultimo* refert, *aliâ ratione ad rebellandum invitatæ fuerunt, quàm quòd civilibus bellis enervatæ Rom. Imperii opes putarent*; *in quo tamen omnes longè decepti fuerunt.* Ex qvo colligere licet, *non ſatis tutum* eſſe ac benè conſultum, *populum* aliqvem, aut *regnum*, qvod civilibus bellis diſſideat, *invadere*, qvamdiu videlicet magni & acres duces ſuperſint: Et *ne vel urbem quidem inteſtinis diſſidiis laborantem invadi & occupari poſſe*, ſed longè *aliis artibus opus* eſſe, *Machiavellus* diſſerit *lib. II. diſp. cap.* 25.

VI. *In* bellis, *Civilibus* præcipuè, *nec honestatis nec pietatis rationem haberi*, & omnia *solâ libidine alteri parti nocendi* peragi, certum est. Hinc *debilior* non dubitat sæpiùs vel *cum ipsis patriæ hostibus juratis ferire fœdera*, eosq; in exitium communem arcessere aut juvare; qvod *Sertorius* in *Mithridate* fecit, de qvo A. N. *præcedent. lib. c.* 22. Sic *Brutus Cassiusq;* per Labienum *Parthos* in auxilium sollicitârunt; de qvo A.N. *hoc lib. c.* 9. Ubi probè observanda illa verba de Parthis usurpata: *Hostibus sub auxilii specie sibi vincentibus.* Nam verbo auxilia ferunt *externæ copiæ*, reipsâ *sibi militant, vindicantq;, ut propria, qua expugnaverint*: Qvocirca in civilibus dissidiis, qvantum qvidem fieri poterit, *externa auxilia temerè arcessenda non sunt*: modò non tam consulere patriæ ac reipubl. qvàm eam opprimere velimus.

VII. Inter eos, qvi *dominationis* qvidem *cupidi*, ceterùm *singuli imbecilliores* sunt, qvàm ut adspirare eò possint, *facilè iniri societatem, Pompejus Crassusq; & Cæsar*, de qvibus A.N. *cap.* 2. Itemqve *Antonius, Lepidus & Augustus*, de qvibus idem *cap.* 6. narrat, ostendunt: Has tamen societates tam diu duraturas, qvamdiu ipsi mutuo metu continentur, iidem demonstrant. Hic enim *ubi* sublatus fuerit, & *alter altero magis pollere videbitur*, illicò illud *fœdus dissiliet*; fietq;, ut qvi *hactenus eò spectaverat, ne opprimeretur ab aliis, nunc in id nitatur, ut ipse alios opprimat.* Est enim hæc natura

tura hominum, ut subinde magis magisq; ambitiosi fiant. Ita *Pompejus* extincto *Crasso* de opprimendo *Cæsare* consilia iniit, cùm præfractè negaret Cæsari omnia, qvæ ipse sibi indulgebat. Ex qvibus causis deinde ventum ad arma, victusq; à *Cæsare Pompejus* est. Sic ubi victo *Bruto Cassioq;*, *Lepido* verò debilitato, *Antonius* ferociter habere *Augustum* cœpit, & summam rerum ad se derivare; illicò ruptum fœdus est, & hostes facti, qvi antè rempubl. inter se diviserant. Nam *omnis semper potestas consortis impatiens est.*

VIII. Qvi bella gerit, ei *videndum* præcipuè, *ut, quæ relinquit à tergo, fida sint*; qvò & *commeatus* subvehi possit, & ipse semper cum copiis *tutum receptum* habeat. Hoc consilio Cæsar pulsum fugatumq; Pompejum non antè persequi voluit, qvàm cùm provincias ordinâsset; ut *Florus* noster scribit *cap.* 2.

IX. *Massilienses* ardentibus inter *Cæsarem & Pompejum* bellis, cùm neutri parti se adjungere, tuendæ pacis causâ, statuissent, Cæsari transitum negavêre, confisi potissimùm loci ingenio, munitionibusqve ac propugnaculis, qvibus munita ea civitas erat; sed qvia nullis copiis instructi erant, & imbecilliores, qvàm ut firmissimum Cæsaris exercitum repellere possent, dum cupiunt pacem, belli metu in bellum inciderunt, victiq; sunt; ut A.N. *hoc ipso cap.* narrat. Unde constat, qvàm *perniciosum* sit, *medium sese præstare partibus*; præcipuè, *si quis debi-*

lior sit, & patùm instructus copiis; tunc enim potiùs id *arripiendum consilium est, quod necessitas & occasio suggerit*, qvàm quod è dignitate nostrâ qvàm maximè fuerit; in qvam rem & alia exempla *Machiavell. lib. I. Disp. in Liv. c. 33.* adducit.

X. Qvàm *studiosus decoris & dignitatis* Popul. Romanus, & supra qvàm dici potest, generoso animo fuerit, ex eo intelligere licet, qvòd sæpiùs sibi ipsi *vitam adimere mallent*, mortemq; conscisceret, *quàm in potestatem victoris venire*; & qvod miserrimum viris fortibus, ad hostium arbitrium, sub percussore mori, ut A. N. *cap.* 8. scribit. Sic *Opitergini*, de qvibus *cap.* 2. ne in deditionem venirent, hortante Tribuno *Vultejo*, mutuis ictibus in terse concurrére. Sed hoc præcipuè duces, & nobilissimi qviq; proprium habuere; Exempla præbent *Scipio*, *Juba*, *Petrejus*, *Cato*, *Brutus*, *Cassius*, & ipse tandem *Antonius*; qvi omnes ita statuebant. *Aut honestè vivere, aut statim mori generosum oportet*, qvemadmodum ille apud *Sophoclem* ait. *Notandum* tamen, *plerosq;* in conscisendâ sibi morte *aliorum manu usos*; & habebant ferè è *ministris aliquem*, qvem in hanc ultimam necessitudinem sibi obligârant; qvalis *Eros* Antonii & *Pindarus* Cassii fuit, de qvibus *Plut.* Causas, *cur servorum potiùs quàm suis manibus* uterentur, A. N. *in fin. cap.* 7. adumbrare videtur. Sed *Barbari* plerumq; *veneno* sibi vitam intercipiebant, qvemadmodum & *Cleopatra* periit, & *Hannibal*; qvi diu antè

antè semper secum venenum in casum hujusmodi præparatum habuisse, à *Corn. Nepot.* & aliis scribitur: & *Regium morem* fuisse, *ad incerta fortunæ venenum habere in promptu*, Livius alibi scribit: Hæc autem *venena* plerumq; *in annulis* habuisse *abscondita*, aliqvot exemplis doceri posset; sed videatur *Kirchman.* eleganti *Comm. de Annulis. cap.* 21. extremo.

XI. *Celeritatis bellicæ* egregium exemplum *Cæsar* in opprimendo *Pharnace*, Ponti Rege, Mithridatis filio, præbuit, qvem præferocem successu multiplici, intra qvintum, qvàm adfuerat, diem, qvatuor, qvibus in conspectum venit, horis, unâ profligavit acie. Inde *Pontico triumpho, inter pompæ ferecula, trium verborum prætulit titulum: VENI, VIDI, VICI, non acta belli significantem, sicut ceteri; sed celeriter confecti notam*, ut *Svet. in Cæsar. cap.* 37. narrat. Qvo A. N. respexit *cap.* 2. scribens: *Sed hunc Cæsar aggressus, uno, & ut sic dixerim, non toto prælio, obtrivit; more fulminis, quod uno eodemq; momento venit, percussit, abscessit.*

XII. Ad *inducendam constantiam* animo, & *generosa consilia capessenda*, multùm non solùm facere præclara exempla, sed & scripta sapientum, *Cato* ostendit; qvi cùm constituisset secum, sibi inferre manus, ne, si in *Cæsaris* potestatem veniret, libertatem & sectæ disciplinam (erat enim *Stoicus*, qvi vitam inter ἀδιάφορα ponebant, eamq; deponendam existimabant, si satis honestè degi amplius

pliùs non posset) prodidisse videretur; ut confirmaret animum, & à terrore mortis, qvi naturaliter homines qvodammodo infestat, liberaret, *Platonis* dialogum (qvi *Phædon* inscribitur; in qvo de *immortalitate animarum* disputatur, eaq; egregiè asseritur) bis, ut *Plut. in ejus vitâ* autor est; & A. N. *cap.* 2. attingit, eâ nocte, qvæ ultima & suprema ipsi fuit, evolvit. Nam qvi *credit æternas animas*, & mortis expertes, *contemnere vitam facilè potest*. Qvamvis autem admiratione maximè dignus Cato, & imitand⁹ qvoq; sit, qvatenus generoso & magno animo contemsit mortem, & vitâ potiorem existimavit libertatem; in eo tamen *reprehendendus* est, *quòd ipse sibi intulit manus*. Id enim nec Christiana philosophia admittit, & ipse *Socrates improbavit*. Namq; in illo ipso Phædone Socrates ἀυτοχειρίαν, ut *sapiente indignam*, prorsùs damnat, vetatq;, non jubente summo vitæ duce atqve auctore, de statione præscriptâ qvenqvam egredi. Sed Stoicorum doctrina magis valebat apud Catonem, qvàm ut moveretur iis, qvæ contra ἀυτοχειρίαν illo Platonis Dialogo legerat; namq; à teneris veluti Stoicorum sectæ addictus fuerat.

XIII. Nulla *bella majore vi* qvàm *civilia* geri, & inde qvoq; constare potest, qvod A. N. *cap.* 2. scribit: *Nunquam ullo loco tantum virium Pop. Romanus, tantum dignitatis fortuna vidit. Trecenta amplius millia hinc & illinc, præter auxilia Regum & Senatus*: Loqvitur de Pompeji & Cæsaris copiis. Qvan-

Qvantâ autem pertinaciâ eadem geri soleant, inde constat, *quòd non nisi alterius partis* ducibus penitùs *oppressis finiri consveverint*; ex iis enim qvamdiu supersunt aliqvi, vix est, ut tutam fidamqve qvietem sperare liceat. Sic qvamvis *Pompejus* victus in *Thessaliâ*, & in *Ægypto* tandem scelere ingratissimi Regis occisus esset, tamen qvia adhuc *Catones* & *Scipiones* & ipsi *Pompeji* juvenes in illis partibus superarent, alia aliaq; nunc in *Hispaniâ*, nunc in *Africâ*, nec minùs acria bella, eruperunt; qvippe qvi non tueri partes tantùm, sed & acceptas clades vindicare vellent, exacerbati magis amisso capite, qvàm fracti. Qvo illa A. N. verba pertinent *cap.* 2: *Auxerat sacramentum clades Imperatoris &c.* Sic nec *Augustus* reddere pacem reipubl. potuit, priusqvàm *Antonius*, *Brutusq;* & *Cassius*, ac qvi adhuc supererat, *Pompejus junior*, periissent.

XIV. Præcipua in Imperatore virtus, *rectè cœptorum consiliorum constantia*; namq; si gratiæ ducum aut sociorum studere velit, & sese flecti in aliam partem patiatur, rem facilè perdet, qvod Pompejo evenit; qvi si diutiùs traxisset bellum, ut constituerat, & potiùs intercluisset hostem commeatu, qvàm cum eo confligere maluisset, adductus ad id ducum suorum & sociorum assiduis vocibus; in eas difficultates, qvas expertus posteà est, procul dubio non incidisset: Itaq; notanda illa A. N. *cap.* 2. verba: *Pompejus ad-*

versus hæc nectere moras, & qvæ seqvuntur. Item qvæ ibidem leguntur: *Nec diutiùs profuit duci salutare consilium, &c.* Nisi & qvid fatale tunc interveniſſe arbitrabimur: *Est enim ineluctabilis*, ut *Vell. Patere.* verba sunt, *fatorum vis, quæ cujuscumq; fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.* Et huc A. N. intendere videtur, cùm eo ipso loco scribit: *Sic præcipitantibus fatis, prælio sumta est Thessalia.*

XV. Magnos motus conversionesq; rerum, & qvæ illustribus maximè viris pericula imminent; vel à prudentibus viris, vel à fanaticis prædici, vel somniis prodigiisvé cœlestibus, & aliis signis præmoneri plerumq;, certum est; & hujus rei aliqvot exempla illustria *hoc quarto libro* notare licet. Etenim & *cap.* 2. perstringit A. N. ea prodigia, qvæ cladem *Pharsalicam* præsignificârunt; & *in fine ejusdem capitis*, de iis ostentis commemorat, qvibus *Cæsar* de imminente sibi cæde admonitus fuit. Sed & *cap.* 7. qvædam commemorat, qvibus *Bruto Cassioq;* interitus præsignificatus est; ubi & somnium medici narrat, qvo *Augustus* servatus est. Et talia plura non modò in veteri, sed & novâ & nostrâ historiâ occurrunt. Maximè autem verosimile est, *hæc providentiâ Dei singulari fieri*, ne se non monitos esse causati homines, aut moniti, ad ferenda qvæcunq; incidunt, se comparare non possint. Sed qvàm *difficile* arduumq; sit, *devertere fatalia*, Pompejus Cæsarq; & Brutus cum Cassio

sio clarè docent, sive qvòd *mentes auferre Deus soleat*, qvos perdere constituit, ut ebrii suâ fortunâ & supra modum elati, majores sibi videantur, qvàm ut lædi possint; sive qvòd generosi, & gloriæ ac laudis cupidi animi, contemnere ferè mortem soleant, & præstantissima pericula non tam adire, sed & provocare malint; qvàm vel levissimam timeris, atq; ignaviæ suscipionem de se præbere. Qvod in *Iuliano* qvoq; *Victorinus*, sive *Victor junior*, ut ab aliis vocatur, notat; cujus hæc verba sunt: *Ita illum gloriæ cupido flagrantior pervicerat, ut neq; terræmotu, neq; plerisq; præsagiis, quibus vetabatur petere Persidem, adductus sit finem imponere ardori &c.* Nec aliter de *Casparo Colinio*, Galliarum Regis summo maris præfecto, qvi tum Protestantium partibus caput dabat, longè & genere & virtute illustrissimo Heroë, statuendum est. Nam, qvamvis à multis admonitus esset, sibi exitio futurum, si *Navarræ* Regis nuptiis interesset *Parisiis*, qvarum occasione postea illa *nobilis laniena* A. 1572. die Bartholomæi peracta est; omnia tamen ille longè contemsit & sprevit, dictitans: *Certum sibi esse, mori potiùs, & per urbis vicos raptari* (qvod utrumq; ipsi accidit postea) *quàm ut diffidere Regi posset videri.* ut maximus seculi nostri Historicus, *Jacob. Augustus Thuanus initio lib. L II. Histor. & lib. I. de Vitâ suâ* refert.

XVI. Nunc paucis perstringemus, *quid in singulis* horum bellorum civilium, qvæ isthoc libro expo-

exponuntur, *præcipuis ducibus* notanda sunt. Ac in *Pompejo* qvidem cumprimis obſervanda *moroſitas* ejus aſperitasq; eſt, qvâ negavit Cæſari, qvæ ſibi omnia permittebat: deinde inconſtantia & vanitas ejus nimia, qvâ ſe à rectis conſiliis dejici paſſus eſt. De cetero clariſsimum *exemplum* præbet *inconſtantiæ rerum humanarum* & qvàm nihil certum ac ſtabile ſit, vel in ſummâ maximâq; poteſtate; *ut oſtendiſſe fortuna videatur, quid in utramq; partem poſſet*: Nam qvi triumphis ſuis totum orbem impleverat, etiam in ſummâ univerſi orbis rep. ac urbe principe, ſummus ipſe, & Princeps eſſet; adeoq; humanæ conditionis faſtigium qvodammodo egreſſus videri poſſet: Idem, victus poſteà, cùm nec haberet, qvo tutò fugere poſſet, & mox imperio arbitrioq; mancipii Ægyptii jugularetur; num unqvâ inferius dejici potuiſſet?

Ptolemæus verò Ægypti Rex, oblitus beneficiorum ingentium, qvæ Pompejus in patrem ejus contulerat, oſtendit, pro maximis benefactis plerumq; *malam gratiam* reddi. Egregia ſunt *Vell. Pater.* verba, qvibus hoc ipſum facinus deteſtatur: *Sed quis*, inqvit, *in adverſis beneficiorũ ſervat memoriam? aut quis ullam calamitoſis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem?* Qvi tamen ipſe *Ptolemæus* poſteà dignas perfidiâ ſuâ pœnas vel ipſius Pompeji hoſti *Cæſari* dedit: Nam, ut verè Poëta dixit, *nunquam impunita ſcelera perpetuò manent.*

In

In *Cæſare* acerrima virtus *induſtriaq;* & *gnavitas* & ſumma *rei militaris ſcientia*, cum pari magnitudine mentis *promptâq;* *audaciâ* (cui tamen ſua ſemper fortuna adeſſet conjuncta) notanda ſunt; qvibus tot maxima bella geſsit, tot præſentiſsima pericula ſuperavit ac vicit; tantam deniq; potentiam conſecutus eſt. Qvanqvam & multùm eò fecit *vis* & *conſtantia* viri, qvâ adverſitatibus omnibus ſeſe oppoſuit, illasq; ſuperavit ac vicit. Sed & *eloqventiam* A. N. inter eas reſponit, qvibus fretus Cæſar, ſummum illud faſtigium occupavit. Admiranda & ejus *clementia* eſt, qvâ & in prælio juſsit parci civibus; & partâ victoriâ, omnibus, qvi contra ipſum arma tulerant, ignovit. Qvas ſummas virtutes niſi *ſuperbiâ* & *faſtu* (dum contemtim Senatum habet, & non tam præeſſe civitati liberæ, qvàm ſervæ dominari diſcupit) contaminâſſet; fatum, qvod ipſum oppreſsit poſteà, dubio procul declinâſſet: Sed *dementat plerunq; fortuna homines, iisq; verba dat; & ſicut ipſa cæca eſt, ita & eos plerumq; cæcos efficit, quos complexa eſt*; ut verè *Cicero* alibi loqvitur.

Auguſtus adoleſcens adhuc, & pænè puer, tot maximas res adminiſtrans, docet, *virtutem minimè metiendam annis, & ad certam ætatem reſtringendam eſſe.* Idem *ſapientiâ* ſuâ *ſolertiâq;* perculſum undiq;, ut A. N. *cap.* 3. ſcribit, & *cap.* 12. ſatis oſtendit, & perturbatum ordinans corpus reipubl. paçemq; reddens univerſo orbi, oſtendit, veriſsimum

mum illud *Taciti* esse: *In turbas atq; discordias pessimo cuiq; plurima vis: pax & quies bonis artibus indigent.* Etenim qvod initiò armis & vi extorsit imperium, *justitiâ* & *sanctitate* sibi firmavit; cùm scelera vitiaq;, qvæ per civilia bella, ut fieri solet, inoleverant, salutaribus legibus compesceret; & nihil per libidinem atq; superbiam, omnia verò singulari *moderatione* atq; *prudentiâ* administraret. Qvæ res adeò non modò *Romanis*, sed & externis, & procul positis populis, ipsum venerabilem reddidit, ut *Scythæ* & *Indi*, ex ultimis orbis partibus, petituri ejus amicitiam, *Romam* venirent; & *Parthi* ultrò *signa Crasso ademta* redderent, pacemqve cum eo sancirent; de qvibus & A.N. perstringit, *& Dio lib. XLI. Sveton. in Augusto, Virgil.* item *lib. II. Georg. Ovid. lib. II. Trist.* nec non *Horat. in lib. Carmin.* commemorant. Unde constat, verissimam majestatem auctoritatemq; Principi non vi & armis, sed virtute & moderatione conciliari.

XVII. Postremò notandum & istud in genere est, *mutandarum rerumpubl. causas* plerumq; in distractionibus atqve *discordiis civium*; cùm primis autem *virorum principum æmulationibus* ac ambitu *positas* esse. Nam cùm *Pompejus* parem ferre non posset, *Cæsar* autem nollet qvoqvam esse inferior; ac ille qvidem Optimatum studiis subnixus esset, iste verò populum præcipuè in suas partes pertraheret: Deinde cùm interfecto *Cæsare* indignaretur *Antonius Augustum* in testamento Cæ-

saris sibi prælatum; iste verò contemni se, & injurias, qvas inferebat Antonius, pati non posset; ventum utrobiq; ad arma, totumq; imperii corpus convulsum miserè, qvassatumq; est; donec tandem mutato reipubl. statu, & summâ in unum *Augustum* delatâ, conqviesceret. Qvod nisi factum, in tantâ plebis impotentiâ distractum prorsùs, & tandem penitùs collapsum fuisset; qvod A.N. significat *cap. 3.* & Mecænas apud *Dion. Cass. lib. L II.* in illâ pulcherrimâ oratione, (*quâ Augusto svadet retinendum principatum, quem resignare volebat Senatui Pop.q; Romano, siquidem pulcherrimo Imperio consultum vellet,*) luculentiùs ostendit.

FINIS.

Errata extantiora sic emendentur.

pag.1.	*esse* Cælar,	Cælar *esse*,
	Num ætas -- firmant?	Nomen, ætas -- firmant.
p.2.	qvòd exemplũ ingens,	qvod exemplum, *inquiens*,
	ventis, videri	*ventis videri*,
p. 6.	*dolendus*	*dolendum*
p.11.	& aliæ.	& alibi.
	Pythinus	Bithynus.
p.12.	*novioperis*	*novis operis*
	inqvam, *plurimis*,	*in quàm plurimis*,
	nonnullis, &	*nonnulli* &
p.14.	*la vita S. Martyris*	*in vitam S. Iustini Martyris*
	& alter ab illo *Plato*	& alter *Plato*
p.16.	neve qvasi	neve qvis
	svavia svavia	*svavia savia*
p.24.	*Argelatus*	*Archelaus*
	ΓΑ̃Ν	ΠΑ̃Ν
	loquor, &	*loquor, quius* &
	definitur	*definitum*
p.26.	cohonestârunt,	cohonestatam.
	datur, &c.	*datum est*
p.28.	*Id quod*	*Id quo*
	est communi	est ex communi
	cornucopiæ	cornucopiæ
p.30.	*ditiore*	*ditione*
	multa virtute	multi virtute
	invectius	invectus
p.31.	*voluntatis*	*voluntas*
p.32.	*Ideò quasi*	*ideò quis*
p.37.	impiis	imperiis

p.38. *verum est*	*verum interitum est*
de nomine	*ac nomine*
decocto	decoctor
p.44. *culpatum est*	*culpatur, est*
qvo qvæ	qvæqve
p.45. *defictionem*	*defixionem*
defictiones	*defixiones*
p.46. mortalis viderentur	mortales videntur
p.47. fusè alibi demonstrant	fusè demonstrant
p.48. *lib. I. Epist.*	*lib. I. Epst.*
de Bello	*de verbo*
p.49. tanto	tacito
p.54. *diceret*	*deceret*
p.55. *homines*	*hominis*
p.56. *quasi*	*quis*
p.61. *Simyus*	*Simylus*
p.63. corruptionem	irruptionem
Ficto	*Facto*
p.66. *Bittermanno*	*Bidermanno*
p.67. omnibus: Qvi reip.	omnibus: ita qvi reip.
p.68. adolevit; erupitqve	adolevit erupitqve;
subientis	*subeuntis*
p.72. κεφῆνες	κεφῆτις
p.74. maneret	manaret
p.76. legebatur	tegebatur
p.82. *Lyaone*	*Lycaone*
p.88. infestâ	infectâ.
p.90. diffisum	divisum
p.91. *Thessalibus*	*Thessalis*
Marsete	*Narsete*
p.92. Rex enim ipse	Rex ne ipse
p.138. pacem tandem.	pacem, tandem
p.140. *populis Romanis*	*populis Romanos*
p.188. *ferelis*	*feralis*
p.196. *inculit*	*incutit*
p.167. *acquiverim*	*acquieverim*
p.135. *manifesto*	*manifesto*

p.236. *Neq; enim*	*Neq; animo*
nec si hoc	*ne si hoc*
p.249. *Callimachus Fertur,*	*Callimachus: Fertur*
p.319. *Eegasus*	*Pegasus*
p.423. gessis	gestis
p.443. *stipem*	*stipem*
p.524. *bis conspirationi*	*conspiratione*
p.578. *servavitur*	*servabitur*



